



IDAD A

CIÓN C

Joanne Bona

Principia et Documenta

BX2350

B6

c.1

TÓNOMA D

NERAL DE B

45905

009391



1080021453



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Genus


OPUSCULA ASCETICA

EMINENTISSIMI

CARDINALIS BONA.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria



PRINCIPIA ET DOCUMENTA
VITÆ CHRISTIANÆ

INDICANS

Naturam, finem et officia vitæ christianæ,
Regulas de moderandis animi affectibus et de studio virtutum

NECNON

MANUDUCTIO AD COELUM
Continens medullam SS. Patrum veterumque philosophorum

INSUPER

VIA COMPENDII AD DEUM

PER MOTUS ANAGOGICOS ET ORATIONES JACULATORIAS LITER
ISAGOGICUS AD MYSTICAM THEOLOGIAM

AUCTORE

JOANNE BONA

S. Romanæ Ecclesiæ tit. S. Bernardi ad Thermas Presbytero
Cardinali Ordinis Cisterciensis.

MOTU CÆTERIS PRESTANTIOR ATQUE ACCURATIOR
STUDIO UNUS SACERDOTIS CONGREGATIONIS AC SEMINARI
MISSIONUM AD EXTEROS.

PARISIIS,


APUD MELLIER FRATRES, BIBLIOP.-EDITORES,
FORO DICTO SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

MDCCKLVII.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

45905

Bx2350
B6



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRINCIPIA ET DOCUMENTA

VITÆ CHRISTIANÆ,

AUCTORE

D. JOANNE BONA,


ROMANÆ ECCLESIE TIT. S. BERNARDI AD THEODAS PRESBYTERO
CARDINALI ORDINIS CISTERCIENSIS.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

009391

Bx2350
B6



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRINCIPIA ET DOCUMENTA

VITÆ CHRISTIANÆ,

AUCTORE


D. JOANNE BONA,

ROMANÆ ECCLESIE TIT. S. BERNARDI AD THEODORAS PRESBYTERO
CARDINALI ORDINIS CISTERCIENSIS.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

009391



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE



ELECTIS DEI

PER UNIVERSUM ORBEM DISPERSIS

JOANNES

Miseratione Divina, Tit. S. Bernardi ad Themas S. R. E. Presbyter

CARDINALIS BONA

Gratiam et Pacem quæ superat omnem sensum.

Hunc Libellum Vobis offero, quæ par est veneratione, felices animæ, vasa honoris et misericordiæ, genus electum, gens sancta, filii Dei destinati ad gloriam ante mundi constitutionem, qui pretioso sanguine Christi redempti, et à servitute peccati dono gratiæ ipsius liberati, ignominiam crucis non erubescitis. Vobis enim datum est nosse mysteria regni cælorum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati estis. Vos elegit Pater cælestis in partem sortis Sanctorum, ut essetis sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate, in quo prædestinati estis, non secundum opera vestra, sed secundum propositum voluntatis ejus. Pro Vobis Dei Filius oravit, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem dixit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi,*

quia tui sunt. Pro mundo autem non oravit, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre. Ideò non audiunt verba vitæ qui de mundo sunt; et si audiunt non intelligunt, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Et Christus quidem lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed mundus eum non cognovit, nec videt eum, nec scit eum, nec spiritum veritatis potest accipere. Hoc est autem iudicium, et causa damnationis reproborum, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim eorum opera mala, et omnis qui malè agit, odit lucem. Quod si in vita et prædicatione suâ Christus lux fuit, præcipue tamen universo mundo in cruce resplenduit; lignum enim illud in quo erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit docentis. Audiamus ergo quid nos doceat. Id nimirum docet moriens, quod docuerat vivens: *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Crucem igitur amplecti, et Christi sequi vestigia salus nostra est: in cruce plenitudo meritorum reperitur: et hæc Christianorum sublimior Philosophia, scire Christum, et hunc crucifixum. Atque utinam hæc Principia et documenta Vitæ Christianæ legentibus, aperiat Deus cor ad intelligendum, dispellens tenebras ignorantiae, et sanans animæ languores, ut erepti de potestate tenebrarum ad agnitionem veritatis perducantur. Hujus rei gratia Deum oro, ut det illis virtute corroborari per spiritum ejus in in-

teriozem hominem, ut Charitas in eis magis ac magis abundet, ut sint sinceri, et sine offensa, repleti fructu justitiæ, Deo per omnia placentes sine querela, et sine reprehensione. Hoc votum meum pro illis est: pro me autem Deum precor, ut mentem meam luminis sui claritate perfundat, et meam imbecillitatem brachii sui potentiâ confirmet, nè, qui aliis prædico, moribus doctrinæ repugnantibus, reprobus efficiar. Vos etiam rogo, amici Dei et oves pascuæ ejus, memores mei estote in orationibus vestris, ut quod hæc pagina docent, operibus comprobem, meisque legibus obtemperem, eo vires largiente qui dixit: *Sine me nihil potestis facere*: qui cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus, gloriosus et superexaltatus in sæcula. Amen.



PRINCIPIA ET DOCUMENTA
VITÆ CHRISTIANÆ.

PARS PRIMA.

DE VITA CHRISTIANA, EJUSQUE FINE, ET
OFFICIIS.

CAPUT I.

DE TRIBUS GENERIBUS CHRISTIANORUM.

Cum omnem Christianorum multitudinem in Catholica Ecclesia viventium, eorumque mores et instituta veluti è specula prospicio, tria quasi eorum genera mihi videor deprehendisse. Unum est eorum, qui Christi doctrinam et exempla in spiritu et veritate sectantes, se re et nomine Christianos esse perpetuam et exactissimam Evangelicam perfectionis exercitatione ostendant; Deo enim servientes et in lege ejus die ac nocte meditantes, carnem suam cum desideriis et concupiscentiis crucifigunt, nullis adversitatibus victi, nullis prosperitatibus depravati. In hoc autem genere nonnulli eminent, quo-

rum virtutes ultra humanam conditionem assurgunt. Servant siquidem continentiam usque ad tenuissimum victum et perpetuum jejunium : puritatem custodiunt usque ad cujuscumque etiam licitæ delectationis contemptum : patientiam exercent usque ad cruces et flammam : seipsos abnegant usque ad omnimodam abjectionem, et odium sui : divitias spernunt usque ad patrimonia distributa pauperibus : Deum diligunt usque ad supremum gradum, qui in hac vita haberi potest : omnes denique virtutes in gradu heroico possident, ita ut mirentur cæteri qui eos vident, et fateantur imbecillitatem suam, quia ad tantam perfectionem pervenire non possunt. Sed horum numerus ad paucissimos redigitur, et vulgò ignotos, qui sibi ac mundo mortui et crucifixi, vitam degunt absconditam cum Christo in Deo.

Alterum illos complectitur, qui orthodoxæ fidei professione contenti, his rebus dumtaxat quæ foris apparent, Christiani hominis officia contineri arbitrantur; timentes quidem Deum, sed et cupiditatibus suis tanquam idolis suis servientes. Ad Sacramenta frequenter accedunt, sed tantæ animi remissione et socordiâ, ut ex frequentia nihil proficiant : à gravioribus peccatis abstinere satagunt, leviora negligunt : exteriores Religionis actus non omittunt; sed terrenis affectibus immersi, sibi quæ semper et propriis commodis addicti, quid sit vita interior, quid perfectio Christiana, quid ascensus mentis in Deum, quid abnegatio rerumque omnium abdicatio, sine qua neminem posse suum esse discipulum toties Christus docuit, aut prorsus ignorant, aut discere nolunt : et si quis

eis sanctioris vitæ documenta proponat, illa ad Monachos et ad Anachoretas ablegant, stulto et lacrymabili errore decepti.

Tertium genus illos omnes comprehendit, qui ideò Christiani dicuntur, quia à Christianis parentibus orti, et aquâ baptismatis regenerati, inter Christianos commorantur : moribus autem deteriores sunt infidelibus, improbi, sceleribus pleni, abominabiles, quorum immensa multitudo est.

CAPUT II.

TERTIUM GENUS CHRISTIANORUM DESCRIBITUR.

Hi sunt qui ore Deum fatentur, factis negant : corpus enim suum ejusque commoda nimis amantes, et sæculi legibus pertinaciter adhærentes, contra Evangelicam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos penè erubescant. Fovent quotidie peccata sua, et flagitiis in consuetudinem versis, etiam verecundiam perdidit. Nihil sapiunt nisi terram, bonaque et mala solius corporis voluptate perpendunt, et sic omnes vitæ suæ actus disponunt, ut veluti bruta animalia corporis sensibus obsequantur. Maximum bonum judicant opes, quas si bonis artibus nequeunt, malis assequi student. Nihil illis turpe, nihil indignum, dummodo pecuniis affluant et dignitatibus, quibus ad injuriam Creatoris sacrilegè abutuntur; et quod olim de quibusdam Græcis dictum legitimus, ædificant

quasi semper victuri, vivunt quasi alterâ die mori-
turi. Hæc autem faciunt, quia verbis Domini non
credunt, et humanæ conditionis oblitâ longam sibi
annorum seriem pollicentur. Quiescunt in rebus
transeuntibus, quæ rursum ab aliis occupandæ sunt,
nihil solliciti de permanentibus, quia de Eternitate
non cogitant. Torquet illos ambitio, dissolvit libido,
inflat superbia, lacerat invidia, agitant cupiditates,
et justitiæ fastidio laborantes sic Dei mandata aver-
santur, ut ferè etiam execrentur. Clamat Christus
beatos esse pauperes, beatos qui lugent, qui perse-
cutionem patiuntur : isti ex adverso beatos illos
dicunt, qui divitiis ad satietatem abundant, qui
super alios dignitate eminent, quos omnes vene-
rantur. Edixit ille suum Discipulum esse non posse,
qui non renuntiat omnibus quæ possidet : isti, quæ
habent, cum amore retinent, cum dolore amittunt;
imò et aliena concupiscunt, et si nemo prohibeat,
cum injuria rapere parati sunt. Aliqui etiam Eccle-
siæ addicti, qui solum Christum partem suam esse
professi sunt, suæ promissionis immemores, num-
mos non cessant nummis addere, possidentes sæpe-
numerò sub Christo paupere quæ sub locuplete
mundo non habebant. Præceptum Domini est, ut
diligamus inimicos nostros, atque his, qui nos ode-
runt, beneficia rependamus : isti et odio habent, et
contumeliâ afficiunt, et si factis nequeunt, saltem
animo offendunt. Jubet ille, ut auferenti tunicam
dimittamus et pallium : ut dexteram maxillam per-
cutienti sinistram præbeamus : quis est qui obtem-
peret? imò quis est qui hoc sive mandatum, sive
consilium non contemnat, non irrideat? Percurrat

qui voluerit Christi Evangelium, ejusque sectatores
recenseat, paucissimos reperiet, qui ad ejus præ-
scriptum vivant, qui ipsum quâ par est æstimatione
et veneratione prosequantur. Sed nec legere,
nec audire dignantur, et iniquas mundi fabulatio-
nes atque insanias falsas Verbo Dei anteponunt, vel
ex hoc ostendentes se ad illos pertinere, qui verba
Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt. Cùm sit
igitur hominis Christiani Deo fideliter credere, ejus
consiliis obsequi, ejus parere mandatis; fit absque
dubio, ut qui hæc spernit et conculcat, Christianus
non sit : fides enim sine operibus mortua est, nec
quidquam prodest magni nominis prærogativa, si
mores illi et officia non consentiunt. Inter Christia-
num et infidelem non sola fides discrimen ponere,
sed vita etiam et mores debent, ut vera Religio à
falsa operibus distinguatur. Qualis enim fides illo-
rum esse potest, qui sic Deo credunt, ut ejus man-
data contemnant? Similes dæmoni isti sunt, qui
credit, et contremiscit : atque utinam deteriores
non essent, nam dæmon credulitatem habet et ti-
morem : hi fidem jactant, timorem non habent.

CAPUT III.

PECCATUM ORIGINALE CAUSAM ESSE OMNIUM MALORUM.

Causam hujus pravitatis nemo potest ignorare,
cui nota sit primi hominis prævaricatio. Amissâ
enim justitiâ originali, in tot mala incidit vitiatæ

naturæ massa damnata, ut eorum multitudo omnem vincat eloquentiam. Hinc vita traducitur plena laboribus et doloribus, plena vitiis et iniquitatibus, suoque pondere proclivis ad malum. Hinc horrenda illa profunditas ignorantiae, quæ mentem nostram tenebrosâ quâdam caligine involvit. Hinc cæca et indomita concupiscentia, quæ animam deprimit, et affligit humi. Hinc aversio à Deo, et amor rerum pereuntium, atque ex hoc mordaces curæ, insana gaudia, lites, discordiæ, rixæ, hæreses, sacrilegia, infandæ libidines, ac totius ferè humani generis aeterna damnatio. Illa siquidem fuit impiæ rebellionis justissima pœna, ut qui propriâ voluntate in superbiam elatus Deum deseruit, ab eo desertus sit; et qui libero arbitrio benè uti noloit cum posset, jam ipso ad bonum uti, et Deum diligere sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, aut quæ recta sunt cogitare nequeat, nisi gratia et misericordia divina ipsum excitet et præveniat. Homo igitur sibi relictus amoris sui pondere ad se ipsum convertitur, sibi que soli incubans, in se tamquam in centro requiescit. Atque utinam omnes Christiani hanc veritatem benè perciperent; nam si se captivos esse sub lege peccati et ad omne bonum ineptos agnoscerent, ab eo utique auxilium continua et ferventi oratione peterent, qui operatur in nobis et velle et perficere, et à quo omne lumen et robar et omnis sufficientia nostra procedit. Sed jacent plerique in profundo sepulti, et miserando errore delusi suam cœcitatem, suosque languores amant, et se sanos existimant, quia nesciunt se ægrotare.

CAPUT IV.

OCCASIO ET SCOPUS HUIUS LIBELLI.

Hæc cum sæpius mente revolverem, vitæque transactæ perditos dies in amaritudine animæ meæ recogitarem, duplex me cura invasit, quarum una præteritum tempus, altera futurum respiciens, de utroque anxium et sollicitum reddidit. Nam si dies anteaotos simul adesse jubeo, et serium de iis examen instituo, horroni mihi sunt tot Divinæ legis prævaricationes, et toties violata Fides quæ Christo in Baptismate nomen dedi, abrenuntians Satanæ, cunctisque operibus et pompis ejus: pudetque me gratiæ Dei infidelem fuisse. Si verò mentis obtutum in ea figo quæ ventura sunt, Dei tremenda judicicia expavescio, et veniæ ac salutis incertus totis artibus contremisco. In his igitur angustiis constitutus, statui, Deo opitulante, mihi ipsi primum, tum aliis quos eadem calamitas premit, efficaciter succurrere, et remedia præscribere quæ semper in promptu sint, ut imbecillitas memoriæ assiduâ lectione reparetur, viamque perfectionis arripere cupientibus, prolixæ inquisitionis labor ab sit. Nam quia omnis disquisitio veritatis fit ex quibusdam principiis, quæ à Philosophis Axiomata, à Medicis Aphorismi dicuntur, quibus præcipuarum rerum compendium ac veluti medulla continetur; propositum mihi est in hoc Libello, quidquid de

Vita sanctè instituenda in sacra primùm Scriptura, tum in Codicibus sanctorum Patrum et piorum Scriptorum diffusè legitur, ad certa quædam, et magis necessaria Vitæ Christianæ Principia restringere, quæ brevia sint et concisa, et paucis multa comprehendant. Porrò hoc unum est necessarium, à quo summa rerum vitæque beatæ tota ratio dependet, scire quid sit Christianè vivere. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (1) Quid verò perversiùs magisque insanum aut dici, aut fingi potest, quam Christiani nomine gloriari, vitamque prorsùs alienam à Christi doctrina et exemplis instituere? Vanum est nomen, cui vita non congruit.

CAPUT V.

CUR VITÆ CHRISTIANÆ DOCUMENTA MULTI DISCUNT, PAUCI EXIQUUNTUR.

Hæc autem Præcepta facillè possunt, omnes legere, discere, et meditari; sed quod valde dolendum est, eorum germanam vim et notionem pauci assequuntur. Facillè omnes agnoscimus iter ad Cælum parandum esse abnegatione, jejuniis, vigiliis, carnis castigatione, multisque tribulationibus; sed in actionibus nostris aliter sentire videmus. Fa-

(1) Mat., xvi, 26.

cillè dicimus, oportere Christianum calumnias, persecutiones, tormenta et ipsam mortem libenter pati; sed cum hæc mala proxima sunt, cum vitæ periculum imminet, tunc caligo mentem obumbrat, et quod antè dilucidum videbatur, incredibili obscuritate circumfusum apparet. Humiles sumus, cum à nemine vilipendimur: patientes, cum nihil molestiæ occurrit. Documentis Vitæ Christianæ assentimur, quando nos non attingunt: cum verò ad nos perlinent, tunc irrepunt terrenarum cupiditatum illecebræ, mentemque confundunt, et ea in molliorem sensum nobisque commodiorem interpretamur. Latet enim veritas caligine obvoluta, eamque oderunt homines ob insitam illi austeritatem, quam natura nostra peccato vitiata pati non potest; et quia virtutibus amaritudo, vitiis voluptas admixta est; illà offensi, hæc deliniti præcipiti cursu in vitia ruunt, et posthabitâ veritate mendacium amplectuntur. Quòd si aliquando Præceptores audiunt qui ipsam veritatem proferant, ac veluti oculis exponant, quamvis agnoscant se in tenebris et umbra mortis ambulare, et aliquo modo ad lucem aspirare incipiant, in suas nihilominus tenebras relapsi oculos claudunt, ne oblatum lumen aspiciant, similes dormientibus qui expergisci conantur, sed alto sopore demersi, protinùs in somnum remergunt. Nemo igitur mirari debet, si multa proponimus, nihil exequimur; tum quia difficultates quæ in bonis actionibus solent occurrere, non prævidemus, illisque apparentibus retrocedimus; tum quia magis in propriis viribus, quam in Dei adjutorio confidimus, et ideò ingruente tentatione

deficimus, ut discamus non nostræ virtutis esse, sed Divinæ misericordiæ, quod vincimus; tum quia denique multum speculationi, parum affectui incumbimus, et leges benè vivendi in doctrina potius, quam in conscientia habere volumus, scientiam Divinam studiosè inquirentes, non ut mores habeamus quos illa instituit, sed ut ad hominum laudes per ejus ostentationem perveniamus. Inanis autem labor est sapientiam discere, et insipienter vivere.

CAPUT VI.

REGULAS EVANGELICÆ PERFECTIONIS NON SOLIS RELIGIOSIS,
SED OMNIBUS CHRISTIANIS TRADITAS ESSE.

Quia plurimi sunt, qui tradita à Christo Christianæ perfectionis documenta nec discere, nec servare volentes, ne illa temerè abjecisse videantur, ad illos dumtaxat spectare asserunt, qui claustris inclusi à sæculi curis alieni sunt, ostendam evidentem quàm sit inanis et falsa eorum persuasio, ut, hoc errore sublato, veritas patefacta clarescat. Verissimum quidem est, duplici statu Christianorum vitam distingui, mundano, et religioso; uterque tamen, diverso licet tramite, ad eundem terminum tendit: et quod attingit ad praxim virtutum, ad mundi contemptum, ad paupertatem spiritus, ad amorem Crucis, par utriusque conditio est, hoc solo intercedente discrimine, quod Religiosi solemnium vo-

torum ac regularum vinculis divincti, strictiori jure quàm mundani ad perfectionem tenentur, in reliquis una et eadem vitæ ratio ab utrisque requiritur, unum et idem Evangelium omnibus prædicatum est. Cumque Deus nihil præcipiat nisi Charitatem, nihil prohibeat nisi cupiditatem, nulla in his differentia, nulla exceptio personarum reperitur. Præcepit Salvator noster, ne quis verbum otiosum loquatur, rationem de illo redditurus in die judicii, ne quis irascatur, ne quis concupiscat, nec ullam videmus positam esse distinctionem inter Monachos et conjugatos. Simili modo cum dixit beatos esse qui lugent, infelices qui rident: cum docuit, nos oportere semper orare, omnibus renuntiare, vitam odisse, nos ipsos abnegare, injurias patienter ferre, intrare per angustam portam, nullum certè hominum genus exclusit. Paulus item Apostolus cum omnibus Christianis etiam conjugatis filiosque nutrientibus scriberet, nonne ab illis omnem exigit vitæ Monasticæ disciplinam? *habentes... inquit, alimenta, et quibus tegamur his contenti simus* (1). Quid amplius ab Anachoretis requireret? Petrus quoque et Jacobus Apostoli, nonne ad omnes Christi fideles scribebant, cum eos hortabantur, ut essent sancti, integri, perfecti, in nullo deficientes (2)? Christus denique cum dixit: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester celestis perfectus est* (3), sermonem habuit ad omnes in se credentes, quibus altissimum Sanctitatis scopum præfixit, ut omnes qui

(1) I. Tim., vi, 8.

(2) I. Petr., i, 15. — Jac., i, 4.

(3) Mat., v, 48.

per adoptionem Filii Dei nominamur et sumus, Patris perfectionem æmulemur. Magna itaque cunctis Christianis sanctitatis necessitas indicta est, ne à paterna hæreditate tanquam degeneres excludantur.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT VII.

HUJUS LIBELLI UTILITAS, ET EXHORTATIO AD PERFECTIONEM.

Ideo, contemptis omnibus quæ bona mortales putant, huic soli curæ incumbendum est, ut per Christi vestigia ad evangelicæ perfectionis culmen properemus. Ad hoc referuntur quæcumque in hoc Libello collecta sunt, ut superatis sensuum præstigiis et veritate comprehensâ, quasi in Regionem originis nostræ revertamur, de vitiiis triumphaturi, et in perpetuum regnaturi. Filii hujus sæculi persuadere conantur perfectionem rem difficillimam esse, nec posse in hoc mundo inveniri, ut segnis effectus homo quærere non audeat, quod se consequi posse desperet. Sed volenti nihil difficile, et quidquid arduum est, gratia Dei facile reddit. Tanta est autem pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas æternæ lucis, tantus splendor incommutabilis veritatis, ut si unius tantum diei morâ in ea manere liceret, innumerabiles hujus vitæ anni pleni deliciis, et omni affluentia temporalium honorum, merito contemnerentur. Scriptum est enim : *Quia melior*

est dies una in atriiis tuis super millia (1). Nemo autem mirari debet si quæ aliquando in hoc tractatu repetita occurrent; connexa sunt enim virtutum documenta, et hæc est vis veritatis, ut quo propius ad ipsam accedimus, eò frequentius in eandem incurramus. Si quæ verò aspera et difficilia, si quæ graviora, et humanæ fragilitatis vires excedentia videantur, meminisse juvabit regnum cælorum vim pati, nec esse condignas passiones hujus temporis, quamvis unus omnes sustineat, ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis. Brevis labor est, merces æterna.

CAPUT VIII.

QUAM NECESSARIA SIT CHRISTIANO ULTIMI FINIS CONSIDERATIO.

Nec verbis exprimi, nec mente concipi potest, quanta sit inter Christianos ultimi finis ignorantia. Si nulla esset æternitas, si nihil post hanc vitam sperandum aut timendum foret, numquid aliter viveremus? Paucissimi sunt qui serio considerent hoc unum sibi et gravissimum negotium in hæc vita peragendum esse, ad quod omnia dirigere, cui totis viribus incumbere oportet, ut quisque scilicet finem suum consequatur, qui propter se appetitur, et non refertur ad aliud, de quo Philippus Apostolus loquebatur cum dixit : *Ostende nobis Patrem, et sufficit*

(1) Psal., LXXXIII, 11.

nobis (1). Finis enim, qui est Deus, ejusque clara visio sufficit nobis, quia ejus non erit finis. Cætera nugæ et vanitates sunt, et afflictio spiritûs. Docet nos corporis figuratio ad quid nati sumus. Erecto enim vultu creavit nos Deus ut cælum aspiciamus, unde origo nostrâ, ubi patria est. Plerique tamen pecudum more in terram proni nihil quærunt, nihil sapiunt nisi terram; ac veluti lethargo oppressi vix ad magnos clamores, atque etiam admoto igne, caput attollunt. Tum paucis verbis imperfectè prolatis rursus obdormiunt, et verba salutis nec audire volunt, nec audita percipiunt. Verbum Domini est, *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis* (2). Nos autem de regno Dei nihil solliciti, pecuniam primum quærimus, et sæculi dignitates atque voluptates, et huic soli curæ intenti sumus. Ille docuit nos unum esse necessarium (3); nos in multa distrahimur quæ nihil aliud sunt, quam impedimenta salutis. Ait ille ut eadem hominibus faciamus quæ nobis volumus ab illis fieri (4); nos ex adverso ea facimus aliis quæ nolumus ab illis pati. Ille dixit: *No lite judicare* (5), nos aliorum severissimi iudices in fratrum oculis festucas arguimus, trabes in nostris non videntes. Præcipit ille ut ipsum toto corde et super omnia diligamus (6), nos opes et voluptates plusquam ipsum amamus, præferentes ei quid-

(1) Joan., xiv, 8.

(2) Mat., vi, 33.

(3) Luc., x, 42.

(4) Mat., vii, 12.

(5) Mat., vii, 1.

(6) Ibid., xxii, 37.

quid naturæ depravatæ errores fovet, quidquid blanditur concupiscentiæ. Inanis igitur est, quod ad nos attinet, prædicatio crucis, inutilis incarnatio Verbi, inefficax virtus Sacramentorum, quandoquidem ita vivimus, ac si nullam Dei et ultimi finis notitiam haberemus. Cùmque vita cujusque animalis in operatione sibi congrua consistat, nostrâ autem propria operatio sit cognitio et amor Dei, quidquid operamur huic fini conveniens, salutare est; quidquid extra illum, inutile et vanum; quidquid contra illum, perniciosum.

CAPUT IX.

CUM OMNES VELINT ESSE BEATI, CUR NON OMNES BEATI SINT.

Omnium qui ratione utuntur certa sententia est, velle homines beatos esse. De ipsa autem beatitudine multæ et magnæ controversiæ excitatæ sunt, in quibus Philosophi studia sua et otia contriverunt, ut discerent quæ sit vita beata, cujus appetitio Christianis et infidelibus, sapientibus et insipientibus communis est. Sed in quo vera beatitudo consistat, soli Christiani norunt, qui fide credunt fontem totius felicitatis et finem omnium appetitionum Deum esse, qui est summum bonum et finis ultimus, quem super omnia amare debemus, ut in ejus fruitione quiescamus. Satis autem deplorari non potest innumerabilium Christianorum cæca perversitas, qui cùm beatitudinem vehementer exoptent, nihil

tamen agunt, quo illam adipisci valeant : ita enim deluditur eorum mens falsâ quâdam felicitatis imagine, ut præsentium suavitate illecti, nihil appetant quod sensum excedat. Ideò beati esse volunt, nec possunt; quia actiones suas ad finem ultimum dirigere nolunt, ex quo fit ut miseri sint, non quod velint miseri esse, sed quoniam ea volunt ex quibus inevitabilis miseria sequitur, ipsis etiam invitis. Sicut in circulo quantumvis amplo unum est medium, quod centrum vocant, ad quod omnes lineæ vergunt, et quamvis circuli ambitus in partes innumerabiles secari queat, nihil tamen verè est præter illud unum, quod quasi quodam æqualitatis jure omnibus dominatur : ita animus unum Deum semper quærere, et ad illum tendere debet, à quo si recedit, multitudine obruitur, quæ ipsum unum invenire non sinit. Hoc unum à nobis exigit Deus, quia hoc solum necessarium est. Cætera omnia si desint, nihil necessarium deest, quandoquidem nec quod vivamus necessarium est. Quod si vita necessaria non est, multò minus quæ ad illam spectant. Qui autem vivit necessitate officii, uni Deo vivere et servire debet. Ita enim in hoc mundo constituta est rationalis creatura, ut si convertatur ad bonum incommutabile, fiat beata; si ab eo avertatur, misera sit.

CAPUT X.

OMNIA AD DEUM REFERENDA ESSE PURA INTENTIONE.

Cùm omnes in hoc mundo peregrini simus et viatores, qui ad patriam pergimus, necessarium nobis est indesinenter progredi, ac seriò disquirere quò tendamus, quo fine, et quâ intentione operemur, et ad quid præsentibus studiis spectemus. Homo enim operatur propter finem, et quò purior est operantis intentio, eò perfectius est opus. Impiorum et reproborum est illa vox : *Ergo... fruamur bonis quæ sunt* (1), nam Deo frui, creaturis uti debemus. Et omnes quidem creaturæ, quantum est ex parte Dei, semilæ sunt et modi, quibus ad ipsum perducimur : malitiâ verò nostrâ impedimenta fiunt, quibus ab eodem avertimur, et à scopo abducimur : quoniam, ut ait Sapiens : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium* (2) : insipientium, inquit, qui Deum ducem non sequuntur, qui ab ejus lumine mentis oculos avertunt, et decus creaturarum amantes, in umbra et obscuritate perambulant, eò languidiores ad perferendam Dei lucem effecti, quò magis umbræ inhærent. Quòd si omnes creaturæ ad hoc conditæ sunt,

(1) Sap., II, 6.

(2) Ibid., XIV, 11.

ut iis utamur ad finem ultimum consequendum, avellenda ab illis affectio est, et ad Deum transferranda, qui finis est. Etenim finis appeti et amari debet sine fine et termino, quia ejus bonitas summa est et independens; illa verò quæ ad finem perducunt eatenus amantur, quatenus ad ipsum finem consequendum juvant, à quo eorum bonitas pendet. Christiani igitur hominis est, quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit, ad Deum referre, non ore duntaxat, aut minus fervidâ spiritus applicatione, sed toto animi conatu, et affectu à rebus terrenis prorsus avulso: nam sæpè decipimur specie recti, et relabimur in nos ipsos, nostra potius comoda, in ipsis etiam spiritualibus exercitationibus, quàm Deum querentes. Ideò Scriptura dicit arctam et difficilem esse viam salutis, quia natura corrupta divinis rationibus ac puræ intentioni repugnat, et ad se omnia refert: cum autem hæc repugnantia assiduo usu et delectatione divinæ legis superata fuerit, lata fit via, levia mandata, jugum suave.

CAPUT XI.

UNDE PROVENIAT QUOD FLERIQUE A FINE ABERRANT.

Præclarè et ex alta sua sapientia, mortalium Sapientissimus dixit: *Stultorum infinitus est numerus* (1). Maxima enim ac penè infinita hominum turba, intolerabili ac perpetuis lacrymis deplorandâ

(1) Eccl., 1, 15.

insaniâ transigit in nugis dies suos, carnem spiritui, tempus æternitati, terrena Divinis præponens; donec miserabilis vitæ actio in horribilem mortis tragœdiam desinit, et in puncto ad inferna descendunt. Si de lite vincenda, de acquirenda possessione, aut de consequenda dignitate sermo sit, nulli parcitur labori, exhauritur ærarium, evolvuntur libri, prisca monumenta excutiuntur. At cum agitur de cœlesti Regno, de sempiterna beatitudine adipiscenda, dormiunt omnes, nemo excitatur, nulla diligentia, nulla cura adhibetur. Pro his quæ corpus afficiunt et lædunt, cujusmodi sunt fames, sitis, frigus, æstus, dolores, infirmitates, sensa habemus infallibilia, ex quibus fit ut omne studium nostrum, omnisque industria in his evitandis continuo occupetur. Ad animæ autem famem, frigus, ægritudinem, et alia mala, omni prorsus sensu caremus, ac si pars hominis nobilior et excellentior, quâ vivimus, quâ ratiocinamur, quâ similes Angelis sumus, aut extranea foret, aut omnino non esset. Vincit nimirum et prævalet pars animalis, et hæc fragilis vita plus diligitur quàm sempiterna, nec in alio omnis nostra sollicitudo attentius occupatur, quàm ut homo brevi moriturus aliquantò seriùs moriatur. Provenit hoc, primum ex crassa et supina ignorantia, sive potius ex inadvertentia, nesciunt enim plerique, aut non considerant, ad quid conditus sit homo, quem sibi debeat in omni parte vitæ suæ scopum præfigere, et quâ viâ ad illum possit pertingere, sicut scriptum est: *Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde* (1). Pro-

(1) Jerem., XII, 11.

venit ex multitudine et sævitia hostium in nos irruentium, quorum laqueos nemo potest evadere, nisi à Domino exercituum conterantur. Cingunt enim nos et obsident caro fragilis, mundus blandiens, et agmina dæmonum insidiantium. Provenit ex defectu luminis, cujus in mundo profunda nocte sepulto maxima inopia est, nec illud in oratione ab eo exquirimus, qui solus potest, discussis tenebris, mentem nostram illuminare. Provenit tandem ex segnitie et inconstantia, quia virtus in desiderio est, et non in opere: et cum ad praxim veniendum est, difficultate territi recedimus. Et omnes quidem ad Christum pervenire vellent, sed post illum ire nemo vult: eo frui vellent, sed non imitari: ipsum assequi desiderant, sed non sequi. Vellent lucrum sine labore, coronam sine certamine. Placent præmia, displicet lucta.

CAPUT XII.

DECIPIMUR SPECIE RECTI.

Omnis mundi felicitas, et quidquid vulgus amat ac plurimi æstimat, instar picturæ est, quam si quis ad falsum et exiguum lumen præsentis temporis, quasi ad lumen lucernæ intuat, speciem aliquam pulchritudinis habere videtur, quæ allicit et trahit ad se: sed si ad lucem æternitatis, quasi ad radios fulgentissimi Solis introspectat, clarissimè perspiciet nihil aliud esse, quàm deformem et vix adumbratam

imaginem, et incompositam linearum confusionem. Obscura nimirum est oculis mundi lux Evangelii, quæ in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt. Hæc sola nos illuminat, ut quid intersit inter bonum et malum, inter verum et apparens discernere, et pretiosum à vili separare valeamus. Per hanc veritatem cognoscimus, quæ permanet in æternum, quæ habitat in interiori homine, instruens nos non hæere in pulchritudine creaturarum; sed earum nitorem ita percurrere, ut ad rerum omnium Conditorem per amorem recurramus. Hæc docet nos soli Deo adhærere, omnemque fiduciam in ipso ponere, non in principibus, non in amicis, nec etiam in fratribus, quia cum singuli propria principia et fines habeant, proprioque commodo studeant, tandiù nobiscum erunt, quandiù nos utiles credent ad proprios fines consequendos: cum verò ex nobis nullum emolumentum sperabunt, procul à nobis recedent. Cavendum igitur ne species decipiat nos, ne solatium et felicitatem quæramus in creaturis quæ non sunt, nec pretium habent nisi ab errore vulgi, et ab ignorantia et cæcitate nostra, relicto Deo bonorum omnium fonte, qui solus verè est, et extra quem nec quies, nec pax reperitur. Infelicissimus homo est, qui ab eo recedit, qui summus est.

CAPUT XIII.

HUMANÆ VITÆ CURSUS ET PERVERSITAS.

Hoc circulo humanæ vitæ cursus irrequietâ vertigine perficitur, et circumvolvitur. Edunt homines, bibunt, dormiunt rursûmque surgunt, ut iterûm gulæ et somno indulgeant. Opes congregant, et non est finis acquisitionis eorum. Jucundè vivere volunt, tardius mori. Inter baptismum et extremum halitum congeries quædam et confusio intercedit Sacrarum et profanarum actionum, Sacramentorum et criminum, Confessionum et relapsûs. Nulla dies sine labe transigitur, omnesque passim in incertum currunt absque ulla sui finis consideratione. Et omnes quidem currunt, sed pauci omninò sunt qui perveniunt ad metam. Non enim considerant qualis in Cælo gloria parata sit illis, qui triumphato sæculo Christi fidem et legem custodiunt. Fecit Deus mundum, et in eo creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, tribuens illi intellectum, ut Factorem agnosceret; voluntatem, ut diligeret; memoriam, ut memor esset mandatorum ipsius ad faciendum ea; sensus ad serviendum ei, linguam ad enarrandas et decantandas laudes ejus. Univerſa autem quæ in mundo sunt, propter hominem condidit, eique cuncta subjecit, ut ipse Creatori subiectus rebus omnibus ad salutem suam et ad Dei gloriam uteretur. Sed voluptatum illecebris depravati mortales ad infima deprimuntur, Deique donis

tam interioribus quàm exterioribus, scientiis, divitiis, honoribus ipsaque valetudine et vitâ nonnisi ad commoda corporis, et ad injuriam Creatoris utuntur: quibus si rectè uterentur, ornamentum animi forent, vitæ præsentis subsidia, et ad finem ultimum consequendum aptissima instrumenta. Tanta est hominis perversitas et malitia, ut in sui-perniciem convertat, quæ sibi à Deo tradita sunt ad perpetuam Beatitudinem comparandam.

CAPUT XIV.

VIA RECTA AD FINEM EST UT QUISQUE SUAM CRUCEM FERAT.

Debet omnis homo, ut finem suum citius consequatur, vitam suam dirigere secundum rationes æternas, et per viam statui suo convenientem ad propositam sibi metam properare. Sed non omnes hoc servant, plurimi enim stulto errore delusi viam sibi ad finem proprio arbitrio præscribunt, illam deserentes, quam Divina providentiâ unicuique destinavit. Sicut Princeps militiæ Regis Syriæ nomine Naaman, quamvis optaret à lepra sanari, remedium tamen facillimum ab Elizæo præscriptum recusabat, illud præferens quod ipse sibi finxerat, solo Prophetæ tactu se sanandum putans; jamque iratus lepram suam secum ferens recedebat; nec unquam curatus fuisset, nisi postmodum servi fidelis admonitione sapientior factus, indicatum à sancto viro remedium adhibuisset. Ita plerique

propriam sibi semitam sternunt, quâ perveniant ad finem, multa decernentes à proprio statu et instituto aliena, quibus exequendis vel facultas deest, vel occasio, vel obstant, quæ prætermitti nequeunt, quotidianæ occupationes. Ex quo fit ut semper in desideriis sint, et nihil unquam, quod ad finem obtinendum prosit, operentur. Via autem brevis et expedita illa est, quam Christus ostendit dicens, ut, qui vult ipsum sequi, accipiat et ferat crucem suam: suam, inquit, non alienam: à Deo acceptam, non à se inventam: non quæ temerè usurpetur, et vires excedat; sed quam paravit Divina sapientia, quæ simul ferendi vires subministrat. Cavendum igitur primò, ne mens aberret à fine, quem qui nescit, illa quoque ignorat quæ ad ipsum perducunt. Tum cognito fine, quoniam diversæ occurrunt semitæ ad ipsum pergere volentibus, illa præferenda et eligenda, quæ proprio statui conveniat, ut quisque videlicet crucem suam ferat, sicut Dominus præcepit. Porro crux singulorum hæc est, officio suo exactissimè fungi, adversitates quotidie occurrentes patienter ferre, et ad perfectionem sui statûs nullâ prætermisâ occasione se ipsum erudire. In omni loco et statu Christianam perfectionem consequi licet, et pervenire quò tendimus, si in vocatione sua quisque permaneant.

CAPUT XV.

CONDITIOES ULTIMI FINIS, ET CUR AB ILLO PLERIQUE
ABERRANT.

Ultimi finis duæ sunt conditiones, quod sit bonum perfectum, et quod sit per se sufficiens, ita ut vitam prorsus tranquillam, nulloque exteriori bono indigentem reddat, atque omnem motum terminet naturalis desiderii, etiamsi solum possideatur. Quicumque enim indiget, illud quo indiget adipisci desiderat: qui autem aliquid desiderat, non quiescit, donec illud consequatur. Hæc verò conditiones in solo Deo reperiuntur, qui summum et perfectissimum bonum est, et solus potest omne desiderium nostrum explere. *Satiabor*, inquit Propheta, *cum apparuerit gloria tua* (1). Verumtamen humani generis vitium execrabile est, ut summum bonum illud esse definiat, quod præ cæteris ita diligit, ut ab eo amoveri non possit, quamvis propriæ conscientiæ iudicio id malum esse non ignoret. Tanta vis est perversi animi, ut nec alieno, nec proprio iudicio acquiescat. Ideo plurimi sunt, qui aut veri finis ignorantia, vel perversæ voluntatis vitio, falsa potius bona, quam vera sectantur, à summo bono aberrant, nec ipsum unquam assequuntur. Hi semper miseri et detestabiles rerum ordinem turbant, atque confundunt, à Deo aversi, et creaturis tamquam fini

(1) Psal., xvi, 15.

propriam sibi semitam sternunt, quâ perveniant ad finem, multa decernentes à proprio statu et instituto aliena, quibus exequendis vel facultas deest, vel occasio, vel obstant, quæ prætermitti nequeunt, quotidianæ occupationes. Ex quo fit ut semper in desideriis sint, et nihil unquam, quod ad finem obtinendum prosit, operentur. Via autem brevis et expedita illa est, quam Christus ostendit dicens, ut, qui vult ipsum sequi, accipiat et ferat crucem suam: suam, inquit, non alienam: à Deo acceptam, non à se inventam: non quæ temerè usurpetur, et vires excedat; sed quam paravit Divina sapientia, quæ simul ferendi vires subministrat. Cavendum igitur primò, ne mens aberret à fine, quem qui nescit, illa quoque ignorat quæ ad ipsum perducunt. Tum cognito fine, quoniam diversæ occurrunt semitæ ad ipsum pergere volentibus, illa præferenda et eligenda, quæ proprio statui conveniat, ut quisque videlicet crucem suam ferat, sicut Dominus præcepit. Porro crux singulorum hæc est, officio suo exactissimè fungi, adversitates quotidie occurrentes patienter ferre, et ad perfectionem sui statûs nullâ prætermisâ occasione se ipsum erudire. In omni loco et statu Christianam perfectionem consequi licet, et pervenire quò tendimus, si in vocatione sua quisque permaneant.

CAPUT XV.

CONDITIOES ULTIMI FINIS, ET CUR AB ILLO PLERIQUE
ABERRANT.

Ultimi finis duæ sunt conditiones, quod sit bonum perfectum, et quod sit per se sufficiens, ita ut vitam prorsus tranquillam, nulloque exteriori bono indigentem reddat, atque omnem motum terminet naturalis desiderii, etiamsi solum possideatur. Quicumque enim indiget, illud quo indiget adipisci desiderat: qui autem aliquid desiderat, non quiescit, donec illud consequatur. Hæ verò conditiones in solo Deo reperiuntur, qui summum et perfectissimum bonum est, et solus potest omne desiderium nostrum explere. *Satiabor*, inquit Propheta, *cum apparuerit gloria tua* (1). Verumtamen humani generis vitium execrabile est, ut summum bonum illud esse definiat, quod præ cæteris ita diligit, ut ab eo amoveri non possit, quamvis propriæ conscientiæ iudicio id malum esse non ignoret. Tanta vis est perversi animi, ut nec alieno, nec proprio iudicio acquiescat. Ideo plurimi sunt, qui aut veri finis ignorantia, vel perversæ voluntatis vitio, falsa potius bona, quam vera sectantur, à summo bono aberrant, nec ipsum unquam assequuntur. Hi semper miseri et detestabiles rerum ordinem turbant, atque confundunt, à Deo aversi, et creaturis tamquam fini

(1) Psal., xvi, 15.

adhærentes : sub sensibus esse delicias computant, tenebras amant quibus involvuntur, corpus mortis quod gestant, laqueos inter quos ambulat, locum afflictionis quem inhabitant, nec horribilem Judicis sententiam adversus sui finis desertores pertimescunt. *Ambulant*, sicut ait Apostolus, *in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiæ (1). Estimaverunt lusum esse vitam nostram... et oportere undecumque etiam ex malo acquirere (2)*, fitque sæpius divino judicio, ut, dum nequiter vivunt, illud demum perdant, quod salubriter credunt, similes insipientibus, qui dicunt in corde suo : *Non est Deus (3)*. Fontem hujus perversitatis jam supra indicavi, nec unquam satis commemorabitur, etiamsi mille repetatur. Peccavit Adam, et non solum justitiam quam acceperat, sed scientiam quoque boni perdidit, totamque propaginem in se tamquam in radice vitiavit. Hæc autem corruptio immenso pondere hominem gravat, magnoque impetu inclinat et urget ad carnis voluptates, ad effrænam sensuum licentiam, ad exercendam super alios potestatem, ad sui rerumque suarum æstimationem, ad otium et fugam laboris. His accedit in intellectu obscuritas, ignorantia, falsa rerum apprehensio, incerta judicia, errores, mendacia, et à seriis cogi-

(1) Ephes., iv, 17.

(2) Sap., xv, 12.

(3) Psal., xiii, 1.

tationibus aversio : in voluntate infirmitas, veri boni neglectus, et languor, atque inertia ad resistendum pravis motibus, appetitibus rebus caducis semper affixi. Idcirco de viro iniquo scriptum est : *Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore (1)*. Ignorato autem Deo, cui debent cuncta servire, veræ etiam virtutes ignorantur, quæ finibus non officiis, à vitiis discernuntur. Anima verò ab hac diabolica captivitate et à miserissima servitute peccati per gratiam JESU CHRISTI Salvatoris nostri liberata, Deo firmiter adheret, in quo omnia reperit quæ ab hominibus desiderari possunt, summaque pace et tranquillitate in ipso quiescit, nihil quærens, nihil optans extra ipsum : nimis enim avarus est, cui Deus non sufficit.

CAPUT XVI.

ALIA ASSIGNATUR CAUSA OB QUAM MULTI ULTIUM FINEM NON ASSEQUUNTUR.

Cum rationi consonum sit, idque omnes fateantur, futura præsentibus, Divina terrenis, perpetua brevibus anteponenda esse : satis intellectu difficile est, cur plerique mortalium, qui corde hoc credunt, et ore prædicant, factis tamen negent : in actibus quippe et negotiis carnalis vitæ occupati, augere redditus, agròs colere, pecuniam undecumque congregare, dignitates consequi totis viribus student ; in reliquis sic verè se habent, ac si sensu et intelli-

(1) Psalm., ix.

gentiã carerent. Si de Deo, de Vita æterna, de Christiana perfectione sermo habeatur, vel quæ dicuntur non percipiunt, vel statim obliviscuntur, quia res caducæ et temporales, quæ sensibus subjectæ sunt, mentes eorum magis percellunt; et licet interdum quotidianã experientiã urgente videant et probent humana omnia fugacia esse, ac tenui filo pendentia; protinus tamen sensibus cedunt, ad ea redeunt, quibus dudum assueti sunt. Hujus autem infelicitatis causam potissimam esse diximus primi Parentis prævaricationem, ex qua velut rivuli ex fonte ignorantia, inopia lucis, tentationes et inconstantia emanarunt. Nunc verò alia occurrit sedulo consideranda imbecillitas; scilicet spiritus nostri non percipientis quæ sunt Spiritus Dei, et res etiam terribiles languidè et confuse concipientis. Peccati fœditas, mortis amaritudo, tremendum Dei Judicium, æternum gehennæ incendium leviter apprehendi solent, ut sunt quædam verba in auribus sonantia, quare vim nullam habent salutare motus excitandi. Illam videlicet eamque minimam partem propositæ rei apprehendimus quæ sensum percellit, reliqua non attendentes, quæ mentem excitare et afficere queunt. Sic in peccato ea dumtaxat prospicimus quæ temporaria sunt, multoque magis displicet nobis propriæ dignitatis et existimationis diminutio apud homines, quam Dei offensa et reatus interminabilis pœnæ. Sic hominis morientis sola symptomata consideramus quæ foris apparent, ea omittentes quæ ipsi morti connexa sunt, et ad animam spectant. Judicium et gehennam, quia à sensibus remota sunt, ita percipimus, ac si ad nos nullo modo pertinerent.

Rerum autem, quæ sensibus jucunda et grata sunt, solam superficiem quã placent intuemur, et deplorabili amentia nos felices arbitramur, dum illis momento fruimur, futuri in æternum infelicissimi. Animam esse immortalem nemo ignorat, multique Philosophi doctissima nobis de ejus immortalitate commentaria reliquerunt, sed de futuro statu animæ suæ post mortem nemo recogitat, nemo sollicitus est, ac si cum corpore interiret. Plerique enim nec ex fide, nec ex ratione vivunt, sectantes temerè quæ sensus appetunt, et ea fugientes quæ illis molesta sunt, ac si in hac vita nihil aliud agendum sit, nihil in altera timendum.

CAPUT XVII.

FILII DEI SUMUS, ET EJUS SPIRITU VIVENDUM NOBIS EST.

Si quis hoc animo percipere posset, ac jugiter meditare se filium Dei esse, pretioso Christi Sanguine redemptum, et in spem Vitæ æternæ regeneratum, hanc solam nobilitatem in pretio haberet, nihilque terrenum sapiens, sola æterna ac divina mente revolveret, et ad Patrem semper aspirans sic vitam instituere satageret, ut talem filium decet. Sicut in theatro, qui Regis personam agit, tametsi actio illa inanis sit, et ad vanam otiosæ plebis delectationem inventa; seriò tamen curat, ne quid agat aut dicat quod Regis dignitatem dedeceat: quanto magis Christiani qui mortem Domini an-

nuntiant donec veniat, totis viribus eniti debent, ne quid Christo indignum in verbis et operibus suis appareat? Quemadmodum pictor ut præclarum opus efficiat, nunquam ab exemplari, quod sibi imitandum proposuit, oculos et mentem avertit: ita Christianus in omni actione et sermone perfectissimam Christi vitam et mores tamquam prototypum numeris omnibus absolutum sibi ante oculos ponere, et sic operari, sic loqui, sic vivere debet, ut nunquam ab ejus exemplis declinet. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Spiritus qui dominatur in nobis, spiritus Adæ est, per quem redacti in servitutem diaboli, nobis ipsis propriisque commodis firmiter adhæremus. Quia verò naturâ filii iræ sumus, si ipsam naturam sequimur, omnia opera nostra ex voluntate Satanæ, qui nos durissimâ servitute premit, perficientur. Ab hac autem captivitate Christi Sanguine liberati, ex gratiæ principii operari debemus, ejusque corpori inhærere, cujus membra facti sumus. Adam *primus homo de terra, terrenus, fuit*: Christus *secundus homo de celo, celestis*. . . *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem celestis* (1), sollicitè caventes, ne, qui Christiani dicimur, tanti nominis dignitatem pravitate nostrâ perdamus. *Si quis... spiritum Christi non habet, inquit Apostolus, hic non est ejus* (2). Hic autem spiritum Christi habere dicitur, cujus vita interior et exterior vitæ Christi similis est, qui ad ejus exemplar mores suos com-

(1) I. Cor., xv, 47, 49.

(2) Rom., viii, 9.

ponere, atque ita loqui, et operari studet, sicut loculus et operatus est Christus. Idem alibi monet, ne ambulet homo secundum hominem, ac si diceret, noli ambulare secundum hominem; sed secundum eum qui fecit hominem: noli deficere ab eo qui fecit te, ut spiritu ejus imbutus, filius Dei efficiaris. Filius autem Dei esse non potest, qui à spiritu Christi alienus est.

CAPUT XVIII.

JUSTUS EX FIDE VIVIT.

Quod radix arbori, quod fundamentum ædificio, quod rivulis fons, id vitæ Christianæ cæterisque virtutibus est fides, sine qua impossibile est placere Deo. Ideò ab illa Christianæ institutionis exordium sumendum est, dicit enim Scriptura: *Justus... ex fide vivit* (1). Quæ de sapientia, ejusque laudibus, et excellentia magnificis verbis in sacris Libris scripta sunt (2), ad fidem pertinere, et res ipsa docet, et omnium sapientum consensus evincit. *Omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius... Infinitus thesaurus est hominibus quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei... Emanatio est claritatis omnipotentis Dei... Candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ majestatis Dei, et*

(1) Rom., i, 17.

(2) Sap., vii. — Job., xxviii.

imago bonitatis illius. Hæc docet nos omnem veritatem, ostendens animæ quid sectari, quid diligere, quid fugere debeat. Docet nos bona hujus mundi mala esse, et mala bona, si patienter tolerentur. Docet contemni oportere quidquid corporeis oculis cernitur, quidquid sensus attingit. Ab illa discimus Deum et nos ipsos cognoscere, in qua notitia salus et perfectio nostra consistit. Ipsa ab erroribus insanæ multitudinis ereptos verâ nos Sapientiâ imbuat, et in auram veræ libertatis à sæculi captivitate educit. Discrepant toto cælo mundi hujus, et fidei principia: cùmque Christus, à quo fidem accepimus, falli non possit, hinc evidenti conclusione deducitur, oportere nos ex fide vivere, ejusque principia sequi, falsam verò et perniciosam mundi doctrinam detestari. Advertendum tamen et solerter considerandum est, nullam in nobis venam esse, nullam pene facultatem, quæ non impellat ad principia fidei destruenda et evertenda. Summum hominis studium, summa cura hæc est, in hoc sæculo commode vivere, de æternitate altum silentium, nulla cogitatio. Ad hoc maximum malum infelices mortales adigit spiritus Adæ et concupiscentia, quæ regnat in mortali corpore. Qua de causa gemunt omnes electi Dei dicentes: *Non... quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago... Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (1)?* Respondet autem Apostolus: *Gratia Dei per JESUM CHRISTUM.* Gratia enim liberat nos a cæcitate, et ab infirmitate, ut videamus quæ recta sunt, et ad ea peragenda roboremur.

(1) Rom., vii.

CAPUT XIX.

FUNDAMENTUM VITÆ CHRISTIANÆ. ABNEGATIO SUI, RERUMQUE OMNIUM ABDICATIO.

Magna fidei potentia est, quæ cùm sit immobilis, immutabilis, inconcussa, similem sibi Christianum efficit, qui ex nuda et simplici fide vivit et operatur. Nihil enim videt, nihil optat nisi Deum, et in eo pacatissimâ tranquillitate quiescit, quia ipse solus lux ejus et dulcedo est, et omnium rerum plenitudo. Nullam autem in hoc mundo delectationem habet, nec in filiis hominum sperat, in quibus non est salus: nam cùm omnia quæ sub cælo sunt, fluxa et caduca sint, qui ipsis innititur, cum ipsis pariter labitur: qui verò nititur immobili, non movetur. Sicut Beati omnia vident in Verbo, sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit quàm viva imago fidei, ejusque veritatis expressio: nec in ulla re gloriemur, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI, qui ab asseclis mundi ignominia judicatur. Primus homo in statu innocentiae finem ultimum consequi poterat innoxio et legitimo usu deliciarum, quas illi Deus paraverat in paradiso voluptatis. Postquam verò deseruit Creatorem, totumque genus humanum, antequam gigneret, peccato infecit, aliam ad consequendum finem divina Sapientia viam adinvenit, viam scilicet crucis et abjectionis, per quam Christus incessit, et quam omnibus indixit, prædicans abnegationem: re-

rumque omnium abdicationem. *Si quis vult, inquit, post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (1). Item: *Si quis non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (2). Hoc est fundamentum vitæ Christianæ, hæc supereminens scientia Christi, dura et contraria spiritui hujus mundi. Hæc summa vitæ beatitudo, hæc altissima Philosophia terræ sapientibus ignota, scire et sequi Christum, et hunc crucifixum; seipsum odisse, et quidquid mundus amat ac magni æstimat, divitias, honores, voluptates; et vice versâ amare quæ ille odit, paupertatem, dolores, sui contemptum, ærōmnas, tribulationes. Magna autem gratia est necessaria, ut hoc principium rectè intelligatur; major ut delectet; maxima, ut operibus comprobetur.

CAPUT XX.

INSANIA HOMINUM, QUI SPONTE DAMNARI VOLUNT.

Cum æterna supplicia illis dumtaxat destinata sint, qui ad illa damnari volunt, sibi que locum in iis præparant spontè peccando, æterna quoque gaudia omnibus volentibus parata sint: quis non crederet vacuum esse infernum, cœli que regnum plenissi-

(1) Luc., ix, 23.

(2) Ibid., xiv, 26, 33.

mum, et infinitâ multitudine refertum? Quis enim sibi persuadere poterit reperiri hominem tantæ dementiæ, qui velit in perpetuum miser esse, cum facîle possit æterna beatitudine frui; è contrario tamen paucissimi sunt, qui regnum cœlorum consequantur. Damnatorum verò tanta est turba, ut illorum comparatione, electorum numerum exiguum esse Scriptura nos doceat, dicente Christo, cum de his loquitur: *Nolite timere pusillus grex* (1). Quæ est igitur tanta hominum insania, ut potius miseri in æternum, quàm felices esse velint? Quis in ardentissima siti labris poculum admovent, si vel levissimam suspicionem haberet admixti veneni; et tamen passim committuntur peccata, quibus luendis æternum ignem succensum esse non suspicio, non opinio, sed fides certissima est. Tam horribilis dementiæ causam veræ fidei defectui plerique adscribunt, quod licet in multis verissimum esse certâ experienciâ constet; hoc tamen in plurimis defectui attentionis, et considerationis tribuendum videtur. Quamvis enim credant infernum esse, neminemque damnari, nisi in hac vita volens et lubens locum sibi in tormentis peccando præparet, hujus tamen veritatis statim obliviscuntur, siquidem fantasia bono sensibili affixa, sensuumque voluptate obbrutescens, omnem aditum claudit futurorum considerationi, nec sinit intellectum advertere in quam horrendam perpetuòque duraturam amaritudinem carnis delectationes desinant, et quàm facile nobis sit in hujus vitæ momento futuram calamitatem evadere, et gaudia sempiterna adipisci. Atque uti-

(1) Luc., xii, 22.

nam hæc homines saperent et intelligerent, ac novissima providerent, nam cum proprium sit hominis cogitare et meditari, ordo cogitationis est, ut in suo fine cognoscendo mens ante omnia occupetur. Omnem errorem et ignorantiam superat, negligere hominem salutem suam.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS CAPUT XXI.

CHARACTER VERI CHRISTIANI.

Homo Christianus est, qui Christi fidem et legem profitetur, ejusque vitam et virtutes imitatur. Hoc nimirum à nobis exigit Christianæ fidei professio, ut omnia terrena transcendentes vivamus vitâ divinâ. *Apparuit... inquit Apostolus, gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (1). Sicut doctor vocari nequit, qui litteris præditus non est; nec exercitum ducere potest, qui nescit arma tractare; nec artificis nomen assumit, qui artis peritiam non habet: ita Christianus dici non potest, qui Christi sectator non est. Veri ergo Christiani sunt, qui abnegatis sæculi desideriiis Deum solum amant totis viribus, totâ vir-

(1) Ad Titum, II, 11.

tute, ac proximum in Deo, et propter Deum, nihil in eo querentes nisi Deum, et nemini se præferentes, quia in generatione gratiæ omnes æquales sunt: qui sobriè et justè viventes, ita in cunctis se gerunt, ut nihil in eis appareat, quod possit offendere intuentes: qui bonis exterioribus sicut ægri pharmaco utuntur, nihil appetentes quod ab alio possit auferri. Qui nemini placere appetunt nemini timent displicere, nisi Deo. Qui corpus suum oderunt tamquam corpus peccati, ipsumque jugiter castigant, ne insolescat. Qui firmam in omnibus constantiam servant, et universo mundo celsiores, nullis minis, nullis persecutionibus aut contumeliis terri possunt, aut commoveri: qui tam in prosperis quam in adversis eadem fruuntur mentis serenitate, nec unquam à lumine veritatis recedunt: qui desiderio futurorum damnant præsentia, et ex Fide, Spe et Charitate viventes, credunt quod nondum vident, sperant quod nondum tenent, optant quod nondum possident: qui Deum ita amant, ut nullum pro illo laborem, nullum periculum subterfugere parati sint, etiamsi nullum pro ejus gloria certantibus præmium propositum esset: qui divinæ misericordiæ, et propriæ conscientiæ fiducia regnum Dei expectantes, dicere possunt cum Apostolo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (1). Gaudent cum digni sint pro nomine JESU contumeliam pati, eumque diem se perdidisse credunt, n quo nihil pro Christo passi sunt. Eorum gloria,

(1) II. Tim., IV, 7.

felicitas, sapientia in his consistit, quæ à mundo ignominia, miseria et insania aestimantur. Carnalis prudentiæ falsa principia detestantur, oportere nimirum divitiis affluere, à nemine sperni, super omnes eminere: fidei verò veritates sectantur docentis opes contemnere, abnegare seipsum, et in nulla re gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI. Denique in omni vitæ ratione ita se gerunt, ac si omnis eorum sermo et operatio clamarent: *Regnum meum non est de hoc mundo* (1). Alta quidem et difficilia hæc sunt, sed regnum Dei vim patitur, idque omni conatu dignum est, quod non nisi à vim inferentibus possidetur.

CAPUT XXII.

QUOMODO DEREAT CHRISTIANUS OPERA SUA PERFICERE.

Debet Christianus omnia opera sua in pace et mansuetudine perficere, et ad omnes rei vel negotii circumstantias attendere, ad locum, ad tempus, ad personas et præcipuè ad finem. Cavebit autem à præcipiti celeritate, quæ repentinò potius naturæ impetu quam ratione, et Divinæ gratiæ motione ad agendum impellit. Cavebit ab inconstantia et levitate animi ad diversa et inutilia facile evagantis, ut præsentior sibi sit et aptior ad Dei illustrationes recipiendas, quibus statim et alacriter parebit. Quidquid sibi agendum erit, seriò advertet, ne animo

(1) Joan., XVIII, 36.

præoccupato aggrediatur, alioquin in rebus discernendis cœcutiet, et multa illi excident, de quibus meritò accusari poterit et reprehendi. Cujusque actionis initio opem et lumen à Deo petet: tum sedulò examinabit quam partem in illa habeat Deus, quam ipse sibi vindicet. In progressu animadvertet, ne delectatio et complacentia mentem alliciat, et à proposito fine amoveat: in fine cavebit ne sensim subrepens inanis gloria, quidquid benè peractum est, vitiet et contaminet. Hoc autem præcipuè fixum animo habebit, ne hominum laudes, sed Dei gloriam quærat, et ad nihilum suum respiciens elatas cogitationes in semine suffocabit. Nulli negotio externo se ingeret, nisi vocatus à Deo. Tunc verò prompto animo obediet optans anathema esse à Christo pro fratribus suis: hujus enim vitæ perfectionem non in Dei fruitione sitam esse scit, sed in ejus voluntate adimplendâ. Nihil super vires aggredietur, rebusque gerendis affectum et mentem non applicabit, ultra quàm necessarium sit, ut inde nihil depereat libertatis et pacis. Omnis commotio et effusio ad exteriora spiritum Dei extinguit, et animi serenitatem obnubilat. Sicut Angelus Tobiæ comes nullum officium prætermittebat hominis mercede conducti, semper tamen cum Deo erat: ita vir probus humanis quidem negotiis attendit, atque iis interdum, sicut et cæteri absorberi videtur, sed cor ejus cum Deo manet; et si corpore versatur in terris, mens tamen in cœlis est, ubi meliori sui parte ab omni terræ affectione liber commoratur.

CAPUT XXIII.

DEBENT OPERA BONA PROPRIÆ VOCATIONI CONVENIRE.

Nihil interest inter negotia ad quæ obeunda ratione proprii status et conditionis quisque tenetur, et maximum negotium æternæ salutis; nemo enim certius salutem suam operari potest, quàm si officio suo benè fungatur. Subtilissimum nostræ perfectioni laqueum tendit Satan, cum desideria in nobis excitat magnarum rerum alio loco, et in aliâ vocatione agendarum: spiritum enim occupant et mentem distrahunt, ne rei attendat quæ præ manibus habetur, et quæ ad proprium munus pertinet. Maximè perè hallucinatur, qui statu vitæ jam prudenter electo locum aptiorem Deo serviendi in alio vitæ genere sibi fingit et quærit. In suo siquidem munere explendo segnis nihil agit ubi est, dum multa et magna molitur ubi non est. Cumque perfectio vitæ Christianæ à singularum actionum bonitate et rectitudine pendeat, ingentem illi obicem ponunt, qui quotidianas exercitationes, quas proprii officii ratio ab illis exigit, negligenter et oscitanter peragere consueverunt, quia nimirum ubi non sunt, ibi animus eorum est. Horum vita continuum benè vivendi exordium est; multa decernunt, nihil exequentur; frondibus abundant, fructibus carent; quia ad instar arboris sæpius translata, nullo stabili loco radices figunt.

CAPUT XXIV.

QUOMODO CHRISTIANIS VIVENDUM SIT.

Ita Christianis vivendum est, ut ab illecebris ventris et gulæ, ab immodesto corporis cultu, ab inanis ludorum negotiis, à torpore pigritiæ, ab honorum ambitu, à laudis cupiditate, ab amore pecuniæ abstineant. Iram omnino pellant et alteri non faciant quod pati nolunt. Nihil remissè agant, nihil audacter, nihil fictè aut per simulationem. Quodcumque officium vitæ Christianæ, quæcumque exterior virtutis exercitatio, si careat interiori spiritu et veritate, nihil aliud est quàm hypocrisis et actio scenica. Solent nonnunquam viri nefarii præclara Sanctorum gesta in teatro repræsentare. Hic Martyris constantiam, ille Virginis modestiam, aut Apostoli, vel Christi heroicos actus egregiè simulant; sed actione peractâ alienam personam deponunt, suamque turpem et impurissimam suscipiunt. Simili modo qui opera exteriora in solam speciem et inanem ostentationem exercent, veluti histriones sunt et scenici jactatores, qui omni virtute et sanctimonia destituti, viri sancti personam in scena gerunt, quorum vita et mores nihil aliud quàm fabula sunt. Ideo pauci ad Christianæ perfectionis fastigium pertingunt, quia opera sua in spiritu veritatis non perficiunt. Prævalent Christi exemplis et præceptis falsa mundi axiomata, et communes virtutum notiones à natura

insitæ, perversis hominum opinionibus depravatae ad vitia detorquentur. Cùm ergò inter homines falsis doctrinis imbutos vivamus, debet quisque in seipsum crebrò inquirere, an et ipse ignoret quæ recta sunt, et an rectè fungatur officio suo. Via veritatis una est et immutabilis, per quam qui recto tramite cupit incedere, non terram intueri debet, sed cœlum; non homines sequi, sed Deum qui Via, Veritas et Vita est.

CAPUT XXV.

OPERA EXTERIORA SPIRITU INTERIORI ANIMANDA.

Cavendum ne sensus in actionibus nostris primam sibi sedem usurpet; indè etenim omnia mala emergunt. Sensuum occasus veritatis exortus est. Ideò vix possumus nobis ipsis polliceri aliquid nos egisse quòd omni ex parte bonum fuerit, quia licèt gratia impellente et cooperante, multa propter Deum operari cœperimus, non sumus gratiæ fideles, statimque labimur ad nos ipsos. Episcopo Sardis dictum est ab Angelo: *Non... invenio opera tua plena coram Deo meo* (1). Nam preces, jejunia, eleemosynæ et alia ejusdem generis opera plena sunt coram hominibus, qui solam faciem vident, sed vacua coram Deo qui intuetur cor, nisi purâ et simplici intentione Divini beneplaciti perficiendi, et spiritui interiori impleantur. In Evangelio decem Virgines commemorantur,

(1) Apoc., iii, 2.

quarum quinque fatuæ exclusæ sunt à nuptiis, non defectu virginitatis, aut lampadarum sive operationum, sed quia defecit oleum bonæ intentionis et sanctarum affectionum. Idem nobis eveniet, nisi opera nostra spiritu interiori et Dei amore animentur, ut placeant Deo. Vita exterior apud omnes Christianos eadem est, sed sicut horologii extima facies ab interioribus rotis pendet, et ab intimâ corporis constitutione vividus color procedit; ita boni à malis ex interiori spiritu discernuntur. Regnum Dei intrâ nos est.

CAPUT XXVI.

OPERUM PERFECTIO UNDE ORIATUR.

Sicut qui multum comedunt semper viribus imbecilles sunt, corpore malè affecto et ad extremam maciem redactò; quia nimirum stomachi sui mensuram ignorantes, plus illi ingerunt quàm ferre possit: alii ex adverso frugali mensâ contenti, quia cibum exiguum sumunt et qui facilè digeritur, validis semper viribus sunt, et ad extremam senectulem incolumem vitam producunt. Ita nonnulli, quamvis multa peragant opera bona, nihil ferè in via Christianæ perfectionis proficiunt, quia videlicet præpostero cursu ambulantes, tunc se maximè progredi putant, cùm plura, quamvis remissè et segniter operantur, cùm potius eniti debeant, ut ea quæ agunt ferventiùs in dies et perfectiùs peragant; in hoc enim

operandi modo perfectionis incrementum consistit, non in tepida operum congerie et multiplicatione. Aliiverò parùm operantur et in Amore Dei plurimùm crescunt, quia quæcumque faciunt, etsi minima et pauca sint, majori semper fervore ac puriori intentione perficere student: atque ita se gerunt in omnibus operibus suis, ut in fine singulorum magnum illud verbum Christi in cruce pendentis non immeritò usurpare queant: *Consummatum est* (1). Perfeci quod Deus à me in hoc opere exigebat, ferventer et quantum imbecillitas mea cognovit et potuit sine imperfectione, quantum scilicet et velle et operari ille dedit mihi, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* (2). Eadem ratione sic quamlibet diem transigunt, ut nocte adveniente possint fidenter dicere: *Consummatum est*. Sic denique vitam instituunt, ut ejus cursu peracto, verè affirmare queant, se omnia consummasse quæ Deus illis præceperat. Qui sic vivit, Christianè vivit, nec timebit in die mala.

CAPUT XXVII.

PRÆSENTIÆ DEI UTILITAS.

Nullum præstantius documentum ad quælibet opera exactè perficienda, quam Deum in singulis rebus intimè præsentem intueri, qui eis motum et

(1) Joan., xix, 30.

(2) *Ibid.*, xv, 5.

vitam, et esse largitur, et omnia in omnibus operatur. Hæc nobis necessitas indicta est, omnia opera nostra optimè peragendi; quia Dei obtutum intimos quosque recessus penetrantem effugere nunquam valemus. Ipse nos replet in quo vivimus, movemur et sumus; nec unquam nos deserit, nisi ab ipso aversi ad creaturas convertamur. Hæc autem sunt veteris Adæ corrupta semina quæ in nobis vigent, prava scilicet affectio ad sensuum illecebras, quibus à Dei præsentia mens evocatur. Si enim ab amore creaturarum liberi essemus, Deum procul dubiò in omni loco præsentem cerneremus, quemadmodum Christus spondit, dicens: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* (1). Verè magna et inexplicabilis est multitudo Divinæ dulcedinis quam Deus abscondit timentibus se, sed reverà abscondita est, et illi soli eam percipiunt qui vident et gustant quam dulcis est Dominus. Neque enim satis est habere thesaurum ut quis dives sit, sed scire insuper debet se illum possidere, ejusque pretium et usum agnoscere. Nos autem in nobis thesaurum habemus immensum et inæstimabilis pretii, summum et infinitum bonum: cur ipsum negligimus, et post atomos apparentium bonorum currimus, quæ solum nostram explere non possunt? *Filii hominum usquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium* (2), cum Deo præsentem omni momento frui possitis? Divites sumus et nescimus. Beatorum spirituum felicitatem præ gustare possumus et non curamus: quia nimirum

(1) Mat., v, 8.

(2) Psalm., lv, 5.

parti inferiori ac sensibus jugis Dei præsencia molesta et gravis est, et vim quam patiuntur conantur excutere, et partem superiorem ad se trahere. Et quia divina consolatio aliquando subtrahitur, ad terrenam protinus labimur, nisi per fidem Deum præsentem intueri et cum eo intimo affectu miscere colloquia satagamus. Hoc documento ipsemet Deus patrem credentium Abrahamum ad perfectionem erudit, dicens: *Ambula coram me, et esto perfectus* (1). David quoque in psalmo ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper... Propter hoc lætatum est cor meum* (2). Jugi enim lætitiæ fruitur, qui fontem omnium honorum præsentem habet.

CAPUT XXVIII.

CUR DIFFICILIS VIDEATUR SANCTORUM IMITATIO.

Ad exempla Sanctorum vitam, mores et actiones nostras componere difficillimum arbitramur, quia ipsos mente concipimus quasi homines alterius naturæ exutos corpore, cœlestis patriæ possessione beatos, ubi nemo irascitur, nemo concupiscit, nemo entatur: ubi pax summa; lætitiæ inenarrabilis, lux splendidissima, et status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed si reverà, uti par est, illorum cupimus sequi vestigià, aliter considerandi sunt.

(1) Genes., xvii, 1.

(2) Ps., xv, 8.

Homines enim mortales fuerunt similes nobis, eadem corporis sarcinâ onusti, eadem tabe carnalis concupiscentiæ infecti, iisdem malis et periculis obnoxii: et nihilominus per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, et fecerunt mirabilia in vita sua. *Elias*, ut *Jacobus* Apostolus scribit (1), *homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursùm oravit: et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.* Idem de aliis dici potest, quorum insignem sanctitatem et heroica gesta miramur, nobis enim similes et ex eodem luto compacti, atque iisdem tentationibus, dum in hac terra essent, expositi fuerunt; sed infinito propè intervallo à nobis disjuncti, in hoc dissimiles inventi sunt, quod carnis fragilitatem, mundi superbiam, dæmonum insidias, invictâ animi virtute superarunt. Quid igitur tergiversamur? Facile est volentibus eorum opera imitari, si exuto desidiæ veterno, non nostris viribus, sed ope divina confisi, ad illud sanctitatis fastigium conemur ascendere, ad quod ipsi feliciter pervenerunt. Magna pars sanctitatis est, ejus efficax desiderium.

CAPUT XXIX.

OMNIA AD GLORIAM DEI REFERENDA.

Sententia Apostoli est, omnia opera nostra ad Deum ejusque gloriam referenda esse, ut veræ virtutis

(1) Jac., v, 17.

rationem consequantur. *Sive... inquit, manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite* (1), et alio loco : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESU CHRISTI, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum* (2). Quidquid enim boni à nobis fit quod non fit propter Deum, et si officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine, malum est : finibus enim non officiis virtutes à vitiis discernuntur. Est autem officium id quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est. Quod si rebus creatis inhæremus, et ipsas propter se diligimus sine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est, dicente Joanne Apostolo : *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt* (3). Ratio est quia in hoc mundo tanquam peregrini sumus et viatores, qui ad patriam pergimus; creaturis autem uti debemus tanquam vehiculis, quibus recto itinere eò feramur quò tendimus. Deus verò diligendus est propter se ipsum, quia summum bonum est et finis ultimus in quo solo requies, appetitus, securitas fruitionis et tranquillissimum gaudium invenitur. Hunc finem si quis ignorat, rectè quoque vivendi rationem ignorat. Cognito autem rerum omnium fine, jam scimus quò dirigendæ sint actiones nostræ et quò omnium virtutum officia referri debeant. Hinc Theologi, licet unanimi consensu, asserant quasdam actiones humanas nec bonas ex se nec malas esse, quales sunt ambulare, comedere, dor-

(1) I. Cor., x, 31.

(2) Col., iii, 17.

(3) I. Joan., ii, 15.

mire, docent tamen eum peccare qui re ipsa dormit, edit, ambulat, et hæc non refert ad ultimum finem, quia deficit à primâ et universali regulâ humanarum actionum, quæ est idem finis ad quem quidquid agimus dirigere oportet. Et hoc est quod Dominus dixit : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit* (1). Oculus iste intentio est quâ quisque peragit opus suum, quæ quidem intentio si non fuerit recta, totum opus tenebrosum erit. Non est autem recta operantis intentio, nisi quidquid agit ad summum bonum, veluti ad fontem refundat. Omne bonum desorsum est, et quidquid ab illo deflectit malum est.

CAPUT XXX.

RADIX OMNIUM MALORUM AMOR SUI.

Postquàm primus hominum parens se ipsum immoderatè amans in grande illud peccatum lapsus est, per quod totum genus humanum mortî, ignorantæ et concupiscentiæ obnoxium generatur et nascitur, tantâ caligine natura nostra repleta est, tantoque pondere ad terram allisa, ut Deo relicto in se ipsam dellexerit, et amisso sensu spiritualis jucunditatis ad sensuum voluptates effusa sit. Hinc

(1) Mat., vi, 22.

009391

rationem consequantur. *Sive... inquit, manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite* (1), et alio loco : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESU CHRISTI, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum* (2). Quidquid enim boni à nobis fit quod non fit propter Deum, et si officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine, malum est : finibus enim non officiis virtutes à vitiis discernuntur. Est autem officium id quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est. Quod si rebus creatis inhæremus, et ipsas propter se diligimus sine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est, dicente Joanne Apostolo : *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt* (3). Ratio est quia in hoc mundo tanquam peregrini sumus et viatores, qui ad patriam pergimus; creaturis autem uti debemus tanquam vehiculis, quibus recto itinere eò feramur quò tendimus. Deus verò diligendus est propter se ipsum, quia summum bonum est et finis ultimus in quo solo requies, appetitus, securitas fruitionis et tranquillissimum gaudium invenitur. Hunc finem si quis ignorat, rectè quoque vivendi rationem ignorat. Cognito autem rerum omnium fine, jam scimus quò dirigendæ sint actiones nostræ et quò omnium virtutum officia referri debeant. Hinc Theologi, licet unanimi consensu, asserant quasdam actiones humanas nec bonas ex se nec malas esse, quales sunt ambulare, comedere, dor-

(1) I. Cor., x, 31.

(2) Col., iii, 17.

(3) I. Joan., ii, 15.

mire, docent tamen eum peccare qui re ipsa dormit, edit, ambulat, et hæc non refert ad ultimum finem, quia deficit à primâ et universali regulâ humanarum actionum, quæ est idem finis ad quem quidquid agimus dirigere oportet. Et hoc est quod Dominus dixit : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit* (1). Oculus iste intentio est quâ quisque peragit opus suum, quæ quidem intentio si non fuerit recta, totum opus tenebrosum erit. Non est autem recta operantis intentio, nisi quidquid agit ad summum bonum, veluti ad fontem refundat. Omne bonum desorsum est, et quidquid ab illo deflectit malum est.

CAPUT XXX.

RADIX OMNIUM MALORUM AMOR SUI.

Postquàm primus hominum parens se ipsum immoderatè amans in grande illud peccatum lapsus est, per quod totum genus humanum morti, ignorantæ et concupiscentiæ obnoxium generatur et nascitur, tantâ caligine natura nostra repleta est, tantoque pondere ad terram allisa, ut Deo relicto in se ipsam dellexerit, et amisso sensu spiritualis jucunditatis ad sensuum voluptates effusa sit. Hinc

(1) Mat., vi, 22.

009391

dira tyrannis orta est, quam pessimus virtutum omnium hostis, amor sui, in omnes exercet, cujus imperio obsequentes nihil in nostris operationibus quaerimus nisi commoda, honores et delicias. *Legi enim Dei caro non est subjecta: nec enim potest* (1), sicut ait Apostolus; omnes siquidem ejus instinctus et motus ad peccatum impellunt, et in horribili damnationis statu nos constituunt. Nihil verò commodis nostris magis adversatur quam proprius amor, qui ad ea quaerenda tanto nos ardore impellit. Cum enim Deus omnia referri ad se tanquam ad ultimum finem praceperit, qui se in omnibus et suam utilitatem respicit, nihil certè ex operibus suis refert, quod sibi utile sit ad vitam aeternam promerendam; ergò, ut ibidem infert Doctor gentium: *Debatores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ad hoc urget nos Christiana religio, ut, sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita ipsa exhibeamus servire justitiae in sanctificationem. *Sancti eritis*, dicit Dominus, *quia ego sanctus sum* (2). Amor sui et propensio ad propria commoda impedit intellectum, ne principia et documenta Christianae vitae percipiat. Quis enim poterit amanti se ipsum persuadere, omnia quae diligit mundus vana esse et nullius momenti: honores et dignitates nihil aliud esse quam splendidam servitutem et afflictionem spiritus: viri fortis et magnanimi esse ignoscere inimicis, et his qui oderunt nos

(1) Rom., viii, 7.

(2) Levit., xi, 45.

benefacere: satius esse divitias spernere quam habere: gloriosius esse propter Deum subesse quam dominari: laudabilius vincere se ipsum et coercere appetitum quam munitissimas arces expugnare? Haec sanè dura videntur et incredibilia diligenti se ipsum, quia immoderato sui amore quasi vinculis et catenis inextricabilibus terrae affixus, solis terrenis commodis ac delectationibus alligatur. Filii autem Dei spiritu Dei aguntur, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant. Quod si quaedam opera carnis faciunt, ex quibus expediri in hac mortalitate non possunt, ad ea se duci non sinunt ex proprio sui amore, sed ex principio supernaturali, prava desideria continuè carnis maceratione coercentes. Aiunt sui amatores discretionem in his quae ad corpus spectant, necessariam esse: sed illa optanda et adhibenda quae de caelo est; nam prudentia carnis mors est.

CAPUT XXXI.

AMOR SUI BABYLONEM EDIFICAVIT.

Constituit Deus hominem in paradiso, sed ab Adamo in quo omnes peccavimus, à paradiso in hunc mundum, à Jerosolymis in Babylonem, à patriam in exilium, à libertate in servitutem, ab integritate in corruptionem, à vitam in mortem translatus sumus. Sic collapsi à veritate in vanitatem, non solum similes evasimus vanitati, sed ut ait psalmus:

Universa vanitas, omnis homo vivens (1). Vanus est enim secundum corpus, quod in corruptionem et in mortem desinit; vanus secundum animam, quæ serviens iniquitati se ream mortis æternæ facit: vanus quoad exteriora quæ pereunt, et in morte relinquenda sunt. Hanc tamen vanitatem ardenti amore prosequimur, hæc mendacia sollicitè quærimus quæ infinitis erroribus nos implicant, et ex civibus supernæ Jerusalem cives efficiunt diabolicæ Babylonis. Has duas civitates duo amores fecerunt: nam civitatem Dei Jerusalem fecit amor Dei usque ad contemptum sui; Satanæ verò civitatem quæ Babylon dicitur, fecit amor sui usque ad contemptum Dei. Iter ad hanc spatiosum est et breve, iter ad illam arctum, arduum et longum: facilius enim est in terram labi et in infernum descendere, quàm ad cælum elevari. Se ipsum igitur quisque discutiat et videat quid amet, nam si Deum amat et se ipsum spernit, cœlestis Jerusalem civis est: si autem se impensius amat, ad Babylonem spectat, è qua nobis exeundum esse clamat Scriptura, dicens: *Egredimini de Babylone* (2); et alio loco: *Recedite de medio Babylonis* (3). Psalmista quoque ait: *Filia Babylonis misera... abeatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram* (4). Tunc autem eximus de Babylone, cum à confusione vitiorum recedimus: tunc parvulos Babylonis, malas scilicet cupiditates, ad petram allidimus, cum Christi amore noxia de-

(1) Ps., xxxviii, 6.

(2) Isai., xlviii, 20.

(3) Jerem., l, 8.

(4) Ps., cxxxvi, 8.

sideria excindimus et superamus. Amor sui mors animæ est, amor Dei vita: non ergò se amat qui se amando vitam perdit.

CAPUT XXXII.

OMNES SEIPSOS QUÆRUNT ETIAM IN REBUS SANCTIS.

Hoc certè mirabile est quod cum tanta diversitas hominum, humanarumque propensionum sit; omnes tamen unanimiter in hoc conveniunt, quod nemo sibi vilis est, nemo alteri cedere aut subjici vult, nec quisquam est adeò abjectæ conditionis, qui non putet se aliquid esse, et apud alios in pretio haberi non desideret. Omnes cupiunt super alios eminere; omnes ignoscunt sibi, aliis nunquam: opiniones suas pertinaciter omnes sustinent, res suas admiran- tur, proprias tantum adventiones et placita probant, aliena rejiciunt: ignorantiam suam instar sapientiæ ostentant, et cum nihil sciunt, nihil se ignorare arbitrantur. Vitia quæ habent tegunt, et justitiam simulant quam non habent, frustra reclamante conscientia. Sed multò mirabilis est, quòd ipsi etiam viri probi, qui nihil aliud quærere videntur quàm divinum beneplacitum ejusque gloriam et honorem, occulto tamen et aliquando vix perceptibili corruptæ naturæ instinctu in seipsos diffluunt, operantes quod bonum et justum est, non ut placeant Deo, sed ut ea mentis jucunditate fruantur quæ ex bonis operibus emanat. Quem laqueum viris spiritualibus

eò subtiliùs amor sui tendere solet, quò res sanctior et melior est. Quid tam sanctum quam Dei mandatis obedire, Scripturas legere, in Ecclesia prædicare, frequentare Sacramenta, et ad altare Domini ministrare? Hæc autem cupiditas laudis inquinare solet, et nisi cor suum omni diligentia custodierit homo, omnis labor ejus irritus est. *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, inquit Apostolus (1), charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens.* Et si quis distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, et tradiderit corpus suum ita ut ardeat, nisi hoc purè fiat ob amorem Dei, nihil prodest. Simili modo Aggæus Propheta ait: *Comedistis, et non estis satii: bibistis, et non estis inebriati... et qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum (2);* quia nimirum nihil prosunt opera bona, cum quis seipsum in illis quærit, et non Deum. Cum igitur naturæ semper et ubique seipsam quærentis fraudes et doli subtilissimi sint, omnes animi recessus perscrutari, et sollicitè præcavere debemus, ne in principio, medio et fine actionum nostrarum, aliqua ratio se immisceat proprii emolumenti, quantumvis sancta et honesta videatur. Vitæ Christianæ disciplina hæc est, non quærere nec amare nisi quod Dei est, et odisse quod proprium est.

(1) I. Cor., xiii, 1.

(2) Agg., i, 8.

CAPUT XXXIII.

QUÆ SCIRE DEBEAT OMNIS CHRISTIANUS.

Scire debet omnis Christianus quæ sint præcepta divina et humana, ad quæ servanda quisquis tenetur. Divina sunt illa quæ in Decalogo continentur, itemque præcepta Fidei, Spei et Charitatis. Fides obligat omnes ad ea credenda quæ singulis fidelibus in Symbolo proposita sunt. Spe vitam æternam et quæ ad eam obtinendam sunt necessaria, nos consequi posse confidimus *Dei gratia*, et nostra operatione; quæ omnia à Deo petimus, cum Dominicam orationem recitamus. Charitatis lege obstringimur Deum diligere super omnia et proximum sicut nos ipsos. His virtutibus perficitur homo: nam Fides mentem illuminat et dirigit, Spes voluntatem ad Deum erigit, Charitas nos Deo unit. Est etiam præter prædicta præceptum sumendi Baptismum et Eucharistiam, ac confitendi peccata, licet de his nihil Ecclesia præciperet. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei (1): et nisi manducaverimus Carnem Christi et biberimus ejus Sanguinem, non habebimus vitam in nobis (2). Pœnitentia autem à Deo illis parata est, qui baptismalem innocentiam supervenientibus culpis perdidit. Sunt denique humanæ leges ab Ecclesiastica vel sæculari potestate sancitæ quas nosse oportet.

(1) Joan., iii, 5.

(2) Ibid., vi, 54.

let, ut illis quâ par est humilitate pareamus. Verùm ad hæc præstanda nemo idoneus esse potest, nisi ab ejus mente ignorantiae tenebras lux vera discusserit; sicut scriptum est: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tuâ docueris eum* (1). Homo enim post peccatum sedet in tenebris et in umbrâ mortis, bonumque vel malum non ex regulâ veritatis, sed ex suâ cupiditate metitur. Divinum igitur auxilium implorandum est, ut qui jussit quod vult, det nobis quod jubet, dispellens caliginem et sanans languorem, expellens cupiditatem et infundens Charitatem, quoniam finis præcepti est Charitas; et qui verè Deum amat, omnibus mandatis ejus sine exceptione obsequitur.

CAPUT XXXIV.

INTERIORIS ET EXTERIORIS HOMINIS DIFFERENTIA.

Non de hoc tempore, non de hoc mundo Spes nostra est; neque ad præsentis vitæ bona, neque ad eam felicitatem quam plerique mortalium sectantur conditi sumus, sed ad æternam quam Deus promisit, et homo nondum capit; sicut scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* (2). Cùm igitur ad gloriam sempiternam ab origine mundi nobis paratam destinati

(1) Ps., xciii, 12.

(2) I. Cor., ii, 9.

simus, error gravissimus est, non æternis, sed humanis rationibus in nostris operationibus duci, vitæque instituere non gratiæ divinæ instinctu, sed ex principiis naturæ. Felices sunt qui intima penetrant, qui cum Deo intus morantur, et nulla affectione foris tenentur. Hi sunt homines interiores, qui ad arcana Dei percipienda disponunt se, et eum in se loquentem audiunt. Qui verò rebus exterioribus moventur, qui libenter rumores audiunt, qui theatra avidè spectant, licèt honestas satagant vanitatis suæ causas prætexere, divisi sunt, interiores non sunt, sibi adhærent, non Deo; delicias mundi quærunt, non cæli. Lumen quippè illis deest ad rerum divinarum notitiam necessarium; quia eas nunquam, vel rarò et obiter meditantur, undè fit, ut de bonis æternis parùm solliciti. *Ambulant in vanitate sensus sui* (1)... sicut ait Apostolus, *alienati à vitâ Dei per ignorantiam*. Quò magis enim proficit homo in prudentiâ carnis, eò magis ignorat quæ Dei sunt: tantùmque detrahatur divino amori, quantum impenditur creaturis.

CAPUT XXXV.

QUAM PERNICIOSUM SIT FALSAS RERUM IDEAS MENTE CONCIPERE.

Sapiens est qui suis momentis ponderat res et aestimat prout sunt, non sicut prædicantur et æsti-

(1) Ephes., iv, 17.

mantur ab hominibus. Quælibet enim res duas veluti facies habet, unam veram, alteram fucatam et apparentem. Vera est quæ divinis rationibus et ideæ in mente Dei existenti conformis est: altera secundum ideas et affectus hominum; et secundum pravas amoris proprii præscriptiones efformatur. Sic Episcopatus, ut hoc utar exemplo, secundum veram et divinam ideam est onus Angelicis humeris formidandum, et servitus quæ tenetur Episcopus animarum salutem consulere ad præscriptum divinarum et Apostolicarum institutionum, strictissimam de illis rationem Deo redditurus in die iudicii. In idea autem hominum Episcopatus est dignitas ad quam qui promovetur gradum conspicuum in Ecclesia obtinet, divitias adipiscitur et ab omnibus honoratur. Unde fit ut qui Episcopatum respicit secundum veram ideam timeat, fugiat, et oblatum constanter recuset: qui verò ipsum desiderat et omni conatu consequi nititur, falsas hominum ideas in mente habet, se ipsum quærens, non Deum. Idem de aliis gradibus et dignitatibus tam Ecclesiasticis quam mundanis dicendum est: atque hinc oritur totius orbis omniumque ordinum perversitas et perturbatio, quod veras rerum ideas et definitiones plerique ignorant, et hujus mundi tenebris ac præstigiis assueti veritatem oderunt, nec idonei sunt ad divinum lumen recipiendum, quod non nisi mundis corde communicatur. Vocabula usurpantur heroicis Sanctorum virtutibus, Christique Sanguine consecrata; et hi quidem Episcopi, illi Sacerdotes aut Diaconi, quidam Monachi et Religiosi, alii Reges et Principes, et Judices populi; omnes autem Christiani nun-

cupantur: sed quale sit horum nominum pretium, quæ vis et significatio, quibus virtutibus excellere debeant qui in prædictis gradibus sunt constituti, quæ singulorum idea sit, quæ leges, quæ officia, quæ definitio, nemo scit, nemo investigat; rebusque neglectis sola remansit titulorum majestas et rerum umbra ac inanis imago. Nemo se talem exhibet qualis dicitur, nemo sequitur Christi vestigia. Hoc autem malum operatur in nobis amor sui, vitium pessimum et subtilissimum quod vix peritissimi agnoscunt, vix sanctissimi vincunt. Bona verò et mala hujus vitæ, si veras eorum ideas respiciamus, vix ullum discrimen admittunt, utraque enim vana sunt et momentanea, et quasi nihilum computantur. Ideò David, vir secundum cor Dei, solam æternitatem mente versabat dicens: *Cogitavi dies antiquos: et annos æternos in mente habui* (1). Et filius ejus Salomon, omnium mortalium sapientissimus, recensitis omnibus tam bonis quam malis hujus vitæ, exclamat et concludit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (2).

CAPUT XXXVI.

TRIA CHRISTIANO NECESSARIA, UT SIBI ATTENDAT, UT TEMPUS
BENE EXPENDAT, UT REGIË UTATUR SACRAMENTIS.

Fidelitati quam Deo debemus tria præcipue sunt necessaria. Primum est jugis attentio ad nos ipsos

(1) Ps., LXXVI, 6.

(2) Eccl., I, 2.

et ad ea quæ operamur, cujus defectu à recto tramite aberrantes per inuia et aspera proficiscimur, nostramque felicitatem quærimus ubi non est, et, si ab alio ostendatur, non credimus. Usum rationis homo à feris, Fide ab infidelibus distinguitur. Cum ergo temerè, sordidè, inconsideratè, ventris vel gloriæ causâ et cum impetu aliquid agit, perit hominis officium et ad feras declinat. Cum verò propter se et sua commoda ad agendum movetur, cum infidelibus computatur. Sicut artem perficiunt opera quæ secundum artis præscriptum fiunt; ita hominem fortem, justum, modestum, prudentem faciunt opera quæ fortiter, justè, modestè, prudenter fiunt.

Secundum est bonus temporis usus à cujus momento pendet æternitas. Monent Philosophi solam rerum salubrium notitiam viro sapienti non sufficere, sed studium etiam necessarium esse, nec permittendum ut ulla exercendæ virtutis occasio elabatur. Volat enim irrevocabile tempus, et quod inutiliter transigitur nemo restituere potest. Volat tempus, et non advertit insipiens quid amittat. Juvat nimirum confabulari et genio indulgere, donec transeat dies; et sic teritur tempus acceptabile, sic dies et horæ prætereunt quas ad veniam obtinendam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericors Deus indulget. Quòd si de verbo otioso, quod nullam scilicet rationabilem causam habet, rationem reddituri sumus, quantò magis de tempore inutiliter transacto?

Tertium est rectus usus Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, ex quorum frequentia parum proficimus, quia frigidè ac sine prævia dispositione

ad ea accedimus. Proprii verò illorum fructus sunt, si ex pœnitentia crescit in nobis humilitas et amor propriæ abjectionis: ex Eucharistia suavitas et mansuetudo erga proximum et amor erga Deum. Sicut avarus, diu noctuque divitiis inhians, nihil cogitat nisi lucrum et pecuniam; ita qui sæpius hæc Sacramenta suscipit, sicut oportet, semper ad Deum anhelat, nec aliud potest sine ingenti molestia cogitare. Vitæ perfectæ fundamentum hoc est, omnimoda abstractio à rebus omnibus quæ Deus non sunt.

CAPUT XXXVII.

POENITENTIAM OMNIBUS CHRISTIANIS NECESSARIAM ESSE.

Omnis Christianus sic vivere, sic mori debet, ut continuo luctu et squalore ostendat se pœnitentem esse, qui pro peccatis commissis satisfacere satagit et ab omni labe purgari. Hoc initium fuit, hæc summa Evangelicæ prædicationis: *Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (1). Ipsemet JESUS, dux et legifer noster, cum se primum hominibus manifestavit: *Venit... in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitentini et credite Evangelio* (2). Et alius Evangelista ait:

(1) Marc., 1, 4.

(2) Ibid., 1, 14.

Cæpit JESUS prædicare et dicere : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum (1). Præmissa est pœnitentia tanquam dispositio ad suscipiendum Evangelium, ut anima ab omni macula emundata idonea fieret ad gratiam Dei recipiendam, quæ in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore subdito peccatis. Sacrificium placabile et Deo gratum est, cum homo resipiscens se deliquisse fatetur, et, agnoscens iniquitatem suam, veniam contrito corde à Deo postulat quem offendit. Hoc maximum peccati malum est contemptus Dei, nam qui peccat, Deum spernit et odit: cujus flagitii et perversitatis causa est defectus Fidei et considerationis. Quis enim tantæ dementiæ et temeritatis foret ut legem Dei violare et transgredi auderet si verè crederet et intelligeret quid sit Deus et quid sit ipsum offendere, cujus summa bonitas, infinita potentia et tremenda majestas? Ad hanc abyssum profundissimam miseriarum nos culpa originalis dejecit, ut secreta quadam aversione, velut insani, fugiamus à Deo, ipsoque derelicto in quo sunt omnia bona, voluemur in cœno, fluxis et fucatis bonis adhærentes, vel quia latet veritas, vel quia compellit infirmitas. Quanta sit autem et quam deplorabilis hæc cœcitas, nemo comprehendere potest, nisi attentius meditetur tantam esse peccati malitiam, ut sola unigeniti Filii Dei acerbissimâ passione et morte expiari potuerit. Si igitur hoc verè credimus, si peccata nostra eorumque gravitatem perpendimus, ita dies nostri cum dolore et mœnore transigendi sunt, ut ostendamus nos veluti reos esse, qui omni momento suæ dam-

(1) Mat., iv, 17.

nationis sententiam præstolantur. Facile omne peccatum à Deo condonatur, cum pœnitentiâ et meliori vitâ corrigitur.

CAPUT XXXVIII.

SIGNA ET FRUCTUS VERÆ PŒNITENTIÆ.

Nunquam poterunt evitari peccata, nisi sit in anima ingens eorum horror et odium: nec diuturna erunt opera pœnitentiæ, nisi sit in anima ardens desiderium acquirendæ perfectionis. Ad Sacramentum autem pœnitentiæ nunquam accedendum est, nisi præter contritionem et voluntatem non amplius peccandi, aliquid semper speciale peccatum, præcis omnibus ejus occasionibus, deponatur. Et hoc erit præcipuum confessionum emolumentum, facere fructus dignos pœnitentiæ, omnem scilicet Dei offensam detestari, tremendum ejus judicium perhorrescere, se ipsum cum rubore et confusione arguere, ad omnem satisfactionem se paratum exhibere, omnem appetitum Divinæ legi contrarium coercere, omnia peccandi pericula evitare, humilitatem sui que contemptum libenter amplecti, conscientiam suam frequenter discutere, et omnes ejus sinus ac latebras diligentissimè perscrutari; eradicare, destruere, evellere ab anima quod pravum est; tum in ea serere, plantare, ædificare quod sanctum et perfectum est. Qui hoc spiritu imbutus est, peccata sua ante oculos habet,

aliena post tergum : de suis dolet, aliena non respicit : sua castigat, aliena excusat. Pericula timet, in quibus versatur, quæ multa sunt et assiduâ observatione præcavenda. Semper enim ad malum impellunt arcta societas et inevitabilis necessitudo cum rebus et personis, quæ ad peccandum alliciunt; habitus vitiosi dudum contracti, et proclivitas ad lapsum, quæ multo major est, quam homines communiter credant; nam cum naturæ congenita sit, se blandè ac fraudulenter in animum insinuat, rationis debile lumen obscurat, ipsamque conscientiam suffocat et sopit, ne ullo peccati sensu tangatur : atque ita fit, ut multa quotidie perpetrentur, quorum sensum adimit affectus, qui in ipsa præcipitat, et notitiam eorum tollit ipse usus malorum. Hoc videlicet habet infelix consuetudo peccandi, ut, quanto ampliùs quisque delinquit, eò magis mentis intuitus obscuretur.

CAPUT XXXIX.

PECCATA LEVIORA ET VITIA QUOMODO CORRIGI ET
EXTIRPARI DEBEANT.

Peccata leviora, quæ venialia dicuntur, quam facilè perpetrantur? Nemo tamen ignorat hæc levia non esse, quæ Deum magnum offendunt, ac propterea acerbissimis pœnis in altera vita expianda sunt. Quia verò ab his omnibus sine speciali Dei gratia nemo potest abstinere, omni saltem conatu

enitendum est, ut eorum numerus quotidie minuat, et unumquodque contrariæ virtutis studio sigillatim exterminetur. Sicut grassante pestilentia non solum homines lue infecti, sed illorum quoque supellex et quidquid ad illos spectat sollicitè evitantur, ne alios pestilenti morbo inficiant; ita cum agitur de peccatis tametsi levioribus, non ipsa solum timere et fugere oportet, sed quidquid ad illa inducit, vel ex eis oritur, ne mortiferum virus in incautos spargant. Omni ferè momento subtilissimè sese insinuant diversæ occasione s curiositatis, loquacitatis, scurrilitatis, iræ, contentionis, impatientiæ, evagationis, et aliarum ejusdem generis culparum et imperfectionum; et quia istæ nedum evitari, sed vix percipi possunt, hoc omninò curandum est, ut saltem ex animo omnis erga illas affectus, nequidquam reluctante naturâ, evellatur : alioquin permanente erga illas affectu, nec emendari unquam poterunt, nec remitti, etsi centies Ecclesiæ clavibus in Sacramento pœnitentiæ subjiciantur. Scio quidem de his levioribus noxis scriptum esse, *Septies cadit justus* : verumtamen ipse vir justus sic vivit, ut in eas nunquam labatur, nisi ex fragilitate, vel subreptione. Quod verò attinet ad vitia, qui cupit ea radicitus extirpare, debet, imprimis cum pravus motus excitatur, ipsum coercere, tum actum contrariæ virtutis elicere : ut, si quis injuriâ afficiatur, primò quidem iræ motum frænabit, tum actum elicit patientiæ et humilitatis, gaudens se pati quod meretur, idque sæpius sibi contingere optabit : mox illum sincerè diliget qui contumeliam irrogavit, eique alacriter beneficium

rependere paratus erit, quoties sese occasio obtulerit; neque enim sufficit declinare à malo, nisi quis studeat et benè operari; nec servus benè mereri de domino suo censendus est, quia nec verbera illi, nec contumelias infert, nisi quoque fideliter illi seruiat, et jussis ejus exactè obtemperet. Et in hoc multi falluntur, qui salutem suam in tuto positam arbitrantur, quia putant se nihil mali operari, omitentes interim quæ officii sui sunt, et virtutis studium negligentes: *Declina à malo, ait psalmus, et fac bonum* (1). Utrumque enim necessarium est, et mala non perpetrare, et quæ ad munus proprium spectant, non omittere.

CAPUT XL.

VIROS ECCLESIASTICOS ET RELIGIOSOS STRICTIUS TENERI AD PERFECTIONEM.

Quamvis norma et institutio Christianæ perfectionis universis Christi fidelibus tradita sit, non solis Religiosis, ut supra ostendimus, nemo tamen inficiari potest quin strictiùs ad eam teneantur qui se voto solemnè vel in Religione approbata, vel in statu Clericali Domino consecrarunt. In his siquidem statibus constituti non solum seipsos sanctificare, sed reliquos quoque fideles verbo et exemplo instruere, illuminare, et ad salutem perducere debent. Nihil in hoc negligendum, nam parva re-

(1) Ps., xxxvi, 27.

missio maxima jactura est. Ideò ita eos vivere, ita virtutibus incumbere oportet, ita cum cæteris hominibus se gerere, ut ab eorum colloquio et consortio revertantur percipientes pectora sua, et dicentes: Verè filii Dei sunt isti. Sicut vir religiosus cujuscumque domini se incapacem fatetur ob votum paupertatis; ita judicare debet appetitum suum et voluntatem non esse in sua potestate propter votum obedientiæ, nec illis posse pro suo arbitrio uti. Ille autem verè pauper et obediens censetur, qui se rebus omnibus etiam ad vitam necessariis libenter et læto animo exuit, qui ad omnem Superioris nutum, sive grata, sive molesta præcipiat, semper obedire paratus est. At è contrario qui ob rerum penuriam tædio afficitur et murmurat, qui mandatis invitatus pareat, religiosus non est. Neque enim in alio, ut ita dicam, elemento vivere debet, quàm in sui contemptu et abiectione, rerumque omnium abdicatione, ut Christo conformis sit, qui nihil possidens in hoc mundo factus est Patri obediens usque ad mortem. Quid prodest Christi Domini Sanctorumque gesta legere et celebrare, si ea sic legimus et laudamus, ac si ad nos nullo modo pertinerent? Hæc nobis proposita sunt, ut ad eorum normam et typum vitam nostram instituamus. Nihil Religioso perniciosius quàm securitas et libertas, cum omnia ei ad nutum eveniunt, omnia fiunt prout vult. Dicebat quidam vir sanctus, nullum esse religiosum in Cælis, qui non fuerit martyr in terris: vita quippè religiosi ad præscriptum suæ Regulæ strictè viventis incruentum martyrium est. Causa verò potissima ob quam

plerique in Religione irregulariter vivunt, ex defectu considerationis oritur, quia nec perpendunt, nec penetrant quanta sit Status religiosi sublimitas, et quam noxia sit omnis vel minima regularis disciplinae relaxatio. Hinc verò paulatim provenit propriae vocationis oblivio, orationis atque aliarum exercitationum omissio; tum variis subtilitatibus et argumentis, quæ à proprio amore suggeruntur, disciplinae contemptum excusare nituntur: et quia interiori spiritus suavitate destituti sunt, solatium foris quærunt à creaturis. Pauci sunt qui in simplicitate cordis sui per spinosa crucis itinera Christum sequantur. Turba verò errantium maxima est, unde licitum quodammodo fit, quod plerique faciunt. Cavendum igitur, ne multorum exempla nos perdant; desperata enim dementia est, hominem tepidum et imperfectum in eo statu securè vivere, in quo viri sancti cautè incedentes vix trami-tem tenuerunt.

CAPUT XLI.

RELIGIOSI SUE VOCATIONIS IMMEMORES DESCRIBUNTUR.

Non consistit Spiritus religiosus in exteriori specie, et in habitus ac corporis compositione; sed in spiritu humilitatis, et in interiori cum Deo occupatione. Quia verò infirmitas humanæ naturæ eundem semper rigorem servari non patitur, hinc fit, ut sensim defluat, et ad propria commoda quæ-

renda ruat: ex quo sequitur, ut omnis religio quantumvis optimè instituta, à primæva puritate et fervore recedens, per quosdam vix perceptibiles gradus ad humanum et politicum vivendi modum dilabatur. Ideò plures tam religiosi quam clerici omninò ficti sunt, habitu quidem Ecclesiastici, moribus autem deteriores, quam filii hujus sæculi. Toti sunt in apparatu verborum et cæremoniis, in procurandis dignitatibus, in aucupanda magnatum benevolentia, in cumulandis divitiis. Mille habent diverticula, ut suos distortos fines consequantur, et publico Ecclesiæ bono privatas utilitates anteponant. Habitat in domo Dei, Patri cœlesti prorsus degeneres, et servi Dei dicuntur, cujus mandatis non obediunt. Vitam ducunt omni sollicitudine vacuam, de Christi patrimonio viventes, atque amplis redditibus dotati sunt, ut Deo et Ecclesiæ deserviant: nihil tamen totius anni decursu agunt, quod unius diei alimoniam mereatur. Nunquam desunt illis verba, ut totâ die inutiliter cum hominibus sermones misceant: muta verò fit lingua, deficit sermo, ut vel modico tempore de Deo, vel cum Deo loquantur. Alii verò sunt, qui aversi à propria vocatione, in qua permanendum esse Apostolus monet, ad alium statum quasi perfectiorem aspirant; cumque mores mutare deberent, hanc mutationem differunt, donec sint in alio loco, ad quem nunquam pervenient. Somnia vigilantium ista sunt, et subtilissima diaboli tentatio, nam cœlum non animum, mutant, qui per loca diversa vagantur. Difficile est, ut in alio loco laudabiliter vivat, qui se et sua vitia secum portat.

CAPUT XLII.

OPORTERE RELIGIOSUM A MUNDO ALIENUM ESSE.

Tunc Religiosus sperare poterit, se initium ali-
quod perfectionis habere, cum ipsum homines ode-
rint et despexerint. Unusquisque enim sibi dissi-
miles odit, et Christus Discipulis suis dixit: *Si de
mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret:
quia verò de mundo non estis, sed ego elegeret
de mundo, propterea odit vos mundus* (1). Quod si
religiosus de mundo non est, ita vitam in Monaste-
rio instituere debet, ut modo vivendi ostendat, se
statum pœnitentiæ profiteri ad expianda peccata,
quæ olim in mundo perpetravit. Quò magis autem
à mundi actibus alienus fuerit, eò citius ad apicem
perfectionis perveniet: et quò minus inter gentes
versabitur, eò majori pace, et animi libertate frue-
tur. Facile transitur ad plures, et pravorum exem-
pla sensim bonos ad similia disponunt. *Commisti
sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum: et
servierunt sculptilibus eorum* (2). *Et erit sicut
populus, sic Sacerdos* (3). Nimia quoque familia-
ritas, et assidua cum hominibus consuetudo fastidium
gignit, occulta vitia detegit, contemptum parit, et
fervorem devotionis extinguit. *Nemo mittens ma-*

(1) Joan., xv, 19.

(2) Ps., cv, 35.

(3) Is., xxiv, 2.

*num suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus
est regno Dei* (1).

CAPUT XLIII.

ARGUUNTUR QUI REGIMEN ANIMARUM AMBIUNT.

Magna temeritas Ecclesiasticorum est, qui, cum
viribus careant ad onus pastorale ferendum, illud
tamen anxie quærunt, et se illi spontè subjiciunt,
non vocati à Deo, sed spiritu elationis impulsì;
non ut gregem pascant, sed ut ipsi pascantur; non
ut regant, sed ut dominantur. Res plane horribilis
ac deploranda est, quod regimen animarum plu-
rimi ambiunt, sed nemo considerat quanti momenti
sit fidejussorem Deo esse pro animabus Christi
sanguine redemptis; atque onus accipere usque ad
cœli valvas portandum sub pœna æternæ damna-
tionis, si illud culpabiliter exequantur. Ut autem suæ
superbiæ velamen obtendant, libenter arripiunt quod
ait Apostolus: *Si quis Episcopatum desiderat, bo-
num opus desiderat* (2); nec tamen advertunt, quod
laudato desiderio, id quod laudaverat, in terrorem
protinus vertit subdens: *Oportet autem Episcopum
irreprehensibilem esse... sobrium, prudentem, or-
natum, pudicum, hospitalem, doctorem... modes-
tum*. Et quis est tantà præditus sanctitate, ut pos-
sit se in omnibus irreprehensibilem exhibere? Me-

(1) Luc., ix, 62.

(2) 1. Tim., iii, 1.

ritò igitur Pastorale officium ars artium dicitur, et onus Angelicis humeris formidandum. Quantum enim iudicii requiritur ad regendos homines, quorum mira diversitas, incredibilis inconstantia, nulla sinceritas? Quantum luminis ad occulta cordium penetranda, quod Dei proprium est, et ad intentiones discernendas? Quantum prudentiæ ad diversorum propensiones dignoscendas? quantum diligentiae, ut abstrahatur anima à peccato? quantum industriæ ad obstandum tentationibus? quantum solertiæ ad avertendas malorum occasiones? quantum scientiæ ad moderandam conscientiam? quantum fortitudinis ad coercendos peccatores? quantum virtutis ad resistendum adversariis? quantum patientiæ in tolerandis imperfectis? quantum constantiæ in bonis promovendis? quantum denique habilitatis ad omnia iustitiæ munera exercenda? Hæc omnia sine speciali Dei gratia vix possunt in uno homine reperiri: ac proindè animarum cura sine manifesta Dei vocatione acceptanda non est: tum diu considerandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Non debet præesse, qui non potest prodesse.

CAPUT XLIV.

OMNIBUS CHRISTIANIS NECESSARIAM ESSE ORATIONEM.

Tanta est necessitas Orationis, ut Fidei dogma sit, neminem sine illa salutem consequi posse. Quis

enim potest Deum vocantem sequi, nisi dono gratiæ adjuvetur; ejus autem auxilium quis potest sine oratione promereri? Idcirco docet Scriptura, oportet semper et sine intermissione orare (1); quia semper et in omnibus auxilio Dei indigemus. Semper autem orat, qui orandi tempora nullo unquam die prætermittit. Semper orat, qui omnia quæcumque agit purissima intentione ad Deum refert; oratio enim nihil aliud est quàm elevatio mentis in Deum. Semper orat, qui efficax orandi desiderium in corde jugiter conservat: nam ipsum desiderium oratio est. Benè orat qui benè vivit. Nemo vitiosus, nemo impius, nemo desertor fuit, qui non prius omne orandi studium abjecerit. Oratio canalis est per quem fluunt in animam rivuli divini gratiæ: eâ deficiente, arescit anima et sensim perit. Nec sufficit aliquot preces voce tantum absque ulla attentione et reverentiâ, ut plerique faciunt, persolvere: nam de his conqueritur Deus dicens: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est a me* (2). Et qui sic orat non evadet prophetæ comminationem cæmentis: *Oratio ejus fiat in peccatum* (3). Mendacia sunt et inania verba, cum quis scelus operatur et psallit Deo: *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum* (4). Totus in patinis est et dicit: *Oblivus sum comedere panem meum* (5), ridet tota die vanisque gaudiis diffluit, et ait: *Fuerunt mihi la-*

(1) Luc., xviii, 1. — I. Thess., v, 17.

(2) Isai., xxxix, 13. — Mat., xv, 8.

(3) Ps., cviii, 7.

(4) Ibid., cxviii, 163.

(5) Ibid., ci, 5.

ritò igitur Pastorale officium ars artium dicitur, et onus Angelicis humeris formidandum. Quantum enim iudicii requiritur ad regendos homines, quorum mira diversitas, incredibilis inconstantia, nulla sinceritas? Quantum luminis ad occulta cordium penetranda, quod Dei proprium est, et ad intentiones discernendas? Quantum prudentiæ ad diversorum propensiones dignoscendas? quantum diligentiae, ut abstrahatur anima à peccato? quantum industriæ ad obstandum tentationibus? quantum solertiæ ad avertendas malorum occasiones? quantum scientiæ ad moderandam conscientiam? quantum fortitudinis ad coercendos peccatores? quantum virtutis ad resistendum adversariis? quantum patientiæ in tolerandis imperfectis? quantum constantiæ in bonis promovendis? quantum denique habilitatis ad omnia iustitiæ munera exercenda? Hæc omnia sine speciali Dei gratia vix possunt in uno homine reperiri: ac proinde animarum cura sine manifesta Dei vocatione acceptanda non est: tum diu considerandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Non debet præesse, qui non potest prodesse.

CAPUT XLIV.

OMNIBUS CHRISTIANIS NECESSARIAM ESSE ORATIONEM.

Tanta est necessitas Orationis, ut Fidei dogma sit, neminem sine illa salutem consequi posse. Quis

enim potest Deum vocantem sequi, nisi dono gratiæ adjuvetur; ejus autem auxilium quis potest sine oratione promereri? Idcirco docet Scriptura, oportet semper et sine intermissione orare (1); quia semper et in omnibus auxilio Dei indigemus. Semper autem orat, qui orandi tempora nullo unquam die prætermittit. Semper orat, qui omnia quæcumque agit purissima intentione ad Deum refert; oratio enim nihil aliud est quam elevatio mentis in Deum. Semper orat, qui efficax orandi desiderium in corde jugiter conservat: nam ipsum desiderium oratio est. Benè orat qui benè vivit. Nemo vitiosus, nemo impius, nemo desertor fuit, qui non prius omne orandi studium abjecerit. Oratio canalis est per quem fluunt in animam rivuli divini gratiæ: eâ deficiente, arescit anima et sensim perit. Nec sufficit aliquot preces voce tantum absque ulla attentione et reverentiâ, ut plerique faciunt, persolvere: nam de his conqueritur Deus dicens: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est a me* (2). Et qui sic orat non evadet prophetæ comminationem cæmentis: *Oratio ejus fiat in peccatum* (3). Mendacia sunt et inania verba, cum quis scelus operatur et psallit Deo: *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum* (4). Totus in patinis est et dicit: *Oblivus sum comedere panem meum* (5), ridet tota die vanisque gaudiis diffluit, et ait: *Fuerunt mihi la-*

(1) Luc., xviii, 1. — I. Thess., v, 17.

(2) Isai., xxxix, 13. — Mat., xv, 8.

(3) Ps., cviii, 7.

(4) Ibid., cxviii, 163.

(5) Ibid., ci, 5.

crimæ meæ panes die ac nocte (1). Mandatis Dei non pareat et psallit: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (2). Execrabiles sunt hujusmodi orationes, iram Dei erga orantem provocant, et duris suppliciis castigari merentur. Nemo autem Christiani nomine dignus est, nisi saltem bis in die, mane cum surgit et vespere antequam cubitum eat, mentem ad Deum elevet, et aliquo spatio temporis ferventer oret, ut tantumdem diei reficiendæ animæ tribuatur, quantum corpori nutriendo impenditur. Nec unquam dimittenda aut diminuenda oratio, quamvis aridi in ea et omni consolatione ac spiritus suavitate, qui orat destitutus sit: vera enim devotio et solida animi jucunditas, non in fervoris affluentia, non in sensibili dulcedine, non in mollibus quibusdam affectibus et lacrymis consistit; nam etiam Turcæ et alii infideles in suis precibus et sacrificiis hæc interdum experiuntur; sed in prompta voluntate serviendi Deo et à peccatis abstinendi. Quæ Dei sunt non sensu, sed sola fide percipiuntur.

CAPUT XLV.

QUE DISPOSITIO AD ORANDUM REQUIRATUR.

Multi sunt qui methodum et regulas perquirunt quibus discant orare Deum, ac si oratio veluti ars quædam et opificium foret, quod certis quibusdam

(1) Ps., xlii, 4.

(2) Ibid., cxviii, 21.

legibus contineretur. Non damno præcepta orandi à sanctis et piis viris præscripta, sed sola non sufficiunt, nisi adsit continua cordis et sensuum custodia, sine qua Spiritus orationis haberi non potest. Cor enim totâ die dispersum et dissipatum, et in vanis hominum fabulationibus occupatum, quomodò poterit in oratione ad Deum accedere et de maximo salutis negotio cum illo agere? Magna hæc hominum illusio est existimantium, se posse brevissimo horæ intervallo rem homini terreno difficillimam peragere, à qua totâ die alieni fuerunt, et de qua antea nec quidem cogitarunt. Oratio mentem requirit puram, et à rerum terrenarum imaginibus liberam, ut soli Deo vacare possit. Nulla ad eam magis idonea dispositio, quam integritas vitæ et morum innocentia. Qui ejus studio incumbere et in eo progredi cupit, tanti debet cœlestia æstimare, ut terrenis veluti mortuus sit, nullumque in eis solatium inveniat. Bona est oratio, quam fides et humilitas comitantur.

CAPUT XLVI.

CUR MULTI EX ORATIONE NIHIL PROFICIENT.

Pauci sunt qui ex oratione et meditatione fructum percipiant, quia rebus quas meditantur, contrariam dispositionem et sensum habent; nec se offerunt Deo tanquam victimam et holocaustum ad omne ejus beneplacitum perficiendum. Ipsum quidem precan-

tur, ut eos doceat cognoscere et facere voluntatem suam; sed nihilominus contra Dei voluntatem multa operari non cessant, quia duplicis cordis sunt; unum Deo expandunt in oratione, alterum sibi reservant, nec dicunt cum Propheta: *In toto corde meo exquisivi te* (1). Alii spiritu curiositatis et superbiam impulsus, sublimioribus speculationibus occupantur, quæ ad vitia cognoscenda et eradicanda parum vel nihil conferunt, et si aliquando voluntatem excitant ad gemitus et suspiria, ea tamen suavitate statim evanescente, impatientes remanent, sui consilii tenaces, refractarii ac iisdem semper vitiis irretiti. Atque hinc fit, ut repentinæ conversiones ex vehementi commotione provenientes, ut plurimum, non durent, quia cessante illâ vi quæ voluntatem quodammodo rapuit, ipsa quoque motio desinit, et homo ad vitia quibus assuevit relabitur. Alii instinctu propriæ delectationis, ad orationem accedunt tanquam ad fontem suavitatis, non Deum sed se ipsos quærentes, ut spiritualis dulcedinis ubertate reficiantur. Alii orationis emolumentum ex veri et falsi notione metiuntur, et hi omnino sibi imponunt, quia multa discere in oratione et nihil operari magna diaboli deceptio est. Nihil homini prodest oratio, quamvis ad cælum rapiatur et audiat arcana verba quæ non licet homini loqui, nisi exuto spiritu mundi, sentiat in se augeri promptam erga Deum voluntatem. Bene orat qui nihil scire, nihil habere desiderat, nisi Christum et hunc crucifixum.

(1) Ps., cxviii, 10.

CAPUT XLVII.

NUNQUAM STUDIUM ORATIONIS OMITTENDUM.

Error communis est, meditationem rem difficillimam esse, cum tamen nemo sit qui non quotidie meditetur. Quid est enim meditari, nisi rem aliquam mente revolvere? Hoc autem continuo facimus à mane usque ad vesperam; sed ut plurimum noxia et vana meditamur. Cur igitur mysteria Fidei et quæ salutis nostræ sunt non meditamur? His jugiter occupari mens nostra facillime posset, si eam avertere à rerum terrenarum curis conaremur. Hac de causa ad orationis studium inepti sumus, quia sensibus mori et Christi crucem atque ignominiam amplecti nolumus. Sæpe etiam orationem omittimus ut bonis operibus extrinsecis incumbamus, ex quibus nullus vel exiguus provenit fructus, quia lumine destituimur ad bene agendum necessario, quod nisi in oratione percipitur, et illa peragimus extra ordinem supernæ gratiæ nostro potius quam divino impulsu. Maximus autem error est, interiora propter exteriora negligere. Sicut corpus quotidianâ destitutum alimentâ paulatim deficit et perit; ita languet anima, ac velut exanimis fit, nisi oratione, quæ cibus ipsius est, singulis diebus nutriatur. Cibo autem indiget eo frequentiori, quò plura ac majora habet contraria quam corpus. Ipsam enim tum ea omnia per consensum vexant quæ corpori molesta sunt, frigus, æstus, ægrotudo, fames, sitis et alia ejusdem generis; tum

corpus ipsum et sensus, concupiscentia, dæmon et mundus. Cùm autem oramus, Deum quærere et invocare debemus in penetralibus animæ, in interiori homine in quo ipse habitat sicut in templo suo. Quare verba sonantia ad orandum necessaria non sunt, sed in spiritu et veritate Deum orare et adorare oportet. Conceptis verbis, preces effundere illis necesse est, qui nesciunt in abdito mentis cum Deo loqui, et ea quibus indigent proprio sermone exprimere. Publicæ item Ecclesiæ preces voce et cantu promuntur, ut audiant fideles et ædificentur, votisque consentientibus eleventur in Deum. Cæterim templum Dei et locus orationis nos ipsi sumus, et regnum Dei intra nos est.

CAPUT XLVIII.

CONDITIONES BONÆ ORATIONIS.

Ut perfecta sit oratio, quæ aliquid à Deo petimus, debet orans solius Dei amore ad id quod postulat excitari. Quamvis enim res ipsa bona et amabilis sit, tutius tamen et perfectius est eam petere et amare, quia Deus vult ne sub velo bonitatis rei lateat perniciosus amor sui. Basis orationis Fides viva est et præsentia Dei, ad quem accedendum cum simplicitate, sicut infans ad ubera matris fertur nihil discernens. Qui, dum orat, se orare considerat, non est perfecte attentus orationi, mentem enim et intentionem à Deo divertit quem orat, ut attendat

orationi quæ orat. Et sic sæpè contingit, ut incidat in distractiones, cùm eas nititur evitare. Ideo in oratione valdè commendatur simplicitas, quæcumque alienâ consideratione sublatâ; ferventiùs siquidem orat qui nescit se orare, soli Deo attendens quem orat. Nulli autem evagationi obnoxia mens erit, quæ Deum semper præsentem habuerit. Nam quò evagari poterit quæ se totam in oceanum immensæ divinitatis immerserit? Quòcumque se vertat, indè nunquàm emerget. Quod si Deo permittente multæ contingant distractiones, non erit oranti inutilis oratio sua, si in illis expellendis strenuè dimicaverit. Aderit Deus decertanti, quamvis procul videatur abesse. Faciliùs tamen vincuntur avertendo ab eis mentem easque spernendo, quàm contra pugnando: eâ enim pugna sæpè fit ut fortiùs animo imprimantur et magis infestæ sint. Oratio arida et expers omnis consolationis eò gratior est Deo quò minùs grata naturæ est.

CAPUT XLIX.

GRATIA, ET MODUS ORATIONIS DUPLEX.

Sicut viatores, dum iter agunt, semper locum in mente habent ad quem proficiscuntur; ita qui orant ad finem orationis, qui est unio cum Deo, animi intentionem indesinenter dirigere debent, eo sibi præfixo scopo, ut, sublatis impedimentis, ad eam unionem disponantur. Inanis est orantium labor, si

aliud in oratione exquirunt. Cùm verò duplex sit oratio : una communis , quæ conatu et industriâ nostrâ fit, præveniente tamen et cooperante gratiâ Dei; nemo enim , ut docet Apostolus (1) , potest dicere Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto : altera singularis et infusa, quæ non est in potestate nostra, sed à Deo infunditur quibus et quandò vult; utraque sanè desiderari et peti ab illo potest, qui facit nos quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiat nobis; soli tamen meditationi modo communi et consuetò vacandum est, nisi quis divinâ inspiratione et vocatione ad altius orationis genus elevetur. Gratia autem meditationis nihil aliud est, quàm facilitas mentem ad Deum elevandi, sanctos affectus concipiendi et effundendi cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Hanc Deus humilibus largiri solet, qui non confidunt in virtute sua ejusque opem implorant, ut, à quo datur orandi præceptum, ab ipso petatur auxilium, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Ideò incipienda est oratio à confessione nostræ impotentiae et fragilitatis, à detestatione peccatorum, quia justus initio orationis accusator est sui, et à rectitudine intentionis, nullo sibi proposito fine, nisi adimplendæ divinæ voluntatis de qua dicit Apostolus: *Hæc est . . . voluntas Dei, sanctificatio vestra* (2). Qui aliter orat divinæ misericordiæ ostium contra se claudit.

(1) I. Cor., xii, 3.

(2) I. The., iv, 3.

CAPUT L.

FONS OMNIUM BONORUM ORATIO.

Quod de Sapiëntia scriptum est, hoc verè de oratione dici potest: *Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus: quonia m antecedebat me ista... et ignorabam quoniam hor um omnium mater est... Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei* (1). Oratio quippè fons gratiæ est, virtutum parens, mentis illuminatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, cibus animæ, omniumque bonorum origo et custodia. Hæc iram Dei placat, veniam peccatorum impetrat, expellit vitia, liberat à periculis et divini amoris in nobis ignem accendit. In ea omnium virtutum actus exercentur. Prima verò ante omnes occurrit Fides; nemo enim oraret nisi crederet Deum esse præsentem, et preces clamantium ad se audire, easque posse et velle, si justè petimus, exaudire. Spes erigitur quia maximam in Dei ope et misericordia fiduciam habemus. Charitas excitatur divinæ bonitatis consideratione, quæ urget nos ad ipsum super omnia diligendum. Per eam discimus adimplere omnem

(1) Sap., vii.

justitiam, et justorum prudentiam omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia orans firmiter statuit servire Deo et pro ejus amore adversa omnia tolerare. Temperantiam actus eliciuntur, quia mens orantis à terrenis et corporeis abhorrens cœli delicias degustat. Dona quoque Spiritus Sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis illuminatur, Dei sapientiam fruitur, ipsique Deo appropinquans omnes creaturas scientiam dono pro nihilo habet: tum luce uberiori perfusus in rerum agendarum dispositione per donum consilii non fallitur: ad orandum pro aliis pietate impellitur: divinam Majestatis celsitudine apprehensam ejus timorem concipit, et ad multa pro Christo toleranda fortitudine roboratur. Multis ergo virtutibus fulget qui multum orationi incumbit.



PARS SECUNDA.

DE MODERANDIS ANIMI AFFECTIONIBUS, ET DE STUDIO VIRTUTUM.

CAPUT I.

QUERENDA VERITAS, FUGIENDA VANITAS.

Veritatem omnes desiderant, omnes commendant, sed ubi ea sit pauci cognoscunt; nam si scirent ubi esset, nihil amplius quærerent, nihil præter illam amarent. Et quidem in rebus mortalibus eam non esse evidens est. Quidquid enim in aliquo loco est, nullo modo permanere potest, si illud in quo est non permaneat: mortalia autem esse desinunt, quia intereunt ac propterea in illis non est veritas. Quærenda igitur est in rebus immortalibus, quæ verè sunt et in æternum futuræ sunt: quærenda in virtute, quæ nihil aliud est quam æqualitas vitæ in omnibus veritati consentiens, exclusam vanitate et rerum pereuntium cohibito appetitu. Veritati enim congruit homo, cum animi motus ratio regit et spiritus Dei in eo dominatur. Quod si cupiditatum tyrannico imperio subsit, à veritate in vanitatem defluit, et variis ac contrariis perturbationibus agitur, hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde

justitiam, et justorum prudentiam omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia orans firmiter statuit servire Deo et pro ejus amore adversa omnia tolerare. Temperantiam actus eliciuntur, quia mens orantis à terrenis et corporeis abhorrens cœli delicias degustat. Dona quoque Spiritus Sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis illuminatur, Dei sapientiam fruitur, ipsique Deo appropinquans omnes creaturas scientiam dono pro nihilo habet: tum luce uberiori perfusus in rerum agendarum dispositione per donum consilii non fallitur: ad orandum pro aliis pietate impellitur: divinam Majestatis celsitudine apprehensam ejus timorem concipit, et ad multa pro Christo toleranda fortitudine roboratur. Multis ergo virtutibus fulget qui multum orationi incumbit.



PARS SECUNDA.

DE MODERANDIS ANIMI AFFECTIONIBUS, ET DE STUDIO VIRTUTUM.

CAPUT I.

QUERENDA VERITAS, FUGIENDA VANITAS.

Veritatem omnes desiderant, omnes commendant, sed ubi ea sit pauci cognoscunt; nam si scirent ubi esset, nihil amplius quærerent, nihil præter illam amarent. Et quidem in rebus mortalibus eam non esse evidens est. Quidquid enim in aliquo loco est, nullo modo permanere potest, si illud in quo est non permaneat: mortalia autem esse desinunt, quia intereunt ac propterea in illis non est veritas. Quærenda igitur est in rebus immortalibus, quæ verè sunt et in æternum futuræ sunt: quærenda in virtute, quæ nihil aliud est quam æqualitas vitæ in omnibus veritati consentiens, exclusam vanitate et rerum pereuntium cohibito appetitu. Veritati enim congruit homo, cum animi motus ratio regit et spiritus Dei in eo dominatur. Quod si cupiditatum tyrannico imperio subsit, à veritate in vanitatem defluit, et variis ac contrariis perturbationibus agitur, hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde

inani lætitiâ, hinc rei amissæ dolore; hinc ardore adipiscendi quæ non habet; hinc acceptæ injuriæ cruciati, indè studio vindicandæ. Hi sunt videlicet omnium malorum fontes, quæ miserrimam animam vexant, vanitas et voluptas. Oriuntur ex vanitate eorum omnium quæ propriam excellentiam fovere possunt, ardentissimum desiderium, magna sui æstimatio, aliorumque contemptus et aversio à veritate. Ex voluptate propensio illa procedit, quæ fertur homo ad cibum et potum, ad ludos et relaxationes, et ad reliqua omnia, quæ corpori et spiritui rebus terrenis occupato grata et jucunda sunt. Hinc evagatio continua et cordis effusio ad exteriora, quibus anima Deo vacua implere se studens, tota est in nugis et vanitatibus mundi, quærens homines cum quibus recreetur et confabuletur, et à quibus laudetur in desideriis et vanitatibus suis. Hæc verò sunt quæ homini carnali exosam reddunt divinam Legem et Evangelicam perfectionem. Evangelium siquidem nihil magis commendat, quàm humilitatem: at natura corrupta semper inclinatur ad superbiam. Evangelium prædicat penitentiam, à quâ homo maxime abhorret. Fides igitur est necessaria, quæ docet nos omnem veritatem; et hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Filius Dei Patri consubstantialis, ut amorem nostrum à rebus terrenis avellendum esse doceret, Fidem prædicationi suæ altissimâ virtutum exercitatione conciliavit. Divitias homines appetunt, pauper esse voluit; honoribus et imperiis inhiant, abscondit se ne fieret rex; contumelias intolerabiles esse arbitrantur, omne genus injuriarum sustinuit; calumnias detestantur, inno-

cens damnari voluit. Vita ejus disciplina morum fuit, nec ullum à nobis peccatum committi potest, nisi cum appetimus quæ ille contempsit, aut ea fugimus quæ ille sustinuit. Stultus igitur est qui vitam beatam in iis positam putat, quæ spernenda esse Christus docuit.

CAPUT II.

QUANTI MOMENTI SIT AD CHRISTIANAM PERFECTIONEM NIHIL
VEL MINIMUM NEGLIGERE.

Ideò pauci ad perfectionem Christianæ vitæ perveniunt, quia majoribus vitiis jam superatis, sibi vim inferre nolunt, ut minoribus resistent, quibus quotidie infestantur. Sensim ad graviorem lapsus disponitur, qui segnis est in minimis et minutissimis præcavendis: majora enim vitia et extrema vel primo aspectu horrorem incutiunt, in minora facilius labimur. Non solent homines adeò insanire, ut unâ die omnes facultates suas dissipare et prodigere velint, sed paulatim hoc fit. Hæc modica, inquiunt, impensa est, non minuit patrimonium, vix aliquid è cumulo detrahitur, adhuc ærarium integrum manet. Tum de aliis expensis eodem modo argumentantur, donec, quod singulæ non perfecerunt, omnes simul perficiunt, et qui dives erat, mendicus fit. Idem accidit in usu cibi et potûs: hæc parum est, nocere non potest, temperantiæ metam non transgreditur: atque ita paulatim ex minimis congeries

fit, donec stomacho plus ingerimus quàm ferre possit, et in graves ac sæpè incurabiles morbos incidimus. Magnæ occasiones serviendi Deo, actusque heroicis virtutum exercendi rarissimæ sunt; parvæ autem singulis penè momentis occurrunt: idcirco oportet ad minima quæque attendere, singulos cordis motus observare, minuta quælibet desideria vincere, propriæ voluntati resistere, et noxium sui amorem exterminare. Nemo repente fit malus, sed, ut ait Sapiens: *Qui spernit modica, paulatim decidet* (1). Omnis consolatio, quæ à creaturis accipitur, quantumvis innocens et exigua videatur, Divinam semper excludit: qui verò se subtrahit ab amicorum consuetudine, à vanis colloquutionibus, ab omni exteriori solatio, solo Christo contentus, qui reverà solus sufficit, ineffabili gaudio in ipso, et per ipsum fruitur. Sicut expulso à quolibet loco uno corpore aliud subintrat, ne detur vacuum, ut docent Physici: ita anima, quæ omnia creata, atque omnem sui amorem à se expellit, Deo protinus repletur, in quo reperit omne bonum. Verumtamen pravus habitus ab infantia contractus, nos terrenis delectationibus affigit, quæ præsentés sunt, et sensus percellunt; nec sinit ad divina et supernaturalia assurgere, et iis delectari, quia sunt remotissima à sensibus, nec nisi per Fidem cognoscuntur. Ideò volutamur in carne et sanguine, nec unquam extra nos prosilimus, semper instabiles futuri, donec tandem reiectis terrenis consolationibus quiescamus in Deo,

(1) Eccl., xix, 1.

qui est pax nostra, et gaudium nostrum, rerumque omnium finis et centrum.

CAPUT III.

OMNIBUS CHRISTIANIS NECESSARIA CRUX ET ABNEGATIO.

Tota vita Christiani crux esse debet, et abnegatio: nemo autem crucis dulcedinem et suavitatem novit, nisi qui illam intimo animi sensu degustavit. Norunt experti, quantà jucunditate sit plena; nam si modico tempore illis subtracta divinâ dispositione fuerit, contristantur et incidunt in amaritudines amarissimas. Et mundus quidem falso judicio homines justos existimat esse infelices, quia pauperes, afflicti, et vulgò despecti sunt: ipsi verò se beatos putant, et in cruce gloriantur, quoniam sibi ex animi sententia omnia contingunt. Si pauperes sunt, hoc volunt: si afflicti, afflictione lætantur: si à cæteris spernantur, sperni desiderant. Nulli autem beatiore sunt, quàm qui habent quod volunt. Impii verò, qui turpia et obscœna sectantur, tametsi vulgi opinioni beati censeantur, quia habent quod volunt, reverà tamen miseri sunt, quia quod volunt, nolle deberent. In cruce et abnegatione præcipuè consistit religio Christiana, et qui aliter Christi doctrinam amplectitur quàm proposito crucis mysterio, ab Evangelii scopo longius aberrat. Multa Christus occultavit Apostolis, quæ tunc portare non poterant; sed ipsis adhuc infirmis, et nondum intelligentibus quæ dicebantur, se gen-

tibus tradendum ad illudendum, et crucifigendum, apertè et palàm prænnuntiavit. Paulus recens conversis lac potum dedit, non escam, cujus nondum capaces erant : Christum tamen prædicabat crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam : et cum multa sciret, se nihil scire professus est, nisi Christum, et hunc crucifixum. Vetus Ecclesia plura Fidei mysteria Catechumenis occultabat, sed nunquam crucem Christi. Ideò frons Christiani cruce signatur, ne quis ejus ignominiam erubescat. Absit Christiano in aliquo gloriari, nisi in cruce Domini N. JESU CHRISTI, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio. Ipse per crucem redemit nos, nec quisquam potest redemptionis fructu potiri nisi per crucem. Hinc necessitas indispensabilis orta est abnegandi seipsum, quod qui præstare recusat, Christi discipulus esse non potest. *Si quis, inquit, venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filias, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus* (1). Et apud alium Evangelistam ait : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam* (2). Non dixit abnegandum dumtaxat esse superbiam, crapulam, ebrietatem, luxuriam, divitias, possessiones,

(1) Luc., xiv, 26.

(2) Mat., xvi, 24.

et alia quæ extrè nos sunt ; nam hoc utique tolerabile foret : sed jubet etiam ut abnegemus nos ipsos, proprios scilicet affectus, et quidquid suggerit et operatur in nobis spiritus Adæ. Hæc omnia prorsus à nobis revellere ac rejicere debemus, et carnem nostram crucifigere cum vitiis, et concupiscentiis suis, vitamque Christi crucifixi in nobis exprimere. Durus est hic sermo carni, et sanguini, sed in hoc Christi fides, in hoc salus nostra consistit.

CAPUT IV.

FUNDAMENTUM VITÆ CHRISTIANÆ EST ABNEGATIO.

Abnegatio primus lapis est spirituali ædificio sternendus. Quid enim prosunt altæ de Deo, rebusque divinis speculationes, quid dulcia cum Deo colloquia, quid virtutum exercitationes, si nos ipsos in his quærimus, et in superbiam elati nos colimus velut idolum, et pharisaico fastu cæteros aspernamur? Sapientior est omnibus philosophis, qui se stultum credit ; gloriosior cunctis regibus, qui se omnibus inferiorem putat. Salus, virtus, et perfectio nostra non in sublimitate sermonis, non in signis, et mirabilibus ; sed in cruce, in abjectione, et in improbris Christi sita est : nec ullus unquam poterit aut salutem consequi, aut virtutem adipisci, aut perfectus esse, nisi abneget semetipsum, et resecatis omnibus vitiis, ad exemplar se conformet,

quod Christus cruci affixus nobis ostendit. Advertendum tamen est, quod sicut Simeon Cyrenæus crucem portavit post *JESUM*, sed mortuus in ea non est: ita multi crucem asperrimam portant, qui sibi adhuc vivunt, et ex proprio sui amore, non purè propter Deum patiuntur. Quis crederet amorem sui in cruce locum habere, à qua tantoperè natura abhorret? Et nihilominus non pauci reperiuntur, qui duram crucem amplectuntur, ut de pœnis suis gloriantur, et ab hominibus videantur. Hi sanè crucem portant, sed nolunt cum Christo crucifigi: seipsum excruciant, sed nihil inde merentur, imò bonorum omnium jacturam faciunt. Solent plerique conqueri, res et negotia eos impedire, ne interiori pace fruantur: at reverà quidquid obsistit mentis nostræ tranquillitati, à nobis ipsis procedit, quia inito fœdere cum propriis sensibus hoc vinculum dissolvi non patimur, ea omnia fugientes quæ propriis commodis adversantur. Hoc est bellum intestinum et turbulentum, quod inter rationem et appetitum jugiter erit, donec pars inferior superiori parère, et subjici didicerit. Si quis amicum haberet summâ sibi necessitudine conjunctum, cujus præsentia ne uno quidem momento carere posset, cum quo edere, dormire, confabulari solet; ab aliquo autem fide dignissimo moneretur, hunc perfidum proditorem esse, qui mortem illi dolosè tentaret inferre; omnis amor protinus in odium et in implacabilem inimicitiam converteretur. Porrò hic amicus caro nostra est, cui blandimur, quam fovemus, cujus desiderii obsequimur: et hæc sub specie amicitia nos decipit, et vitam nobis non cor-

poris aliquando morituri, sed animæ eripere conatur. Non sunt nobis fingenda prælia, et decernenda certamina cum absentibus et longè distantibus adversariis, sed cum hoste domestico quotidie decernendum, qui salutis nostræ semper insidiatur. Tollat homo seipsum à se, et nullum habebit in via salutis impedimentum.

CAPUT V.

QUOMODO ADVERSUS VITIÆ ET PRÆVAS AFFECTIONES PUGNARE
OPORTEAT.

Attendendum solerter quid diligamus, quid metuamus, unde gaudeamus, et contristemur; totum enim cor nostrum in his quatuor affectionibus est: et tunc ad Deum toto corde convertimur, cum nihil omnino diligimus, nisi ipsum, aut propter ipsum: cum nihil nisi eum, aut propter eum timemus: cum non nisi secundum ipsum aut dolemus, aut lætamur. Hi motus animi cum non reguntur, nos similes faciunt omni generi bestiarum: cum autem reguntur, omnino mansuescunt, et nos similes Angelis efficiunt. Hæc est nimirum beata hominis vita, cum omnes affectus ejus rationi et veritati consentiant et tunc vocantur gaudia, et amores sancti: si verò non consentiant, dissipant mentem, et vocantur libidines, et perturbationes. Monstra sunt quæ vinci et edomari non possunt, nisi continuo adversus ea decertemus. Nec satis est in universum

ac veluti acervatim actus elicere, quibus mores corrigere, pravosque affectus coercere decernamus; in hoc enim generali apparatu pugnæ, castigationis, abnegationis, et separationis ab omni solatio creaturarum, natura nostra ad malum prona nihil reperit, quod ipsam vexet, licet arma contra illam expedire videamur, ac propterea hujusmodi decretis non contradicit, imò virtutis eo modo, et quasi in ideâ conceptæ pulchritudine delectatur, ipsam probat, et laudat, ipsique infideles, et Philosophi eam sic amplexi sunt. Indè multi decepti de vitiorum victoria inaniter gloriantur, quia bonis desideriis naturam repugnare non sentiunt; at cum in isto singulari certamine non vitia generatim, sed unum peculiariter aggrediuntur, cum pravum affectum insurgentem viriliter expugnare nituntur, cum aliquid quantumvis minimum tolerandum occurrit: tunc demum apparet, quàm vanæ fuerint et debiles præconceptæ deliberationes. Singulas ergo, et peculiare occasiones, quæ nunquam desunt, abnegandi seipsum, et pravas affectiones coercendi, observare oportet, et in his se fortiter gerere; nam sic animi motus sub rationis imperio reguntur, sic vitia eradicantur. Hoc autem fieri nequit sine contentione infatigabili, quæ semper operetur: sine profunda attentione, quæ omnia penetret, et perscrutetur usque ad radices: sine perpetua violentia, quæ fixas cordi affectiones evellat. Motus enim voluntatis nostræ in Deum, utpotè contrarius inclinationi depravatæ naturæ, violentus est, et nisi subindè nova vis illi imprimatur, statim ad nos ipsos descendimus, motu qui infirmæ volun-

tati naturalis est. Sicut autem noxias et inutiles herbas in areolis horticorum impedire ne crescant, et radicibus evellere possumus; numquam tamen efficiemus, ne iterum suâ spontè nascantur: ita nonnumquam contingit, affectiones nostras eo nos studio moderari, ut naturam mutasse videamur. Verùm quidquid curæ ac diligentiae ad hanc rem adhibeamus, semper natura in suo fundo corrupta est, aliosque motus inordinatos producit, ex quo sequitur, à studio mortificationis numquam cessandum esse, numquam arma deponenda. Quod si quis aliquando, Deo juvante, heroicum virtutis actum, vel semel elicuerit, hic solus sufficiens est ad omnem naturæ repugnantiam deinceps superandam, et ad veram animi libertatem consequendam. Quidam viri sancti, cum semel devictâ naturæ contumaciâ, ulcerosi saniem lambere, et sugere ausi sunt, omne postmodum morborum genus non solum sine stomachi fastidio, sed hilari etiam ac propenso animo contrectarunt. Tanti refert, vel semel heroico actu vicisse se ipsum.

CAPUT VI.

DE SENSUUM EXTERIORUM MODERATIONE.

Quia solet vitiiis via per oculos aperiri, eos omnino avertere oportet ab omni, vel momentaneo cujusque rei aspectu, quæ ad peccandum allicere, vel à perfectione retrahere possit, eâ prorsus accu-

ratione, ac celeritate, quâ quis à loco morboso et pestilenti recedit. Triplex autem est oculus, quo res creatæ conspiciuntur. Primus est animalis, cum solâ sensibili rei pulchritudine, et elegantia homo delectatur, et in ipsa exteriori specie immoratur, nec aliud considerat. Secundus est philosophicus; cum ex rei visæ symmetria et concinnitate, discendi cupiditate intellectus excitatur ad ejus naturam, et proprietates investigandas. Tertius est Christianus, cum à visione creaturarum mens elevatur ad Creatorem, ejusque amore succenditur. Isto oculo vir fidelis res omnes intuetur, per hæc visibilia ad Deum invisibilem assurgens, qui est vera pulchritudo, à qua veluti à fonte omnes rivuli creatæ pulchritudinis emanant, quia ipse est qui verè est, in quo res omnes verè sunt; nam in se ipsis umbra sunt, et deficient, ac propriè non sunt. Omnium autem sensuum vita à re ipsis objecta dependet, sicut vita corporis ab anima. Oculorum enim vita in rerum visione consistit; vita aurium in harmoniæ et vocum auditu; cum videlicet visus in aspectu rei pulchræ delectatur, et auditus complacet sibi in vocum et organorum concentu. Ex hoc autem consequens sit, ut sensuum mors nihil aliud sit, quam separatio ab his, in quibus eorum vita subsistit. Nihil verò perniciosius vitæ Christianæ, quam vita sensuum: nam cum animæ facultates imaginationi, hæc sensibus corporis, nexu ferè indissolubili colligatæ sint, commota à sensibus phantasia potentias rationales inficit, et immutat, trahitque voluntatem, ut pravis tandem delectationibus assensum præbeat: quod malum aliter evitari nequit, nisi sensus à

noxiiis voluptatibus retrahantur. Porrò mors sensuum, de qua sermo est, duplici modo contingit, physicè, et moraliter. Physicè cum sensus omninò à suo objecto removetur, ut cum oculi ab omni etiam innoxia pulchritudine avertuntur, aures clauduntur quibuscumque sermonibus, et concentibus delectabilibus: moraliter cum sensus non à re ipsa, sed à rei fruitione divellit, quando scilicet oculus videt, auris audit, sed à rebus visis, et auditis omnis complacentia removetur. Prima mors, sive separatio securior, et facilior est, dummodò discretione regatur: facilius est enim omnem pravæ delectationis occasionem evitare, quam moderationem in ea servare. Altera gravi periculo exposita est, quia sensuum illecebræ magnam vim habent, et ob consensum, ac sympathiam potentiarum, facillimè animam deprimunt ad carnales oblectationes. Et quia ferè cum lacte sensibus blandiri didicimus, licèt postea agnoscamus quàm fluxæ sint et vanæ eorum delectationes, et quàm gravia inferant animæ detrimenta; manent tamen de illis præconceptæ notiones, et fixæ potentiis imagines, donec longo meditandi usu, actibusque contrariis paulatim evanescent, et solida Christianæ vitæ principia menti inferuntur. Spiritus est Deus, actusque purissimus, ad quem pertingere nemo potest, nisi nubes phantasmatum dissipentur, ipsumque corpus, et sensus continuo usu mortificationis spirituales quodammodo efficiantur.

CAPUT VII.

DE PUGNA ADVERSUS GULAM ET CARNEM.

Omnia bona exteriora, omnem sæculi pompam, omnem voluptatem deserere et coercere, homini Deum timenti, studioque virtutum sedulo incumbenti non est difficile; at alimenta corpori subtrahere nemo potest; reficiendum enim est edendo, et bibendo, et quotidie urget ista necessitas. Sed quia hæc ipsa suavis est nobis, adversus hanc suavitatem pugnandum est, ne insidiatur concupiscentia, et quod salutis causâ facere cogimur, transeat in voluptatem, quæ plerumque præire conatur, cum sequi debeat. Naturali indigentia pauca sufficiunt, sed quod illi satis est, delectationi parum est. Sæpe nescimus utrum subsidium petat inevitabilis corporis cura, an fallacia concupiscentiæ nos decipiat, et in hac incertitudine hilarescit infelix anima, ut salutis obtentu intemperantiam excuset. His tentationibus, quia quotidianæ sunt, quotidie resistendum, et eâ moderatione alendum corpus, ne metam necessariæ nutritionis excedamus. Nihil salubrius animæ et corpori, quàm parca, modesta, et frugalis mensa. Pravas affectiones facile moderatur, qui et cibi et potus abundantia fomitem illis non subministrat. Lautiores epulas, et convivia appetere, de illis loqui, ea meditari, hominum est qui terrena sapiunt, et quorum Deus venter est. Christianus verò, ut hominem pœnitentem decet, nec qui-

dem de cibo cogitat, nisi urgente necessitate: tum ad mensam ea animi præparatione accedit, ac si solo pane vesci, et aquam bibere deberet; ex quo fit, ut sit illi suavissimum quidquid superadditum fuerit. Id autem facile quisque servabit, si Sanctorum jejunia, ac ferè incredibilem abstinentiam mente revolvat, et sibi Christum imitandum proponat, felle et aceto potatum. Animus ad hæc intentus non attendit ad escas. In pugna verò adversus carnem removenda primum est omnis tentationis occasio, servatâ in omnibus modestiâ, et severitate, omniumque sensuum continentia. Omnium deinde mulierum evitandum consortium, quoniam magna in diverso sexu vis fomitis est, et ad id uterque fertur, ad quod provocat lex naturæ; etiamsi pars superior contradicat: nam menti infigitur corporalis figura, et sæpe recurrit infligens cordi insaniabile vulnus. Cavendum denique, ne nimia nos fiducia decipiat; nam qui non fimet, jam lapsus est.

CAPUT VIII.

DE MALIS LINGUÆ, ET DE BONO SILENTII.

Difficile est paucis explicare quot mala et damna ex lingua proveniant. In multiloquio non deesse peccatum, Spiritus Sancti sententia est (1); loquacitas enim fons est vitiorum, indicium ignorantia, argumentum stultitiæ, fervoris extinctio. Omnis

(1) Prov., x, 19.

ferè sermo ex superbia procedit; nam loquimur, ut doceamus, ut nos sapientes esse et prudentes ostendamus. Sibi quisque persuadet se multa scire, quæ libenter effutit, ut aliquid esse videatur. Sicut aer corruptus sensim attractus inficit corpus, ita loquacitas animam vitiat, ejusque robur enervat. Inde enim proveniunt dissolutiones, querelæ, detractiones, mendacia, rixæ, scurrilitates, et omnia mala. Frustrâ laborat, ut donum orationis et internam pacem obtineat, qui frænum et custodiam ori suo non ponit. Frustrâ satagit proprios emendare defectus, qui aliorum censor est. Hoc laqueo plerique involvuntur: alios reprehendunt, sibi adulantur: alios deprimunt, se et sua jactanter extollunt. Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntiant, qui vitam suam ita irreprehensibilem exhibeant, ut non libenter alienam reprehendant. Tanta nimirum hujus mali libido mentes hominum invasit, ut illi etiam, qui ab aliis vitiis longius recesserunt, in hoc, veluti in extremum diaboli laqueum, infeliciter incidant. Docuit me vir magnus, numquam se vidisse hominem loquacem in bonis operibus perseverasse. Magna itaque res est taciturnitas, per quam ab hominum consortio recedentes, discimus cum Deo miscere colloquia. Lingua enim in vanum silet, nisi spiritus cum Deo loquatur. Omnia quæ patimur, calumnias, persecutiones, infirmitates, et animi afflictiones, silentium sanctificat: nam qui hæc tolerat, et tacet, sacrificat Deo corpus, animam, existimationem, facultates, et omnia bona sua: tum Christum imitatur, qui quasi agnus coram ludente se obmutuit, et non aperuit os suum:

liber denique ab omni perturbatione, tranquillâ fruitur sui ipsius possessione. Est quidem nonnunquam sui defensio necessaria, sed ingens cautela adhibenda, ne Christianæ modestiæ et humilitatis moderamen excedatur. Vix autem accedit casus, in quo quis tueri famam suam teneatur, nisi aut munus publicum gerat, ad quod exercendum reddetur inhabilis, si bonum ejus nomen per calumniam denigraretur: aut cum uni impositum crimen in aliorum dedecus vergit, quibus prospiciendum sit: aut cum quis à legitimo superiore de veritate interrogatur. Rebus in cæteris consultius est, tam linguâ quam animo tacere, neque enim prodest exterior faciturnitas, si intus commoti affectus tumultuantur. *Obmutui...* ait Propheta, *et silui à bonis* (1). Quod si à bonis sermonibus abstinere interdum oportet ob silentii præstantiam, quanto magis à noxiis et inutilibus? Sapientissimus est, qui scit tacere, difficilior etenim est nosse tacere quam loqui.

CAPUT IX.

DE BONA, ET MALA DELECTATIONE, ET DE ILLORUM INFELICITATE QUI PRÆPOSTERO FINE VIRTUTEM COLUNT.

Nihil naturæ rationali, verè et ex se, delectabile est, nisi vita secundum virtutem: quæ enim vulgò delectabilia videntur, veram, et solidam delectationem non habent, quia sibi invicem adversantur;

(1) Ps., xxxviii.

et quod uni placet, alteri displicet, quod uni dulce, alteri amarum videtur. Sic prodigus in effusione pecuniæ, avarus in ea custodienda et conservanda delectatur. Hæc siquidem delectationes non sunt secundum rationem, quæ omnibus communis est, sed secundum corruptionem appetitus à ratione deficientis. Sicut palatum febricitantis certum iudicium ferre nequit de sapore et condimento ciborum; ita nec sensus vitiosi hominis capax est delectationis, quæ ex virtute percipitur. Et quidem bonum sensibile naturæ instinctu cunctis placet, sed qua moderatione placere debeat, et quid in usu illius servandum sit, pauci dignoscunt. Ad majora homo conditus est, quam ut serviat voluptatibus sensuum. Contemplatio et fructio summi boni finis illius est: naturæ verò irrationalis finis est sensuum delectatio. Sed quia homo veritatem contemplari nequit, nisi per species, et phantasmata à sensibus accepta, nec potentiæ rationales officio suo fungi possunt in corpore malè affecto; ideò pertinet ad naturam hominis sui corporis curam rationalem et moderatam habere, ut potentiæ corporales aptiores fiant, et alacriores ad sua munera exercenda. Quod si quis finem constituat in his quæ ad corpus spectant, ut si cibum sumat propter solam delectationem; hic procul dubio peccat, naturæ ordinem pervertens, quæ gratum cibo sapore indidit, ut eo alliceret ad necessaria vitæ alimenta, non ut in eo finem suum ponat, sicut brutà ratione carentia. Certum profectò est, non posse hominem in hac vita omni delectatione carere, nam vel terrenis vel cœlestibus delectatur; sed quò magis cœlestia appetit, eò ma-

jori fastidio à terrenis abhorret. Utrisque simul, et æqualiter delectari nemo potest. Multi quoque sunt, qui virtutis splendore, et pulchritudine magis quam ipsà virtute delectantur. Ad amorem Dei aspirant, quia excelsus et sublimis est: vitam ducunt duriorum, quia vis quædam et generositas animæ in ea elucet: pacem interiorem sectantur ejus suavitate illecti: viam salutis scire cupiunt, ut sciant, omnesque libros de ea tractantes evolvunt, ut pabulum præbeant curiositati: iter perfectionis arripiunt tumore quodam spiritus, et occulto amore propriæ excellentiæ: rerum sublimium notitiam quærunt et lumina, quibus imbuti se ipsis fruuntur, non Deo: volunt quæ sibi placent, non quæ vult Deus, et hæc ipsa, quæ Deus vult, ideò volunt, quia delectant, non quia vult Deus. Sic cæco errore decepti, dulcedinem possessionis magis amant quam rem possessam: et cum maximè credunt se Deo servire, sibi obsequuntur, et nihil proficiunt, nihilque tandem inveniunt in manibus suis, nisi amorem sui et superbiam. Deus igitur quærendus est in spiritu veritatis, propter ipsum solum, non propter delectationem. Hæc vita laborum, pugnæ, et tenebrarum est: gaudium, quies, et tranquillitas futuræ vitæ reservantur.

CAPUT X.

OPINIONE VIVIMUS.

Constans omnium sententia est, opinione nos vivere, sed quanta sit vis opinionis non omnes percipiunt. Hæc dominium in homines, seu potius tyrannidem exercet variis ac miris modis: hæc felices et miseros, pauperes et divites, sanos et infirmos pro suo arbitrio facit: nemo enim beatus, nemo dives, nemo incolumis est, nisi putet se esse. Hæc hominibus gaudium, hæc tristitiam tribuit prout ipsi opinantur: nam hi affectus in opinione magis consistunt, quam in rei præsentis commodo, vel incommodo. Gaudere solent plerique vel dolere ex præconceptione rei futuræ bonitate vel malitia, quæ major ex opinione semper est, quam re ipsa foret in re præsentî. Ipsâ enim experienciâ didicimus, adveniente bono quod sperabamus, vel malo quod timebamus, hujus molestiam, et illius jucunditatem vel minui vel prorsus evanescere. Opinio item non solum operatur, ut quod futurum est, præsens fiat, sed insuper in unum redigit quæ per partes, et diverso tempore eventura sunt, totamque vim suam in momento exercet. Quis honorem, laudem, æstimationem hominibus præbet, eorumque operibus, nisi sola opinio? Totius orbis divitiæ, et dignitates uni collatæ non sufficiunt ut his contentus sit, nisi opinio consentiat. Aman primus erat in regno Assueri, et opes immensas possidebat, et nihilomi-

nus opinione suâ infelicissimus se nihil habere putabat, quia homo quidam captivus ingredienti palatium ei non assurgebat. Est et aliud maximum malum opinionis, nam præsens tempus in longum extendit, et auget, ac si nunquam morituri simus: æternitatis verò interminabilem durationem defectu considerationis ita contrahit, ac minuit, ut de nihilo æternitatem, de æternitate nihilum faciat. Ipsa quoque vitia et peccata non ratione, sed opinione metimur; ex quo fit, ut plerique, dum vitium aliquod vitant, in contrarium currant. Sic exhorrens avaritiam, fit prodigus: inquietus fit, cujus pigritia reprehenditur: ad timiditatem declinat, cujus audacia arguitur. Provenit tandem ex opinione, quod de nobis ipsis, non ex veritate, non ex sincero propriæ conscientiæ testimonio, sed ex falsa hominum existimatione judicemus. Tanta est vanitas, et amentia nostra, ut eâ vitâ minime contenti, quâ in nobis ipsis vivimus, aliam chimæricam et inanem quæramus in idea et opinione aliorum, qui nos sæpè nec cognoscunt, nec diligunt, et quorum judicia ipsimet aliquando contempsimus. Sic verâ vitâ neglectâ, illam ornare, et conservare nitimur, quæ ab aliis pendet, adeo ut ipsum scire nostrum nihil esse reputetur, nisi nos scire cæteri sciant. Ab his autem erroribus et illusionibus, nulla ratio liberare nos valet, nisi Divina gratia mentibus nostris verum lumen infundat. Vera enim vel falsa cujusque opinio est, prout vero vel falso lumine imbuatur.

CAPUT XI.

SCIENTIAM SALUTIS PLERIQUE CONTEMNUNT.

Bona est omnis scientia, quæ veritati consentit, sed qui satagit salutem suam cum timore, et tremore operari, ea prius, et diligentius scire curat, quæ sunt viciniora salutî, quia tempus breve est. Nihil prodest homini multa scire, si sciendi ordinem et modum neglexerit. Sententia Jacobi Apostoli est, *Scienti... bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (1). Ac si diceret, sumentî cibum, et non digerenti perniciosum est ei. Cibus enim indigestus non nutrit, sed nocet: ita et multa scientia sine delectu animæ ingesta, nisi igne Charitatis concocta fuerit, ac in mores transfusa, in pravos et noxios humores convertitur, et desinit in damnationem. Duo sunt, de quibus homo, dum in hoc mundo peregrinatur, sollicitus esse debet, ut vitam scilicet animæ, quæ in gratia Dei consistit, et vitam corporis conservet. Sed vitam animæ plerique spernunt, omnisque scientia et intentio eorum, atque omne studium, ad vitam corporis dirigitur, et in ea jucundè transigenda versatur. Idcirco tenebris et caligine multâ obcecati, post concupiscentias suas præcipiti cursu festinant, carnis quidem prudentiâ præditi, sed scientiâ justorum destituti. Quod si hominibus odibilis est, ut Sapiens ait, qui sophisticè loquitur (2),

(1) Jac., iv, 17.

(2) Eccl., xxxvii, 23.

multò magis isti Deo odibiles sunt, qui sophisticè vivunt, non solum in verbis, sed etiam in vita mendaces. Scientiam Dei, quam non habent, ostentant, et scire vias ejus volunt, ac si justitiam quærerent, à qua maximè alieni sunt: aliorum defectus vident, non suos: alios corrigunt, non se ipsos: aliena curant, non sua: cumque vitiis pleni sint, virtutes quibus carent, detestabili simulatione prædicant, mala verò, quibus abundant, sagaciter abscondunt. Sed Deum fallere nequeunt, cujus lumen sole lucidius intimos cordis recessus penetrat, et illuminans abscondita tenebrarum, quidquid in eo latet, in novissimo die manifestabit. Atque utinam in hac æterna et splendidissima luce suas quisque maculas et imperfectiones perspiceret, facillimum cuique esset illas eluere et emendare. Cum enim defectus nostros vel in se ipsis, sive in nostræ cognitionis caligine, vel in splendoribus Divinarum perfectionum intueri possimus; prima cognitio hibernæ diei frigidæ, et obscuræ similis est; altera diei æstivæ fervidæ, et lucidissimæ comparatur, quæ suo fulgore minimas ac ferè imperceptibiles animæ sordes detegit, ignemque accendit, quo comburuntur. Hoc autem lumen videre non potest, et ad Deum ire, qui à se non exit. In solo Deo veritas est, et solida scientia; extra illum nihil est nisi ingens fabula et mendacium, atque stultitia.

CAPUT XII.

DAMNA PROPRIÆ VOLUNTATIS.

Quæcumque hic facimus propriâ voluntate Divinæ contraria, ligna sunt igne inextinguibili in futuro sæculo comburenda. Etenim infernus nihil aliud est quàm propria voluntas, quæ si non esset, nec infernus nec dæmones essent. Propterea omne malum, omnisque calamitas infelicitium damnatorum, propria voluntas est, quæ Divinæ pervicaciter adversatur. Ita etiam in hoc mundo, quo minus homo propriæ voluntati adhæret, eo magis ab inferno elongatur, æternæque felicitati appropinquat. Et si qui forent in hac vita propriæ voluntatis omninò expertes, hi sibi possent regni cælestis possessionem certa spe polliceri. Quomodo autem propria voluntas deponi debeat, paucis verbis Christus docuit cùm dixit: *Sequere me* (1). Cùm enim testatus sit se in hunc mundum venisse, non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret; ad hoc nostra voluntas inclinanda est, ut exuta omni proprietate, Christi crucem amplectatur naturæ amaram, spiritui dulcissimam. Hoc nimirum à nobis exigit Christiana professio, ut Christi exemplo in omni opere et eventu dicamus: *Non mea, sed Dei voluntas fiat*. Hoc requirit suprema et æterna voluntas, quæ omnes voluntates creavit et conservat, ut ad solum ejus obsequium et beneplacitum omnia opera nostra, omnia verba et co-

(1) Mat., vii, 22. — Marc., ii, 14.

gitationes dirigantur. Vera potitur libertate, qui in omni eventu sic ex animo loqui potest: Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Ego nihil volo nisi quod vult Deus. Ille sapienter disponit omnia, ejusque dispositioni tam in prosperis, quàm in adversis me libentissimè subdo, non meam sed ejus gloriam quærens, eo statu rerum contentus, quem ejus providentia ab æterno decrevit. Omnis turbatio hominum, et omnis anxietas ex eo nascitur, quod se subjicere Divinæ voluntati aut nesciant, aut nolunt. Magna autem pœna et intolerabilis illis est, qui hoc esse nolunt quod sunt.

CAPUT XIII.

UTILITAS SOLITUDINIS.

Ad exteriorem et interiorem hominis compositionem, inæstimabilis momenti est, corpore et animo solitarium esse, et proprium fundum colere in silentio. Ideò vir sapiens fugit hominum consortium, odit multiloquium, cunctis curiositatibus oculos et aures claudit, non se negotiis immiscet, sapientissimi viri sententiam in mente habens, *qui minoratur actu, sapientiam percipiet* (1). Deus unus, et solus est, nec ipsum reperire potest, qui solus non est. Quod si necessitas Deique gloria cogant aliquando virum sapientem exterioribus occupari, spiritus tamen ad interiorem recessum veluti ad suum cen-

(1) Eecl., xxxviii, 25.

CAPUT XII.

DAMNA PROPRIÆ VOLUNTATIS.

Quæcumque hic facimus propriâ voluntate Divinæ contraria, ligna sunt igne inextinguibili in futuro sæculo comburenda. Etenim infernus nihil aliud est quàm propria voluntas, quæ si non esset, nec infernus nec dæmones essent. Propterea omne malum, omnisque calamitas infelicitium damnatorum, propria voluntas est, quæ Divinæ pervicaciter adversatur. Ita etiã in hoc mundo, quo minus homo propriæ voluntati adhæret, eo magis ab inferno elongatur, æternæque felicitati appropinquat. Et si qui forent in hac vita propriæ voluntatis omninò expertes, hi sibi possent regni cælestis possessionem certa spe polliceri. Quomodo autem propria voluntas deponi debeat, paucis verbis Christus docuit cùm dixit: *Sequere me* (1). Cùm enim testatus sit se in hunc mundum venisse, non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret; ad hoc nostra voluntas inclinanda est, ut exuta omni proprietate, Christi crucem amplectatur naturæ amaram, spiritui dulcissimam. Hoc nimirum à nobis exigit Christiana professio, ut Christi exemplo in omni opere et eventu dicamus: *Non mea, sed Dei voluntas fiat*. Hoc requirit suprema et æterna voluntas, quæ omnes voluntates creavit et conservat, ut ad solum ejus obsequium et beneplacitum omnia opera nostra, omnia verba et co-

(1) Mat., vii, 22. — Marc., ii, 14.

gitationes dirigantur. Vera potitur libertate, qui in omni eventu sic ex animo loqui potest: Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Ego nihil volo nisi quod vult Deus. Ille sapienter disponit omnia, ejusque dispositioni tam in prosperis, quàm in adversis me libentissimè subdo, non meam sed ejus gloriam quærens, eo statu rerum contentus, quem ejus providentia ab æterno decrevit. Omnis turbatio hominum, et omnis anxietas ex eo nascitur, quod se subjicere Divinæ voluntati aut nesciant, aut nolunt. Magna autem pœna et intolerabilis illis est, qui hoc esse nolunt quod sunt.

CAPUT XIII.

UTILITAS SOLITUDINIS.

Ad exteriorem et interiorem hominis compositionem, inæstimabilis momenti est, corpore et animo solitarium esse, et proprium fundum colere in silentio. Ideò vir sapiens fugit hominum consortium, odit multiloquium, cunctis curiositatibus oculos et aures claudit, non se negotiis immiscet, sapientissimi viri sententiam in mente habens, *qui minoratur actu, sapientiam percipiet* (1). Deus unus, et solus est, nec ipsum reperire potest, qui solus non est. Quod si necessitas Deique gloria cogant aliquando virum sapientem exterioribus occupari, spiritus tamen ad interiorem recessum veluti ad suum cen-

(1) Eecl., xxxviii, 25.

trum tendit, ita ut magis in eo sit quam in opere exteriori, servata inter negotiorum curas mentis tranquillitate. Licet illi quacumque hora voluerit in animum suum secedere, in quo summam quietem reperit, bene omnibus intus compositis. Qui verò occupatur in circumferentia, et extremitate creaturarum, ad centrum suum, quod est Deus, nunquam perveniet. Imperitis et insipientibus pœna gravissima est, paucis horis secum vivere, et sibi attendere. Ideo omnem curam, et industriam ad hoc applicant, ut sui obliviscantur, et pretiosissimum tempus inutiliter prodigant. Ejus maximam partem usurpant sibi vitæ hujus necessitates, quod verò reliquum est, tanta illos molestia vexat, ut sollicitè quærant, quomodo illius jacturam faciant. Timent nimirum, ne, cum soli sunt, de se cogitare cogantur: nihil enim in se reperiunt quod sibi placeat, et à seria sui consideratione avertunt se, solatîa quærentes in creaturis, quia in se nihil inveniunt, nisi molestiam, tædium, et perpetuam agitationem. Fugiant itaque à seipsis, quia animam suam non vident qualem desiderant, sed nudam, deformem, plenam miseris, onustam peccatis. Non igitur mirari oportet, quod pauci sint, qui ferre possunt solitudinem; et fere omnes, turbas, negotia, et multitudinem obsidentem quærent, et amant; et si hæc desint, se infelices arbitrantur; semperque reipsâ infelicissimi erunt, donec discant secum vivere, et in seipsis atque in Deo requiescere. Docuit nos Dominus paucos electos esse, cum multi sint vocati, ut discamus declinare à multis, et cum paucis vivere, atque etiam in-

ter paucos timere, quia nemo scit in quam paucitatem electi redigantur.

CAPUT XIV.

QUANTUM NOCEANT DIVITIE, ET QUOMODO ILLARUM
AMOREM COMPESCERE OPORTEAT.

Quam sit perniciosus amor divitiarum, et quantum Christianis moribus, ac æternæ saluti adversetur, discipulos suos Redemptor noster edocuit, cum præmisso juramento, ut in rebus gravissimis consueverat, ait: *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum* (1). Et quò altius hæc terribilis sententia audientium cordibus infigeretur, rei difficultatem exaggerans adjecit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Porta siquidem cælestis patriæ angusta est, nec recipit divitiarum sarcinis onustos. Opes itaque et pecuniam ita diligere debemus, sicut ægrotus amaram potionem, quam ut amaram aversatur, amat ut necessariam ad pristinam valetudinem recuperandam. Et ipsa quidem valetudo, cum finis sit, propter se amatur, et sine mensura; pharmacum verò tantum diligitur, quantum satis est ad valetudinem, nec ullus æger reperitur, qui magnam pharmacorum copiam appetat; sed unicum, idque si fieri possit in minima quantitate, quam etiam prorsus rejiceret, si posset

(1) Mat., xix, 23.

absque medicamine sanus fieri. Eodem animo erga divitias esse debet omnis Christianus, ut sint nostræ peregrinationis subsidia, non irritamenta cupiditatis; ut, quantum in ipso est, sine illis vivere cupiat; nam, sicut ait Apostolus, *est... quæstus magnus pietas cum sufficientia* (1). Sanctus quoque senex Tobias monita salutis tribuens filio suo: *Noli, inquit, timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato* (2). Verè dives ille est, qui est dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondit. Studium congerendæ pecuniæ vix esse potest sine peccato; carnis siquidem et oculorum concupiscentia, atque superbia vitæ hominem vehementissimè afficiunt; et quia pecuniis, quibus omnia obediunt, facile consequimur quidquid appetimus, amor divitiarum hæc æstimatione ardentissimus est, et ad omne scelus impellit, dummodò quocumque modo arcam nummis impleamus. Sicut pueri, cum testis ludunt, summâ attentione ludo incumbunt, testas verò negligunt: ita nos debemus vitæ curam habere, ad quam opes necessariae sunt, ipsas verò negligere et ab his affectum avellere: nam si mens illis adhæreat, terræ affigitur, et deprimitur, et in vilissimam servitutem redigitur. Sicut etiam pueri, cum nuces projiciuntur, eas avidè rapiunt, et pro iis colligendis secum decertant; viri autem eas spernunt: eodem modo vir justus, et timens Deum, si aurum, argentum, dignitates distribuuntur, viderint, inquit, pueri, mihi hæc omnia nuces sunt. Si alio

(1) I. Tim., vi, 6.

(2) Tob., iv, 23.

projiciente in sinum meum nux incidit, forsitan accipiam, et fractam comedam: at nunquam me inclinabo, nec alium evertam, ut tollam, quia nux tanti non est. Nec tanti sunt omnia exteriora, quæ in bonis non esse habenda fides docet. Filius Dei factus homo divitias habere noluit, ut à nobis contemnendas esse ostenderet. Ideo filii hujus sæculi, qui spernere eas nolunt, Christum spernunt: filii autem Dei illic opes reponunt, *ubi neque erugo, neque tidea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur*. In hoc mundo satis est dives, qui pane non indiget.

CAPUT XV.

DE USU DIVITIARUM.

Quis sit proprius et legitimus divitiarum usus, pauci considerant: subsidia enim sunt humanæ vitæ, quas vir probus sine alicujus injuria congregat, sine affectu possidet, sine anxietate conservat, sine molestia erogat, et in usus necessarios honestè expendit. Cujusque autem necessitas ex proprii statûs conditione æstimanda est. Cùm enim aliqui superiores sint, alii inferiores; quidam nobiles, alii ignobiles: hinc sanè fit, ut in gradu sublimiori constitutus plures opes sint necessariae, ut honorificent ministerium suum: aliis verò pauciores sufficiant. Omnes autem honorum suorum administratores sunt, quibus intra metam Christianæ modestiæ tanquam fi-

deles dispensatores pro se uti, et quæ supersunt egentibus largiri debent. Rerum nostrarum verus Dominus est Deus, nos œconomi sumus, quâ consideratione etiam in affluentia divitiarum voluntariam paupertatem exemplo Sanctorum observare valeamus, illud præstantes, quod scriptum est: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (1). Natura aurum abdidit in visceribus montium, et in profundis atque inaccessis fodinis: et ideo avari qui aurum quærunt et diligunt, nusquam ad cælum oculos elevant, sed ad terram proni sunt, in qua latet aurum, nec unquam ab illa emergunt. Sapiens verò, rerum omnium interitum brevi futurum, mente et spiritu præveniens, à rebus infimis avulsum cor cœlestibus applicat, ubi veræ sunt, et in æternum duraturæ divitiæ; illic honorari desiderans, ubi nemo indignus honoratur: ibi regnare optans, ubi adepto regno nihil timetur. Omnia, quæ in terris possidet, immolat Deo, paratus his carere, si Deus voluerit. Porro cor nostrum alienum esse à divitiis facile his iudiciis cognoscemus: si firmiter credamus eas onus esse, earumque pondus sentiamus: si fastidio nobis sint, atque illis carere sine dolore possimus: si de illarum possessione non gloriemur: si persuasum nobis sit, pretiosam supellectilem, magnificas aedes, et reliqua ejusdem generis, propter quæ opes comparantur, nihil aliud esse quàm trophæa humanæ vanitatis, et salutis impedimenta. Nihil turbare non poterit, si liberi fuerimus ab omni opum affectu. Securus est, qui nihil potest amittere. Quemadmodum præstabilius est in angusto cubili benè valere, quàm

(1) Ps., LXXI, 11.

in amplo thalamo ægrotare: sic præstat in paupertate tranquillè vivere, quàm in multis opibus contentum esse. Animus suâ sorte contentus beatus est.

CAPUT XVI.

QUI SINT PAUPERES SPIRITU.

Regni cœlestis possessionem in paupertate spiritus constituit Christus cum dixit: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (1). Verè autem pauper spiritu ille est, qui nec divitiis desiderat, nec in his pacem habet: in cujus possessionibus et desideriis nihil est quod demi possit; qui multò majori anxietate metuit, ne dives fiat, quàm filii hujus sæculi ne incidant in paupertatem: qui super omnia creata in sublime elatus, è superiori parte spiritus sui sic loqui potest: Dives sum ego Dei gratiâ, et abundo, quia jam habeo quod concupisco, et hoc ipsum quod habeo sine adhæsione possideo, atque illo carere possum sine dolore, et detrimento. Veritas incommutabilis in me manens ineffabiles divitiis suas ostendit mihi, quarum possessione beatus sum. In ea veritate omnia continentur, et ultra ipsam nihil requiro. Ibi clarissimè perspicio, quod ex me nihil habeo, nihil sum, nihil possum. Ibi clamat Veritas voce terribili, ut omnia inferiora quæ per se vera, et per se bona non sunt, et quæ non sunt unum cum ipsa, nullo modo audeant ad me accedere, aut animæ facultatibus aliquam sui spe-

(1) Mat., v, 3.

ciem ingerere. Ibi video et cognosco omnia nihil esse, nihilque mihi contingere posse, nisi ipsa sempiterna veritas permittat, ipsa nimirum æterni Patris æterna providentia, quæ me nudum in hunc mundum de utero matris eduxit, et nudum inde extrahet in sinu terræ sepeliendum tempore præfinito. Hæc ex sublimi scientiâ sanctorum è throno Altissimi infusâ, verè et ex animo effantur veri pauperes spiritu, et ideo ipsorum regnum cœlorum esse Christus asseruit, quia nihil in eis, quod terram sapiat, reperitur. Atque utinam hanc veritatem omnes Christiani benè perciperent, nam perituras Mundi divitiis nemo quæreret, nemo diligeret: sed sicut pauci sunt electi, ita pauperes spiritu pauci sunt. Dicit Scriptura beatum illum esse, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris: et quia paucorum hæc virtus est, subdit: *Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua* (1). Verè siquidem mirabile est hominem reperire qui nihil eorum concupiscat quæ mundus admiratur, cui paupertas divitiæ sint, qui vitæ humanæ subsidiis eâ moderatione utatur, quam Lex æterna præscribit, atque omnia exteriora ita possideat, ac si sua non essent. Ideo pauci omnino sunt, qui ad hanc perfectionem perveniant, quia vitam ejusque comoda, quæ divitiis parantur, pauci sunt qui negligant, pauci qui Christo credant præcipienti ut primò quæramus regnum cœlorum; nam cætera adjicienter nobis (2). Idem seriò admonuit nos, ne de cibo et potu, aut de vestimento solliciti simus; Pater

(1) Ecl., xxxi, 9.

(2) Mat., vi, 33.

enim cœlestis scit, quia his omnibus indigemus. Cur igitur Deo non credimus? cur de Patris providentia diffidimus? Obstant nimirum, ne credamus vincula cupiditatis, quibus irretiti aures claudimus veritati, atque humi defixi oculos in cœlum tollere non valemus. Angustus admodum trames est, per quem veritas ducit hominem in cœlum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus et nudus. Locupletes autem ingentibus sarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latissima est. Quid ergò prodest cunctis sæculi opibus affluere, si divitiis caremus, quæ permanent in æternum? Exules sumus et peregrini, qui ad patriam pergimus, iter autem agenti per loca angusta et difficilia minuenda sunt, non augenda impedimenta.

CAPUT XVII.

QUE, ET QUALIS SIT OBLIGATIO FACIENDI ELEMOSYAM.

Divitiæ, quæ ad vitam corporalem, et ad decentiam statûs necessariæ non sunt, sine periculo æternæ salutis retineri vix possunt, et in vanos ac profanos usus expendi, illæ præsertim quæ ex redditibus ecclesiasticis congestæ sunt, sed pauperibus subveniendis, vel ad honorem Dei erogandæ sunt. Laus omnis et bonitas pecuniarum in usu consistit; viliosæ et inutiles sunt, cum in arca servantur, cum nihil ex illis cœlestibus thesauris inferatur; cum soli possidenti serviunt; cum nec pauper auxilium, nec peregrinus solatium, nec alii egentes ex illis sub-

sidium percipiunt. Opes, possessiones, thesauri, et alia ejusdem generis bona, ab hominibus vocantur, non quod aliquem bonum faciant, sed quia ex his bonum operari possumus; piis enim largitionibus augetur justitia, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi* (1). Salomon quoque ait, *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ* (2). Et alio loco, *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis* (3). Quemadmodum Christianæ fidei, et pietati nihil magis congruit, quàm egenorum paupertati succurrere, et propriæ conditionis in aliorum necessitatibus meminisse: ita nihil crudelius, et magis noxium, quàm necessaria non solum egentibus, sed proprio etiam corpori subtrahere, ut congregentur opes, et hæredibus serventur, qui illas brevi tempore dissipabunt. Sed multo major, et nunquam satis deploranda calamitas est animam suam perdere, ut alii ditescant. Quomodo verò et quando lethalem culpam incurrant, qui superflua non erogant, hic non disputo; nam hoc speciatim determinare non est humanæ scientiæ, sed Christianæ prudentiæ, quæ docet unctione magistrâ, quid et quantum quisque debeat sibi adimere, ut in digentis vel gravi vel extremæ necessitati subveniat. Rursum quæ sit gravis, aut extrema necessitas, hic non exquiro; sed audio Dominum sine distinctione præcipientem, *Quod superest, date eleemosynam* (4). Audio Joannem Bap-

(1) Ps., cxi, 9.

(2) Prov., xii, 8.

(3) Eccl., iii, 33.

(4) Luc., xi, 41.

listam, qui prædicans pœnitentiam, et requisitus à turbis, quid illis faciendum esset, respondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat* (1). Audio prophetam psallem: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* (2). Audio Esaiam qui ait: *Frangere esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (3). Audio sanctissimum senem Tobiam his verbis filium instrumentem: *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras* (4). Quid amplius dici potest? nam etiam de exiguo dandam esse eleemosynam monet, ut à peccatis, et à morte perpetua anima nostra liberetur. Sed et Apostolus audiendus est, quem diligebat Jesus, sic fidelibus scribens, *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo Caritas Dei manet in eo* (5)? Quod si Charitatis non est in illo, erit concupiscentia mala,

(1) Luc., iii, 11.

(2) Ps., xl, 2.

(3) Esai., lviii, 7.

(4) Tob., iv, 7.

(5) I. Joan., iii, 17.

et partem habebit in futuro sæculo cum illo divite, qui induebatur purpura, et bysso, et epulabatur quotidie splendide, negatâ Lazaro mendico alimonia de micis ab ejus mensa cadentibus (1). Clamat intus conscientia et magnis vocibus avarum divitem interpellat dicens, cur pauperem esurientem à te repellis? Si non pavisti, occidisti. Panis, qui tuis usibus superest, esurientis est: nudi sunt vestes, quæ apud te marcescunt: egentis est aurum, quod in arca custodis. Christus in extremo judicio æternis ignibus damnabit impios, quia misericordiæ opera indigentibus denegarunt: nam dicit: *Esurivi et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi potum: nudus eram, et non operuistis me* (2). Nec ullam gravissimæ, sive extremæ necessitatis mentionem facit. Vix enim totius vitæ decursu aliquis occurrit, tantâ pressus egestate, ut sine alterius ope vivere nequeat, nec alius inveniatur, qui ei velit et possit opem ferre, idque nobis certum sit. Rarò hæ conditiones occurrunt, et si istæ attendendæ forent, nullus ferè locus eleemosynis relinqueretur. Danda igitur eleemosyna est, ex eo præcisè quod quis superfluum habet; nam misericordia plenitudo virtutum est: nec, ut multi faciunt, ad vitæ finem differendæ sunt piæ largitiones; longè enim minoris pretii apud Deum sunt quæ testamento legantur, quàm quæ vivens, et retinere valens piâ liberalitate largitur.

(1) Luc., xvi.

(2) Mat., xxv, 42.

CAPUT XVIII.

PATIENTIÆ NECESSITAS.

Inter cæteras Christianæ disciplinæ partes, quæ ad vitam æternam consequendam necessariæ sunt, nulla melior, nulla utilior patientiâ, per quam homo Dei longanimitatem imitatur, qui tot mortalium sceleribus provocatus patientissimè tolerat, neminem à suis beneficiis excludit. Solemque suum oriri facit super justos et injustos. Patientia iram temperat, linguam frænâ, mentem regit, pacem custodit, impetum frangit, simultates extinguit, fastum comprimit, mundum vincit, carnem coercet, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, mites in contumeliis, tentationes expugnat, persecutiones sustinet, vitam perficit et coronat. Ut nihil malorum fiat, hæc sola efficit, quâ si omnes præditi essent, nullum scelus, nulla fraus in rebus humanis foret. In hoc sapiens ac bonus vir à malis et insipientibus differt, quia habet invictam patientiam, quâ illi carent. Magna itaque virtus est tolerantia, omnibus vitis et affectibus opposita, propter quam vir justus variis adversitatibus à Deo probatur, ut mala, quæ inferuntur aut accidunt, æquanimiter ferre, sibi que imperare, ac se regere discat. Nam quia naturæ repugnare non possumus, nec impedire, ne animus lacessitus injuriâ commoveatur, hæc virtus necessaria est, quæ animum fluctuantem contineat, ne prosiliat ad nocendum, atque hominem sibi reddat infensum.

Ipsimet Philosophi maximis laudibus patientiam commendarunt, omnem sapientiæ suæ ostentationem ex ea proferentes : sed apud illos sicut falsa sapientia, ita falsa patientia fuit : Deum enim ignorantes tantum à vera sapientia aberant ; quantum ab ejus auctore distabant. Nos autem Christo docente didicimus, oportere nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, et hæc est vera sapientia scire Christum, et hunc crucifixum, ejusque crucem diligere, et alacriter ferre. Nam cum debeat Christiani vita Christi patientis redhibitio esse, qui crucem aversatur Christianus non est. Nemo speret se futurum sine flagello ; flagellat enim Deus omnem filium quem recipit : nullus excipitur, etiam unigenitus Filius, qui solus fuit sine peccato, non tamen fuit sine flagello ; nam oportuit eum pati, et ita intrare in gloriam suam. Unusquisque hominum pœnis et malis hujus vitæ aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem. Quantumeunque verò quis patiat, ad Christi tormenta, ad ejus ignominiam, et crucem nunquam perveniet.

CAPUT XIX.

ADVERSITATES EXERCENDÆ VIRTUTIS OCCASIO SUNT.

Vita nostra via est, quâ ad patriam pergimus. Nulla viæ conditio illi deest. Itur aliquando per plana, aliquando per aspera : sunt loca amœna, sunt senticosa, sunt prærupta, et inaccessa. Aliquando turbæ comprimunt ; mox solitudo est. Sunt à bestiis

pericula, sunt à latronibus. Nunc pluit, nunc sudum est. Oppositiones et adversitates ubique sunt, atque etiam in ordine gratiæ locum habet cujusdam Philosophi sententia, *omnia fieri secundum litem*. Virtus enim non acquiritur sine oppositione, nec potest homo agnoscere quantum fortitudinis habeat, si desint adversitates et tribulationes. Si quis stultorum vocibus, quorum immensa turba est, ad cœlum extolleretur, si nemo illi auderet contradicere, si mensa illi pretiosis dapibus affluens sterneretur, si res ejus familiaris fideliter administrata magnis sumptibus idonea foret, si ædificiorum excelsæ moles habitaculum illi præberent ; si omnes in illum honores, omnes dignitates, omnes deliciae confluerent : quis esset adeo facundus et eloquens, ut illi persuadere posset inania esse hæc omnia, quæ vulgus bona vocat, mala autem hujus vitæ Dei beneficia esse, quibus nos præparat ad æternam beatitudinem consequendam ? Ideo electos suos exercet Deus adversitatibus, ut propriâ experientiâ discant, quàm fluxa, et fragilia sint, quàm plena miseriis quæcumque mortales bona esse arbitrantur : et è contrario quàm bona sint, quæ homines mali, mala esse credunt, ac si nihil pati, maximum sit hominis bonum. Sapientis igitur est inter omnia contraria et obstantia divinæ Providentiæ, læto animo obsequi, et cor suum eo loco figere, ubi nulla perveniunt vitæ hujus incommoda. Sæviant homines mali adversus bonos quantum voluerint, quantum permissi fuerint ; ruant in eos, agmine facto, cunctæ calamitates, non contristabit justum quidquid ei acciderit (1). Ta-

(1) Prov., XII, 21.

lem virum nec felicitas corrumpit, nec frangit adversitas; dicit enim in omni eventu: *Planè hæc infirmitas mea est, et portabo illam* (1). Sic debet fieri, sic volo ut fiat. Omnis creatura velit, nolit, uni Deo subjecta est; sed alii obediunt ut filii, et faciunt quod justum est; alii patiuntur ut servi, et fit de illis quod justum est. Nemo Dei leges evadit, aut facit homo quod lex jubet, aut patitur quod lex decernit.

CAPUT XX.

PATIENTER FERENDA QUÆ QUOTIDIÈ OCCURRUNT.

Multi sunt, qui graves sibi cruces et tribulationes eventuras fingunt, quas patientissimè ferre proponunt; et hæc rerum, quæ nunquam erunt, inani specie delusi eximium patientiæ actum se exercuisse arbitrantur: cum interim multò minores cruces, easque præsentis totis viribus fugiant, et abominentur. Tollendus hic error est, et solerter advertendum in magnis rarissimè, in minimis frequenter adesse patientiæ occasionem, quæ quotidie, ac omni ferè momento exerceri potest aliena mala tolerando, propria corrigendo. Libentius autem ea crux amplectenda, quam Deus immittit, nam quæ propria voluntate assumitur, non semper à Deo est. Sicut gaudent infirmi, cum in medicum peritum incidunt, qui lethalem corporis ægritudinem curare sciat, et velit: ita nos calumniis, injuriis aliisque molestiis

(1) Jerem., x, 19.

laccitati gaudebimus, et exultabimus, quod aliquis repertus sit, cujus operâ animæ nostræ vulnera sanentur, et summis apud Deum opibus locupletemur. Quidquid verò evenerit, libenter amplectemur, placet enim quod libet, et ea dumtaxat molesta sunt, quæ non libent. Qui volens, et lubens patitur, et minus patitur et meritum auget. Nec obest reluctantis naturæ repugnantia, dummodò contrarii motus ad partem rationalem, in qua meriti et demeriti sedes est, non perveniant, imò hæc obnitatur, Deique opem ferventi oratione deponat. Quod si murmurerit, si conturbatur, si omiserit quæ proprii muneris sunt, signum erit voluntariæ rebellionis, quandoquidem ad ea impellit, quæ non nisi deliberato animo fieri possunt. Virtutes, quæ in actione consistunt, facile exercentur: at quæ in tolerantia versantur, difficillimæ sunt, quia illarum usus extra nos est, istarum in nobis; illis natura consentit, istis repugnat. Cæterum moderatè, et toleranter ferendi propter Deum quæcumque adversa singulis diebus contingunt, exemplum præbent milites, quorum tolerantia incredibilis est. Nam quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula patiuntur, et hæc omnia hilari animo, ut paucos dies senectutis quietos habeant, ad quos nesciunt utrum pervenient? Nos verò pro æterna requie brevissimi temporis laborem non sustinebimus? Tolerabilia et levissima fient quæcumque patimur, si præmium consideremus, quod Deus promisit.

CAPUT XXI.

GAUDENDUM IN TRIBULATIONIBUS.

Sicut in ædificio plus operis et sectionis uni saxo quam alteri adhibetur, jubente et disponente architecto, qui unum præ altero nobiliori loco destinavit: sic à Dei arbitrio petenda est ratio, cur unus graviora, alter minora patiat^{ur} adversa: unicuique enim propriam crucem tribuit Deus, singulorum viribus æquam, et parem gloriæ ac coronæ, quam singulis præparavit. Sicut igitur marmor, si compos rationis foret, sculptoris ictus patienter ferret, et gratias ageret: ita nos gaudere oportet, quod variis tribulationibus quasi quodam scalpello nos Deus expolire dignetur, ut sublimiori loco in domo ejus collocemur. Castigat ille quos amat, ne mundi prosperitate corrupti, à via salutis aberrent. Ideò mali homines bonis sunt necessarii, ut per illos tanquam Dei ministros exercentur, et ad virtutem assiduis afflictionibus obdurentur. Quod cum verissimum sit, ille affectus erga adversarios induendus est, quem erga Semei sibi maledicentem Sanctus rex David ostendit, dicens, *Dominus enim præcipit ei, ut malediceret David: et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit* (1)? Nemo enim malum inferret, nisi Deo volente et permittente: nec ille vellet, aut permetteret, nisi ad majorem sui gloriam et salutem nostram. Porrò in ma-

(1) II. Reg., xvi, 10.

lis, quibus vexamur, non à creaturis solatium petendum est, sed à solo Deo, qui prima causa omnium pœnarum est. Nam vera consolatio non nisi in veritate reperitur, quæ Deus est. Hæc docet nos tribulationem necessariam esse, et cum gaudio suscipiendam veluti arrham, et pignus Divinæ ergà nos dilectionis. *Omne gaudium*, ait Jacobus Apostolus, *existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incidideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet* (1). Insidiæ, calumniæ, persecutiones, et alia mala hujus vitæ, maximum bonum sunt, et maximè diligendum, quia in illis nihil est boni, nihil amabile præter Divinum beneplacitum, ad quod tanquam ad primum principium cuncta revocari debent, quæ carni et sanguini molesta sunt. Iniquo judici Pilato dixit Christus, *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (2). Hæc agnità in omni eventu potestate, absque ulla difficultate mentis tranquillitas conservatur. Quæcumque nos angunt, si extra Deum considerentur, mille phantasmata et distractiones pariunt. Cum enim extra centrum suum trahuntur, incipiunt gravia esse, multaque suggerunt phantasie præterita, præsentia, et futura, quæ nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt: atque hinc oriuntur angustie cordis, noctes insomnes, et curæ insanabiles. Quod si quis assuescat omnia in Deo conspicerere, et ad ipsum referre, semper hilaris et immotus dicet in omni eventu cum S. Job, *Sicut Domino placuit, ita fac-*

(1) Jac., i, 2.

(2) Joan., xix, 11.

tum est: sit nomen Domini benedictum (1). Deus qui me affligi permittit, mei curam gerit infinita charitate. Ipse me cruci affixit, in qua constanter permanebo donec ipse me deponat.

CAPUT XXII.

TOLERANDE DETRACTIONES.

Si magis angimur propter ea quæ de nobis perperam loquuntur homines, quam propter peccata, quæ sola nos cruciari debent, manifestè convincimur, quod nos ipsos magis amamus quam Deum. Infinitæ et horribiles sunt blasphemie à perditis mortalibus contra Deum prolatae, et ille hos tolerat, suorumque donorum participes facit: nos autem repleti vitiiis et sceleribus, si quis nobis mala, quæ facimus, exprobraverit, excandescimus, et à nemine contemni volumus. Illud potius metuendum, ne immeritis laudibus extollamur, ne nimia nos felicitas à crucis Christi consortio, et ab ejus gloria excludat. Si appenderentur veluti in statera quidquid memur pro peccatis nostris, quidquid Christus pro nobis pertulit, in altera verò lance omnia tormenta, omnes injuriæ, omnia dedecora ponerentur, hæc certè præ illis, ac si nullius ponderis forent, levisima apparerent. Considerandum quoque est, quælibet ab aliis illata mala non ab inferentis, sed à patientis affectu gravia vel levia constitui. Nam qui hæc sper-

(1) Job., 1, 21.

nit, qui non accipit, qui vulnere superior est, nihil patitur. Non manus quæ tela vibrat vulnus facit, sed corpus quod patitur: nam si quis corpus adamantinum haberet, licet innumeris undique telis percuteretur, nullo vulnere affici posset: ita injuriæ, oblocutiones, et alia mala non à petulantium, et improborum insania lædendi vim habent, sed à Patientis imbecillitate. Beatus est, qui vitam suam ita disposuit, ut de illo quidpiam sinistri ne fingi quidem possit, pugnante meriti magnitudine adversus malignantium obtrectiones. Quod si hoc assequi non valeamus, hanc saltem diligentiam vitæ nostræ adhibere par est, ut nemo in nobis detrahendi occasionem inveniatur, alioquin frustrâ detractoribus irascimur, si nos illis detrahendi materiam suppeditamus. Si verò nobis cuncta sollicitè ad honestatem providentibus, illi nihilominus insaniunt, consolari nos debet Redemptoris nostri semper memoranda sententia: *Beati estis cum... dixerint omne malum adversum vos mentientes* (1). Sentiant de nobis homines, et dicant quidquid libet, beati erimus si nostra nos conscientia apud Deum non accuset. Fallaces et mutabiles sunt hominum opinioniones, vana judicia, quæ nec prosunt nobis, nec obsunt. *Si adhuc hominibus placerem*, inquit Apostolus, *Christi servus non essem* (2). Sed nec fieri quidem potest, ut quis omnibus placeat: nam velle suum cuique est, trahitque omnes diversa, et unumquemque sua voluptas, et qui ab uno laudatur, ab aliis deridetur. Quidam Philosophus dicenti sibi, omnes te derident,

(1) Matth., v, 11.

(2) Gal., 1, 10.

respondit : at ego non derideor. Illos siquidem irrideri non posse judicabat, qui derisionibus non perturbantur.

CAPUT XXIII.

TAM PROPRIA, QUAM ALIENA MALA EQUANIMITER FERENDA.

Optimum remedium est, in omni afflictione et adversitate, à præsentī angustia mentem avertere, et ad Deum convertere, nostra quippe natura angorem suum conspicerē nequit sine affectu miserationis erga se ipsam. Tum quia omnis cruciatus et ægritudo animi ex eo provenit; quod rem, quam amamus, amittere timemus; efficacissimum omnium malorum alexipharma est illud solummodò bonum amare, quod nulli subest mutationi, nec ab ulla creata potentia auferri potest, aut impediri. Ab aliquo autem verbo, vel facto læsi, linguam omninò continere debemus, ne in verba erumpat animi commotionem indicantia: sicut enim languentis stomachi est non posse cibum duriorē concoquere, ita animi pusilli est, aspera verba ferre non posse. Dicebat quidam vir sanctus, se nullam unquam habuisse adeò gravem afflictionem, quam tacendo non vicerit; nam quidquid sit quod cruciat, spretum exolescit; si verò irascimur acceptā injuriā, eā nos dignos fuisse testamur. Dignus est contemni, qui de contemptu dolet. Non tamen sufficit dolorem intus premere, et tacere, sed intus etiam se arguere oportet, et omni

abjectione dignum æstimare. Etenim vir sapiens, qui se attentius circumspicit, non considerat quid patiat, sed quā multa dignus sit pati propter peccata, quibus Deum offendit. Alios autem non judicat, ne seipsum damnet, memor Apostoli dicentis, *In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas* (1), neque offendetur ob exiguum proximi debitum ipse debitor decem millium talentorum. Insanus est, qui suo graviore morbo, impatientiā scilicet et superbiā, alienum curare nititur. *Tu quis es, inquit Apostolus, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit* (2). *Aut quomodo potes dicere fratri tuo, ut in Evangelio legimus, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns* (3). Solius Dei est aliena delicta judicare, cujus est ea justè punire, aut misericorditer curare. Ad nos autem spectat, ea si possumus corrigere, et impedire; alioquin patienter ferre; nam si vitium displicet, illud prius in nobis emendandum est, quā in aliis. Qualis Deus erga nos est, patiens scilicet, et misericors, tales nos aliis exhibere debemus.

(1) Rom., ii, 1.

(2) Ibid., xiv, 1.

(3) Luc., vi, 42.

CAPUT XXIV.

REMEDIA IMPATIENTIÆ.

Multa sunt negotia et officia, quæ aggredi et quibus fungi oportet; multa hominum consortia, quibus cogimur interesse: vixque fieri potest, ut omnia ex animi nostri sententia eveniant, et omnes nobiscum consentiant. Idcirco summâ curâ advertendum, ne animi excussa tranquillitate in impatientiam labamur. Id autem assequemur, præparato et præmunito animo earum rerum consideratione, quæ in singulis negotiis, officiis, et congressibus contingere solent, nec possunt à nobis immutari, aut impediri. Nam si dura quæque, injucunda, et molesta, quæ res ferè singulas concomitantur, antea prævisa fuerint, et ad illa æquo animo ferenda parati simus, omnem facile commotionem et mentis ægritudinem evitabimus. Hoc præcipuum opus est, cui sedulo incumbere oportet, ut rebus scilicet exterioribus, prout exigit earum natura, utamur. Illarum autem natura fert, ut nobis serviant, non dominantur; ut multis casibus obnoxia et extra nostram potestatem sint: et ideo virum sapientem sui que propositi tenacem, de solido mentis statu nunquam dejiciunt. Si quis eum abducat, si facultates eripiat, si dignitate privet, si tormentorum, vel mortis metum incutiat, non vincitur, non cedit, non læditur, quia dudum cogitavit, et didicit hæc omnia extra se esse. Opiniones

perturbant hominem, non res. Nemo angitur, nemo luget, nemo tremit, nemo expavescit, nisi qui appetit, aut timet aliquid, quod penes ipsum non est. Martyres Christi diversis tormentorum generibus dilacerati inter fatigatos carnifices invictam animi patientiam constantissimè tenuerunt: ipsis quoque pueris, ac mulieribus nec flagella, nec succensæ fornaces gemitus exprimere potuerunt. Verberari poterant, et occidi, non vinci: nam quæ tyranni dare poterant, vel auferre, ipsi spernebant, utpotè extra se posita. Virtutem verò animi nemo illis eripere potuit, quia extra regum et tyrannorum potestatem est.

CAPUT XXV.

PROPRIA CHRISTIANORUM VIRTUS HUMILITAS.

Clamat verbum Dei, fons Sapientiæ, clamat omnium virtutum magister et auctor, et dicit, *discite à me* (1). Magnum aliquid audituri sumus; quis est enim qui dicit, *discite à me*? Ille est qui fecit cælum et terram, qui omnia produxit è nihilo, qui dixit de tenebris lucem splendescere. Numquid docebit nos hæc eadem facere, et novum mundum creare? sed solus Deus hæc facit. Dicit ergo, ut ab illo discamus quod ipse propter nos homo factus est, *qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus,*

(1) Matth., xi, 29.

et habitu inventus ut homo (1). Discite, inquit, à me non mortuos suscitare, non dæmones expellere, non leprosos mundare, non cæcis lumen, surdis auditum reddere, non siceo vestigio pelagi undas calcare, sicut quidam fecerunt, quibus hanc gratiam donavi; sed, *discite à me quia mitis sum, et humilis corde*. Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Ad hoc redigit omnes thesauros scientiæ et sapientiæ suæ, ut disceremus ab ipso humiles esse. Adeo res magna est et difficilis humilem esse, ut omnino disci non posset, nisi ab illo qui maximus est. Non enim posset humana superbia tumore deposito humilis fieri, nisi ab illo sanaretur, qui, cum Deus esset, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (2). Est igitur humilitas propria, et præcipua Christianorum virtus, superbis Philosophis ignota, quam præ cæteris Christus docuit verbo et exemplo, ut in novitate vitæ ambulantes ad præmium supernæ vocationis post ipsum properemus, sedulo considerantes unde peregrinemur, quò tendamus, quantum viæ egerimus, quibus præsidii ad iter peragendum muniti simus. Nisi enim humilitas omnia quæcumque facimus et præcesserit, et comitetur, et subsequatur, nunquam ad optatam metam pervenimus. Nobis quippe de aliquo bono opere gaudetibus, quidquid egimus inficit superbia, quæ etiam in rectè factis timenda est, ne quod laudabiliter operamur, ipsius laudis cupiditate amittatur. Quod si aliquando cogitationes nostræ nos aliquid esse sug-

(1) Phillip., ii, 6.

(2) Ibid., ii, 8.

gesserint, terra semper præsens est, quæ primæ nostræ originis nos admonet. Terra sumus, et mox in terram revertemur. Super hoc fundamento reliquarum virtutum ædificium construendum est: nam si quis gratiam miraculorum habeat, ita ut montes transferat; si variis linguis loquatur, si dono prophetiæ præditus sit, si omnes infideles ad Deum converterit, si omnes facultates suas egenis distribuerit, in maximo periculo labendi jugiter erit, extorqueute illi superbiâ, quidquid laudabiliter fecit, nisi conscius infirmitatis suæ imminemem sibi ruinam semper timeat, et de se diffidens salutem suam cum timore et tremore operetur. Vera Christianorum sapientia hæc est, ut discant humiles esse.

CAPUT XXVI.

HOMO PER SUPERBIAM A DEO RECESSIT, ET AD ILLUM PER HUMILITATEM REDIRE DEBET.

Superbia vitium præ cæteris execrabile et noxium ab Angelo tunc originem sumpsit, cum adversus Deum elatus ad se ipsum eo deserto conversus est bona sibi insolenter arrogans, quæ à creatore acceperat, ac si ipse sibi illorum fons et auctor foret. Illius enim sunt apud Isaiam apostatica illa, et intolerabilem fastum indicantia verba, *In celum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (1). Idem et in homine contigit, qui serpen-

(1) Isai., xiv, 13.

tis dolo deceptus conditori suo æqualis esse concupivit, tanquam hoc haberet simile Deo, ut non nisi de propriis dives esset. Ideo scriptum est, *initium superbiæ hominis, apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus* (1), et in sublimitate constitutus horribiliter dejectus est. *Initium igitur omnis peccati*, ut eadem scriptura testatur, *est superbia* (2), quam veluti hæreditario jure à primo parente omnes accepimus, propriam excellentiam veluti scopum in omni actu, et cogitatione spectantes, à Deo aversi, et ad nos ipsos conversi, ut ergo ad illum revertamur, à quo per superbiam recessimus, contrariâ viâ humilitatis incedendum est. Basis verò seu fundamentum, super quod humilitas extruitur, propriæ fragilitatis et miseriæ cognitio est, ut nimirum quisque cognoscat, et fateatur se nihil habere, nihil posse, nihil esse, nihil sibi deberi. Deus enim primi hominis corpus è limo terræ formavit, cui animam infudit è nihilo creatam, sui capacem, et præclarissimis gratiæ donis decoratam, quibus superveniente peccato spoliata, maculâ infecta est naturæ viribus indelibili. Pristino autem decori per gratiam Christi redemptoris restituta, rursus propriâ voluntate à justitia recedens deformis facta est, et Deo odibilis: et sic utique permaneret, nisi respiciens desuper Pater misericordiarum illam iterum à servitute peccati ereptam, in libertatem et pulchritudinem filiorum Dei vindicaret. Surgere verò post lapsum nemo potest, nisi qui profitetur Divini muneris esse quòd surgit. Quis enim de massâ perditio-

(1) Eccli., I. x, 14.

(2) Ibid., x, 15.

nis discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, nisi gratia Dei per Jesum Christum? Quod si quis inaniter inflatus dicat, discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me justitia mea: occurrit Apostolus hæc dicenti, et ait, *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1)? Idem quoque dicit, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est* (2). Denique Redemptor noster ait: *Sine me nihil potestis facere* (3), ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus, sed quemadmodum scriptum est, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* (4). Non enim gloriari possunt peccatores, qui non habent unde gloriantur: neque justus, quia gloriam non habent, nisi in illo, cui concinunt, *Gloria mea, et exaltans caput meum* (5). Sed numquid aliquis fortè gloriabitur, quod Dei beneficia non rejecerit? Hoc profectò extremæ dementiæ foret, ac si quis jaclaret se, quod, cum posset miser esse, et se in puteum præcipitem dare, id tamen non fecit. At istud etiam divinæ misericordiæ fuit, quæ si lucem, et opem suam subtraheret, nec ejus dona agnoscere, nec iis uti possemus. Superanda igitur cupiditas gloriæ, dilectione justitiæ, adeò ut in his, quæ rectè facimus, amor humanæ laudis cedat amori veritatis. In nullo enim gloriandum, quandoquidem nostrum

(1) I. Cor., iv, 7.

(2) II. Cor., iii, 5.

(3) Joan., xv, 8.

(4) I. Cor., i, 31.

(5) Ps., iii, 4.

nihil est. Et hoc est fundamentum omnium virtutum, scire et credere, quod ex nobis ipsis nihil possumus, nihil sumus, nihil habemus. Deus enim est, qui operatur in nobis et velle et perficere; atque ideo timendum ne gratia Dei, quæ datur humili, auferatur superbo.

CAPUT XXVII.

CHARACTER SUPERBI.

Superbia quædam elatio est, per quam homo ultra modulum suum extendit se, et sibi jactanter attribuit, quæ sua non sunt. Tum sui figuram et ideam, quam ipse pulcherrimam, et altissimam concepit in aliorum mentibus imprimere nititur, genus suum jactans, et dignitates, animique ac corporis dotes, quibus se super cæteros extollit, ac si potentia et magnitudine omnibus antecellat. Altiores autem assumit spiritus et arrogantiam, si his accedat servorum multitudo, pretiosa supellex, vestium luxus, gemmarum fulgor, ædium magnificentia et apparatus, pecunia in multos annos reposita, et alia ejusdem generis multa, quæ jactantiæ fomentum præbent, et insolentiæ pabulum subministrant. Ideo magnificos optat titulos, populique plausum et laudes, tanquam indicium quod super alios emineat; et de his gloriatur, in his quiescit veluti in summo vitæ hujus bono, de æterna vita nihil sollicitus: Hinc oritur odium, quo quisque aversatur quidquid ipsum deprimit, et reliquis inferiorem os-

tendit. Hinc fastidium, et mœror, cum in aliqua re quis deprehenditur, quæ propriam excellentiam minuire videatur. Hinc timor continuus, et omnium ferè hominum anxietas timentium, ne opera quæ aggrediuntur infelicem exitum sortiantur: omnes enim videri volunt et laudari, nec immunes ab hoc morbo sunt infimæ plebis homines sordidas et despiciatissimas artes exercentes, nam et proferunt se, et cupiunt ob artis suæ peritiam inter cæteros ejusdem sortis eminere. Ipsimet Philosophi, qui de contemnendâ gloriâ multa præclare scripserunt, effugere superbiam non potuerunt, quam maximè detestati sunt, gloriam re ipsâ quærentes, quam verbis damnarunt. Occultè siquidem serpit hoc virus, et avulsâ pessimæ arboris radice, adhuc remanent subtilissimæ quædam fibræ, quæ vix à sanctissimis viris deprehendi queunt. Ejus itaque motus accuratissimè observare ac Dei timore comprimere oportet, et magis veritate quàm falsis hominum laudibus delectari. Fumus è fornace erumpens in altum elevatur, et ingenti globo intumescens splendidissimum solis jubar obnubilat; sed quia caret soliditate, statim in auram dilabitur, et evanescit. Ita superbi, qui se inaniter extollunt nullo virtutum fundamento solidati, quantò amplius erigunt se, et in majorem ambitum diffundi satagunt, tantò exiliores sunt, ac citius deficiunt et non apparent. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat* (1).

(1) Ps., xxxvi, 35.

CAPUT XXVIII.

INCITAMENTA HUMILITATIS.

Depravatæ naturæ pondere undique impellimur, et in lubrico positi, stabili gressu stare non possumus, nisi dextera Domini teneat nos. Si à gravioribus flagitiis abstinemus, hoc Dei ope fit, omnem peccandi occasionem misericorditer subtrahentis, alioquin experientiâ magistrâ jam didicimus, quales simus in proximo labendi periculo constituti. Si quid boni in nobis est, id valde exiguum, et imperfectum est, cumque bonum sit ex integra causa absque ulla mali admistione, quis certò asserere audebit, se aliquod opus aliquandò fecisse, quod ex integro bonum fuerit, et gratum Deo, et non potius innumeris imperfectionibus permistum? Quis tam sollicitè salutem suam quærît, aut tanto ardore perfectioni incumbit, sicut filii hujus sæculi opes quærunt et dignitates? Certi quoque sumus, nos gravissima commisisse peccata, de quorum remissione incerti, nescimus utrum amore digni simus vel odio: et si speramus veniam à Deo obtinuisse, de dono tamen perseverantiæ securi non sumus, sed omnia in futurum reservantur incerta. Quis verò hæc perpendens gloriari potuerit, aut aliquid sibi tanquam proprium usurpare, et in se fiduciam habere? imò quis non timebit? quis non palam et ex corde profitebitur se nihil esse, nihil posse? Sicut aër recedente sole obs-

curus fit et tenebrosus, ita anima, Deo lucem et opem subtrahente, nihil videt, nihil potest. Hanc veritatem si quis plenè intellexerit, ab aliis item cognosci optabit: cumque verè, et ex animo se omni contemptu et abominatione dignum æstimaverit, ab aliis quoque despici, et pro nihilo haberi desiderabit; nam si secùs faceret, cognitæ veritati repugnaret. Veritas humilitatis comes individua est, et quò magis anima in veritatis cognitione proficit, eò clariùs videt se nihil esse et nihil posse.

CAPUT XXIX.

NIHIL BONI ESSE IN HOMINE, QUI CARET HUMILITATÈ.

A quolibet lapsu facile quisque surgeret, si statim à medico remedium peteret. Sed plerique superbiâ adeò obeccati sunt, ut morbum suum vel non cognoscant, vel propriis viribus se curaturos putent. Hæc ratio est, ob quam qui ceciderunt non resurgunt, et in sordibus suis contabescunt, quia ad Deum non confugiunt, nec pendent ab ejus gratia sicut oportet; sed sibi de se suarum ægritudinum remedium, rejecto medico, pollicentur; ex quo fit ut ipsa medicina morbus sit. Nullus autem mortalium eo infelicior, qui cum cæcus sit, putat, se omnia clarè videre? nam cum alterius opem non quærat, nullum est præcipitium, in quod labi non possit. Vetus illa sententia, *Nosce te ipsum*, quæ de cælo descendisse dicitur, admonet hominem, ut cognoscat

se nihil ex se, in Deo autem omnia posse. Ideo multi despondent animum jacentes in languoribus suis, quia adjutorium Dei non implorant, nec in illo sperant, de quo dixit Apostolus, *Omnia possum in eo qui me confortat* (1), de quo etiam Psalmista cecinit, *in Deo meo transgrediar murum* (2). Non est vera humilitas, quæ magnanima non est, et ad sublimia non assurgit, illius ope freta, qui pro nobis factus est homo, ut nos Divinæ naturæ consortes faceret. Sicut ferrum ignitum non est ignis, sed ardet ex igne, qui in ipso est: ita homo ardere dicitur non ex se, sed ex amore sibi Divinitas collato, qui in ipso est: et lucere dicitur non ex se, sed ex lumine sapientiæ, et veritatis, quo à Patre luminum imbutus est. Sicut etiam instrumentum non propria virtute, sed per manum artificis operatur: ita homo dicitur operari, Deo per illum omnia operante, qui dat omnibus velle, et perficere, et omnia opera nostra operatur in nobis. Quod si amor, sapientia, et lux ab homine recesserint, illum protinus invadent frigus iners, profunda ignorantia, et caligo tenebrosa: eritque inutilis, et ad omnem usum ineptus veluti instrumentum sine artifice. Cum igitur homo ex se nihil sit, nihil valeat, nihil habeat, in nihilo suo tanquam in centro commorari debet, omnia enim in Deo poterit, cum se nihil esse, nihil posse cognoverit.

(1) Philip., IV, 13.

(2) Ps., LVII, 30.

CAPUT XXX.

QUI VERE EST HUMILIS SIBI IPSI INTENTUS, ALIOS NON JUDICAT.

Humilitas est virtus, quæ homo verissimam sui agnitione sibi ipsi vilescit. Examen autem sui ipsius sibi hominem prodit: etenim aperitur conscientiæ liber, revolvitur misera vitæ series, illuminatur ratio, et cogitur anima coram se constituta proprio tribunali assistere à semetipsa judicanda. Quod si ita se judicaverit, non utique judicabitur. Væ animæ, quæ in mirabilibus super se inaniter elevata, et ad exteriora effusa damna sua interiora non sentit. Ideo prævaricatores hortatur Scriptura redire ad cor (1), ut quidquid intus latet, curiosè explorent, et agnoscentes miseriam suam, ab aliorum censura abstineant. Plerique tamen hoc negligunt, et quod miserabile ac nunquam satis deplorandum est, cum miserissimi sint, ac densam caliginem adeo circumfusi, ut propria vitia, et peccata perspicere nequeant; aliorum nihilominus vel exiguas imperfectiones subtilissimè investigant, et acutissimè deprehendunt. Hæc nimirum imperfectorum proprietas est, ut cum se ipsos nullo modo cognoscant, in arguendis aliorum vitiis continuò occupentur. At qui se intus cognoscere satagunt, quò magis in sui cognitione proficiunt, eò se imperfectiores fatentur, quoniam

(1) Luc., XLVI, 8.

majori luce perfusi clarius vident, quam longè ab-
sint à vera sanctitate et perfectione. Propterea ad
alios non respiciunt, nisi eis ex officio incumbat, satis
negotii habentes in suis imperfectionibus emendan-
dis. Vera Sanctorum disciplina hæc est, zelum erga
se ipsum exercere, et peccantes patienter ferre :
iudicium enim magnæ imperfectionis est, imperfectos
ferre non posse. Sicut Deus in ordine naturæ ex
nihilò omnia creavit, ita etiam in ordine gratiæ
omnem ornatum virtutum producit ex nihilò, ex
anima scilicet, quæ se nihil esse intimè credat, et
profiteatur. Solida virtus illa est, quæ derisionibus,
contemptu, injuriis, et continuâ humilitatis exerci-
tatione probatur. Hæc deficiente, quidquid virtutis
in aliquo apparet, non virtus est, sed illusio et hy-
pocrisis, ac inane virtutis simulacrum. In ventum
pulverem portat, qui sine humilitate virtutes con-
gregat.

CAPUT XXXI.

VERI HUMILIS DESCRIPTIO.

Verè humilis censeri debet, qui omni exaltatione
superior est, et omni abjectione inferior : qui in ex-
celso loco positus, delatis sibi honoribus et laudi-
bus non extollitur : et ad infima projectus nunquam
tanto contemptu, confusione, et ignominia affici
potest, quin sibi persuadeat se multò deteriora me-
reri. Verè item humilis est, qui pro nihilò haberi

cupit : qui non humilis, sed vilis in aliorum opinione
esse desiderat, ita ut omnes credant patienter ab
illo adversa tolerari non ex virtute, sed ex necessi-
tate, quia nimirum ea evitare, vel impedire non po-
test. Si ipsum contingat in aliquo verbo vel opere
labi, veniam petere ab his, qui præsentibus fuerunt,
non erubescit, si præsertim aut mendacium protule-
rit, aut de aliquo perperam pro humana fragilitate
locutus sit : qua in re speciem quamdam martyrii
esse vir magnus edocuit. Simili modo si aliquid dixerit
vel fecerit, ex quo ejus existimatio lædatur, de hoc
quidem dolet quatenus offensa Dei est, gaudet au-
tem de confusione, et contemptu sibi ex eo prove-
niente, cujus occasiones pacato animo amplectitur,
nihil tamen scienter admittens, quo contemptibilis
fiat. Si verba ejus innocenter prolata in sensum
perversum trahantur : si illi, quos amat, in quibus
confidit, in quos beneficia contulit, ipsum improbent,
et persequantur, ejusque consortium fugiant : et si
post multos labores non solum nullam mercedem reci-
piat, sed potius opprobriis afficiatur, nullo modo
conqueritur, quia opera sua nihil aestimat, sique
contemptum avidius complectitur, quam reliqui
omnes honorem et gloriam. Ab omnibus derelictus
confugit ad Deum, in quo reperit omne gaudium, et
omne bonum. Quæcunque ad se pertinent, silentio
premit, ad omne dedecus et ignominiam animo pa-
ratus, tamquam mortuus, et sepultus cujus non ex-
tat memoria. Non majoribus tantum et æqualibus,
sed etiam inferioribus se subjicit, quoad actus in-
teriores semper, quoad exteriores attentis circum-
stantiis, et salvâ dignitate. Firmiter credit, se om-

nium hominum nequissimum esse, quia mala sua aliorum bonis comparat: tum seipsum considerat secundum ea quæ ex se habet, alios verò ex donis Dei. Latere optat, omniumque fabula et ludus esse: nec solum omni honore, et commodo; sed ipso etiam cibo et potu, hominumque consortio se indignum putat: et si fortè aliis præferatur, pavet, confunditur, contristatur, se ineptum reputans, ac cujuscumque muneris incapacem. Hæc est imago veri humilis, rudi penicillo expressa, ex qua poterit omnis Christianus perspicere, quàm procul absit ab hac virtute, quam sectoribus suis Christus tantoperè commendavit, factus pro nobis opprobrium hominum, et abjectio plebis. In hujus autem virtutis exercitatione nullum est periculum, si quis se minorem æstimet, quàm revera sit. Grande verò malum horrendumque discrimen est, si se plus justo extollat, aut majorem putet, quàm re ipsa sit. Sicut intrans per ostium, cujus superliminare demissum sit; si se nimis inclinaverit nihil ei nocebit, sed si se vel transversi digiti spatio, plus quàm ostii mensura patitur, erexerit, impinget et quassato capite collidetur: ita animæ non nocet quantavis depressio, maximam autem perniciem illi afferet quæcunque vel minima exaltatio. Quare nemini non dico præponere, sed nec quidem se componere debet, qui vult omne periculum superbiæ evitare. Sic Christum Dominum imitabimur, qui cum Filius Dei esset, formam servi accepit, ut formam nobis traderet humilitatis.

CAPUT XXXII.

OPORTERE HUMANAM VOLUNTATEM DIVINÆ SUBDITAM, ET CONFORMEM ESSE.

Nullum donum gratis Deo, nullum sublimius sacrificium, quàm seipsum Divinæ voluntati integrè in omnibus subjicere et conformare: nihil enim aliud excelsa illa Majestas requirit ab homine, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, piè et religiosè litavit. In hac siquidem conformitate et submissione non bona exteriora, non rem aliquam singularem; sed propriam voluntatem, proprium judicium, totumque hominem perfecto holocausto immolamus, nullà re exceptà, nullis præscriptis limitibus. Quoties ergo aliquid nostri in nobis est, toties à nobis exire, et nos deserere debemus, donec solus Deus in nobis sit, et ad omnia quæ de nobis æterna sua providentia decreverit, parati, et indifferentes inveniamur. Non enim perficiet in nobis Deus beneplacitum suum, quamdiù aliquid erit in nobis, quod illi repugnet, et contrarium sit. Integram cor ille postulat, et qui se totum ei non dat, nihil dat. Conceditur quidem humanæ fragilitati aliquid proprium velle, sed statim elevari supra se debet, et illi adhærere qui super omnes dominatur. Ille creator est, nos creaturæ: ille Dominus, nos servi: ille omnipotens, nos infirmi. Nostram itaque voluntatem corrigere, et illius nos voluntati sub-

dere debemus dicentes, *non sicut ego volo, sed sicut tu* (1). Verba Christi Domini hæc sunt orantis ad Patrem, et transfigurantis nos in se, ut discamus ab illo nihil velle nisi quod Deus vult. Alioquin quid potuit Christus velle diversum à voluntate Patris? Quorum una est Divinitas, dispar nequit esse voluntas. Quamobrem docuit nos orare, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra* (2). Sicut Angeli faciunt voluntatem tuam, facimus et nos obtemperantes præceptis tuis. Faciunt homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus. Tollatur à nobis rixa illa, quam describit Apostolus dicens, *Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem* (3). Sic fiet voluntas Dei consentientibus simul carne et mente; ita ut nulla remaneant desideria carnalia, cum quibus mens confligit: nihil sit in corpore quod spiritui resistat; omnisque concupiscentia in charitatem commutata fuerit: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio nostra. Unus est Deus, et qui adhæret illi, unus spiritus est, una voluntas.

(1) Matth., xxvi, 39.

(2) Ibid., vi, 10.

(3) Gal., v, 17.

CAPUT XXXIII.

OMNIA DE MANU DEI ACCIPIENDA.

In hoc summa totius Perfectionis consistit, ut quidquid acciderit, pacato animo de manu Dei accipiamus, omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis (1). Omnia, quæ mundus mala vocat, peccato excepto, quod est solum et verum malum, à Deo esse Scriptura testatur, dicens, *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas à Deo sunt* (2). Et alio loco: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc* (3). Cùm igitur Dei nutu, et secretissimi consilii sui immutabili dispositione apud ipsum fixa sint omnia, quæcumque fiunt in orbe terrarum; æquum est, ut universa quæ accidunt quantumvis dura et acerba, veluti singularis erga nos benevolentia signa, de manu ejus acceptemus, ipsius providentia inhaerentes non nostræ, quæ semper timida et incerta est, Deique operationem in nobis destruit. Calumnia, fraudes, furta, raptus, insidia, bella, cædes, morbi, ruina, pestilentia, sterilitates, et aliæ quælibet calamitates, sive publicæ, sive privatæ, ad improborum emendanda, vel castiganda flagitia, et ad justorum

(1) I. Petr., v, 7.

(2) Eceli., I. xi, 14.

(3) Isai., xlv, 6.

exercitationem à Deo permittuntur, et immittuntur, et si quid horum nos vexat, assumenda vox est patientissimi Prophetæ, qui omnium malorum genere cruciatus dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (1). Servis fidelibus, quæcunque agenda sunt, ita committunt Domini, ut eos tamen nescire velint, quis finis sit, quæ series, et ratio consiliorum suorum: sic nos subjecti erimus Divinæ providentiæ tamquam inutiles, et obsequentes servi, nihil solliciti quid de nobis, quid de aliis fieri velit, idque nobis à Domino dici putabimus, quod olim Petro dixit, *Quid ad te? tu me sequere* (2). Et si aliquando bona opera, quæ aggressi sumus, vel ægrotudine, vel quâlibet adversitate impediri contigerit, non contristabimur: scit enim Deus, quid nobis magis expediat. Sic perpetuâ pace, et imperturbabili tranquillitate fruemur, clamante veritate cunctis perturbationibus, ne ad locum appropinquent, in quo Deus pacis commoratur.

CAPUT XXXIV.

DIVINÆ PROVIDENTIÆ IN OMNIBUS ACQUIESCENDUM.

Bonum est optare à Deo affligi, et multa pro eo pati, sed multò melius est, ipsius dispositioni et

(1) Job., i, 21.

(2) Joan., xxi, 22.

beneplacito in omnibus acquiescere, et orare, ut nos ducat quò ipse vult. Vita naturalis motu et sensu se prodit, vita supernaturalis omnis motûs et sensûs cessatione, et defectione. Qui enim se deserit, omnesque motus animi sui in Deum transfert, is vitâ gratiæ vivit, et à se ipso ita est expeditus, ac si de se nihil sciret, velut infans, cujus est unius diei vita super terram. Quidquid sibi acciderit, non in se respicit, sed in Divina voluntate et providentia. Nihil ex hoc sæculo sibi applicat, nisi quod vult Deus, in cujus manu tamquam instrumentum est, artificis arbitrio ad quodcumque opus applicandum. In divinis consiliis perserutandis curiosus non est, sed illa humiliter adorat, firmiter credens ea semper justa esse, licet sæpè occulta sint. Idem vult quod Deus vult, eodemque modo, atque eandem ob causam, propter quam ille vult. Suam voluntatem Divinæ conformat, quoad omnia bona naturæ, gratiæ et gloriæ; ita ut suis actibus, et suâ libertate, quantum fieri potest, spoliatur se, ut sola Dei voluntas in ipso vivat et operetur. Cùm enim voluntas corruptæ naturæ vitio se plurimum amet, et in suis actibus veluti possessione delectetur, tametsi unicam Dei gloriam quærat, eam tamen actu proprio vult, et in eo complacet sibi tamquam in proprio bono: ex quo fit, ut, si ipsum propriæ voluntatis actum et gaudium, quod ex eo provenit, sibi prorsus adimat, tunc verè et perfectè Divino beneplacito acquiescere censenda sit, suamque voluntatem in Divinam purissimè transfundere, cum omnimodâ sui ipsius, et omnium creaturarum oblivione. Voluntas Dei necesse est ut fiat; omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit.

et non est qui possit resistere voluntati ejus : tunc autem optime fit, cum in nobis, et à nobis fit.

CAPUT XXXV.

SOLUM DEI BENEPLACITUM OPTANDUM EST.

In voluntate Dei pax et tranquillitas constituenda est. Si peccavimus, si alios ad peccandum induximus, si ex flagitiis nostris multa mala secuta sunt : dolendum sanè est, et fletibus eluenda sunt crimina, ac digna castigatione plectenda : animi verò perturbatio et inquietudo evitanda, et cum pace emendationi incumbendum, imploratà Dei misericordià, quæ nos labi permisit, ut discamus non altum sapere, sed timere : neque nostrum putemus esse quod Dei est. Ab ipso veniam, et indulgentiam in spiritu humilitatis, et in animo contrito expectabimus, sicut servus adventum Domini sui patientissime præstolatur. Dominus enim est, veniet quando voluerit. Fidelis servus, et prudens nihil quærit, nihil optat, nisi Domini beneplacitum, et in omni eventu ex intimo cordis affectu ait, *Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te (1). Fiat voluntas tua (2).* Ad omnem nutum tuum paratus sum. Vis me incolumem esse, vis ægrotare? Vis me dulcedine tuâ perfrui, vis in tenebris et continuâ ariditate versari? Vis me abundare, vis penuriam pati? Id volo quod tu vis, fac de me quod tibi placet. Hæc animi præ-

(1) Matth., xi, 26.

(2) Ibid., vi, 10.

paratio omninò indifferentis ad quæcunque Deus vult, hominem facit ad omnia mala impavidum, et inconcussum, omnique adversitate superiorem, relictâ sui rerumque omnium sollicitudine et anxietate. Nam si de cibo et vestimento, aliisque rebus ad vitam necessariis nos sollicitos esse Christus prohibuit, quantò magis superflua et inutilis cæterorum cura adjicienda est? Ipsa pax animi, si anxie quærat, amittitur : atque ideò sublati curis in sola Dei voluntate quiescendum. Curiositas, et inquisitio, quâ sæpè investigamus quid de nobis futurum sit, naturæ est seipsam amantis, et timentis aliquid pati. Optime Deus ex altâ providentiæ suæ speculâ cuncta respiciens, quid unicuique conveniat, agnoscit, et suaviter ac fortiter disponens omnia, curam hominis singulariter suscipit, cum illum videt omnem de se cogitationem in ipsum projecisse.

CAPUT XXXVI.

SPES SALUTIS NOSTRÆ IN DEO PONENDA.

Vir Christianâ sapientiâ imbutus non solum supernæ dispositioni, quæcunque pertinent ad temporalis vitæ subsidia, committit, de crastino non cogitans, sicut præcepit Christus; sed spem quoque salutis suæ in ejus voluntate reponit, qui nunquam deserit sperantes in se. In hac spe et conformitate voluntatis suæ cum divina, singulariter constitutus, salutem suam cum timore et tremore

operatur, misericordiam, et iudicium Domino suo fideliter concinens, in cuius arcana irrumperere, et in abyssum profundissimam iudiciorum ejus descendere nimis temerarium foret. Certum quidem est, neminem posse in hac vita, absque speciali revelatione, æternæ salutis securitatem habere: sed absit ab homine Christiano hæc insania, ut de illa desperet. Hoc illorum est, qui obstinatissimâ voluntate in fœcibus suis computrescere, et in malis perseverare decreverunt. Qui verò meminit se Christi Sanguine redemptum, et Baptismatis Sacramento initiatum, de bonitate Dei non diffidit, ejusque auxilium indefessus implorat, tutum habens in eo refugium, qui veniam cum lacrymis postulanti, et peccata animo contrito detestanti nunquam negavit. Hæc sunt magna et saluberrima consilia Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, atque adeo sapienter exquisita, ut electionem nostram occultam esse voluerit, ne securitas superbiam generet et negligentiam, qui se existimat stare, videat ne cadat (1). Quia verò electi pauci sunt, debet vir fidelis cum paucis sanctè vivere, ut certam faciat vocationem suam, et in fine cum paucis coronari mereatur. *Angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam* (2), ut Christus Redemptor noster nos docet. Ideo per arctam viam incedendum est, semperque timendum, etiamsi benè currere videamur, quia de dono perseverantiæ nemo securus est. Non tamen animum despondere oportet, sed spes in Deo ponenda,

(1) I. Cor., x, 12.

(2) Matth., vii, 14.

ejusque beneplacito voluntas nostra subjicienda est in tempore et in æternitate. At aliquis fortè dicit, incerta est mihi de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? An tua voluntas de te ipso certa est? sanè non est. Quod si utraque incerta est, cur Divinæ potiùs voluntati, quàm tuæ spem tuam non committis? Superbissimus et infelicissimus est, qui fiduciam habet in se, et non in Deo; ille autem beatus est, qui confidit in Domino, cuius firma promissio est, et in quo omnes qui speraverunt non sunt confusi.

CAPUT XXXVII.

SPIRITUM, ET PERFECTIONEM CHRISTIANÆ RELIGIONIS IN
CHARITATE CONSISTERE.

Quamvis per Fidem, et per Baptismum Christiani nuncupemur, et simus, sola tamen Charitas est, in qua spiritus et anima nostræ religionis consistit, et per quam Christianè vivere possumus. Sicut enim Deus propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, Filium suum misit in mundum, ut nos redimeret Sanguine suo: ita nos debemus ipsum diligere toto corde, totis viribus, et proximum sicut nos ipsos. In hoc est Charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hoc autem est maximum, et primum mandatum, ex quo universa lex pendet et Prophetæ. Hoc Fidei nostræ fundamentum, scire et cognoscere

operatur, misericordiam, et iudicium Domino suo fideliter concinens, in cuius arcana irrumperere, et in abyssum profundissimam iudiciorum ejus descendere nimis temerarium foret. Certum quidem est, neminem posse in hac vita, absque speciali revelatione, æternæ salutis securitatem habere: sed absit ab homine Christiano hæc insania, ut de illa desperet. Hoc illorum est, qui obstinatissimâ voluntate in fœcibus suis computrescere, et in malis perseverare decreverunt. Qui verò meminit se Christi Sanguine redemptum, et Baptismatis Sacramento initiatum, de bonitate Dei non diffidit, ejusque auxilium indefessus implorat, tutum habens in eo refugium, qui veniam cum lacrymis postulanti, et peccata animo contrito detestanti nunquam negavit. Hæc sunt magna et saluberrima consilia Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, atque adeo sapienter exquisita, ut electionem nostram occultam esse voluerit, ne securitas superbiam generet et negligentiam, qui se existimat stare, videat ne cadat (1). Quia verò electi pauci sunt, debet vir fidelis cum paucis sanctè vivere, ut certam faciat vocationem suam, et in fine cum paucis coronari mereatur. *Angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam* (2), ut Christus Redemptor noster nos docet. Ideo per arctam viam incedendum est, semperque timendum, etiamsi benè currere videamur, quia de dono perseverantiæ nemo securus est. Non tamen animum despondere oportet, sed spes in Deo ponenda,

(1) I. Cor., x, 12.

(2) Matth., vii, 14.

ejusque beneplacito voluntas nostra subjicienda est in tempore et in æternitate. At aliquis fortè dicit, incerta est mihi de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? An tua voluntas de te ipso certa est? sanè non est. Quod si utraque incerta est, cur Divinæ potiùs voluntati, quàm tuæ spem tuam non committis? Superbissimus et infelicissimus est, qui fiduciam habet in se, et non in Deo; ille autem beatus est, qui confidit in Domino, cuius firma promissio est, et in quo omnes qui speraverunt non sunt confusi.

CAPUT XXXVII.

SPIRITUM, ET PERFECTIONEM CHRISTIANÆ RELIGIONIS IN
CHARITATE CONSISTERE.

Quamvis per Fidem, et per Baptismum Christiani nuncupemur, et simus, sola tamen Charitas est, in qua spiritus et anima nostræ religionis consistit, et per quam Christianè vivere possumus. Sicut enim Deus propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, Filium suum misit in mundum, ut nos redimeret Sanguine suo: ita nos debemus ipsum diligere toto corde, totis viribus, et proximum sicut nos ipsos. In hoc est Charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hoc autem est maximum, et primum mandatum, ex quo universa lex pendet et Prophetæ. Hoc Fidei nostræ fundamentum, scire et cognoscere

charitatem Dei, quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per Christum. Hic ignis est, quem ipse Redemptor noster venit mittere in terram, et nihil vult nisi ut accendatur (1). Hic Spiritus primorum Christianorum fuit, quorum erat cor unum, et anima una: hæc veluti anima est, quæ corpus Ecclesiæ vivificat. Hanc tesseram, quæ sectatores sui à reliquis discernentur, Christus Dominus reliquit nobis cum dixit: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (2). In hac Dei, et proximi dilectione Christianæ vitæ perfectio consistit, per quam anima Deo unitur. Est autem perfectio opus divinæ gratiæ, ac propterea viribus nostris niti, aut nostræ industriæ confidere non debemus, sed omnis fiducia nostra in Deo ponenda, ejusque auxilium jugiter implorandum, ut liberet nos à malo, ad quod propensi sumus, et vindicet ab hostium tentationibus, quorum fraudes et insidiæ innumerabiles sunt. Quod si aliquando labimur, et post lapsum mente concidimus, signum evidens est, quod spes nostra in nobis, non in Deo posita erat. Qui enim de se diffidit, agnoscit infirmitatem suam, Deumque ferventiùs orat, et pugnat alacriùs. Oportet autem desiderium perfectionis efficax esse et quotidie crescere, ita ut impellat ad opus, et nunquam minuat. Non sufficit perfectionem laudare, et aliis commendare, sed manus operi admovenda est, ne ex illis simus, qui imperfectiones, et peccata ut aliena delectantur, non ut sua. Tunc verò homo

(1) Luc., xii, 49.

(2) Joan., xiii, 35.

perfectus erit, cum animam suam Deo exhibuerit puram, nudam, simplicem, sine malitia, sine affectu ad creaturas, et avulsam ab omni terrena delectatione.

CAPUT XXXVIII.

DE ORDINE CHARITATIS.

Ille justè et sanctè vivit, qui rerum integer æstimator, ordinem servat in dilectione, sedulo advertens, ne aliquid diligat, quod non sit diligendum, aut non diligat quod diligendum est, aut amplius diligat quod minus diligendum est, aut æquè diligat quod vel minus, vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æquè diligi debet. Ideò virtutem nihil aliud esse, quàm ordinem amoris, peccatum verò inordinationem amoris, viri sapientes definierunt. Sunt quidem et alii affectus, sed omnes ex amore veluti ex fonte procedunt, et si est ordo in amore, omnes affectus ordinati sunt; si non est ordo in amore, in ipsis quoque nullus ordo, sed perversitas et perturbatio est. Non est enim virtus in hac vitâ, nisi ordinatè diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nullâ superbiâ, justitia est. Talis est autem ordo amoris, qualis est ordo rerum: ita ut ante omnia et super omnia diligendus sit Deus, quo nihil melius, nihil sublimius nec inveniri, nec cogitari potest. Ipsum

amando mores nostros corrigimus, ut puri puro adhærere valeamus. Mores nostri ex eo quod diligimus dijudicantur: non enim faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Tenet autem anima, et servat ordinem amoris, si totis viribus diligit quod supra se est, id est Deum: socias verò animas tamquam seipsam. Hæc est lex dilectionis, ut homo diligit Deum, et proximum, et seipsum. Nullum verò præceptum datum est illi de diligendo seipsum, quia nemo seipsum servato ordine rectè amat, nisi Deum diligendo, à quo vis, et modus amandi desumi debent. Sicut homines amare debemus, vel quia justus sunt, vel ut justus sint: ita et semetipsum amare quisque debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Qui se aliter diligit, injustè se diligit, quoniam se diligit ut sit injustus; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Nemo igitur se diligere debet propter se, sed propter illum, qui rerum omnium finis ultimus est et summum bonum, cui toto affectu inhærere debemus. Nam si se diligit propter se, non se refert ad Deum, et aversus ab incommutabili bono, seipso fruitur, transgrediens regulam dilectionis divinitus constitutam. Mandatum quippe accepimus amandi Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, ut omnem vitam, et intellectum, totumque affectum Divinæ dilectioni impendamus; et si quid aliud diligendum in mentem venerit, illuc referatur, quò totus amoris impetus currit. Proximum verò diligere quisque debet sicut seipsum, totam sui, et illius dilectionem in Deum referens, ut etiam proximus Deum diligit toto corde, totâ animâ, totâ mente. Cùm ergo præcurrat dilec-

tio Dei, ita ut cætera, quæ diligenda sunt, in ipsum confluant, ille præ omnibus, et super omnia diligendus, reliqua verò in ipso, et propter ipsum, ut amor noster ordinatus sit.

CAPUT XXXIX.

DE DILECTIONE PROXIMI.

Nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligipotest: *mandatum enim habemus à Deo: ut, qui diligit Deum, diligit et fratrem suum* (1). *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere* (2)? Qui verò præcipit ut proximum diligamus, nullum hominem excipit, non vitiosum, non pauperem, non extraneum, non inimicum. Omnes sincerè amandi, cujuscumque conditionis sint, *de corde puro... et fide non fictâ. Non... verbo neque lingua, sed opere et veritate* (3), quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Sicut Christus dilexit nos, et tradit semetipsum pro nobis, non quia aliquid in nobis dignum amore reperit, sed ob amorem, quo diligebat Deum; ita nos in Deo, et propter Deum, omnes diligere debemus, ea puritate qua nos invicem diligemus in cælo, nullâ habitâ ratione bonorum, quæ in ipsis elucet, nisi quatenus à Deo

(1) I. Joan., iv, 21.

(2) Ibid., iv, 20.

(3) I. Tim., i, 5. — I. Joan., iii, 18.

procedunt, et ad ipsum referuntur. Viri justī tantā inter se charitate conjuncti sunt, ut, quod quisque in se non habet, hoc in alio se habere lætetur: et si quid amplius præ cæteris habeat, id in alios libentissimè effundat. Sicut per amorem, quo Deum diligimus, omnes ei adhæremus, et unus cum eo spiritus efficimur; ita per amorem proximi omnes ad invicem unum sumus, ut bonum singulorum omnibus commune sit; et quod quisque in se non habet in altero possideat. Sic omnia mandata servantur, sic impletur omnis justitia. Charitas enim verissima, plenissima, et perfectissima justitia est. Charitas inchoata, justitia inchoata est: Charitas provecta, provecta justitia; perfecta Charitas, perfecta justitia, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro ipsa contemnitur.

CAPUT XL.

QUIS SIT MODUS FRATERNE DILECTIONIS.

Modus amandi proximum duobus præceptis continetur: Alteri feceris, quæ tibi vis fieri: Alteri ne feceris, quæ tibi fieri non vis. Serio igitur in conspectu Dei debet unusquisque examinare, quidnam sit quod ab aliis sibi fieri vel non fieri velit: et si ipse à remine sperni, si cæteros sibi compati, suosque defectus patienter ferre et bene de se loqui optat: hæc eadem officia illis præstabit. Cordis perversi indicium est, cum aliis ea facimus, quæ pati ab illis nolumus. Verus Christi discipulus mores

aliorum non disquirat, sed eorum discussionem illi committit, cui Pater dedit omne iudicium. Propria mala cognoscere satagit, et his extirpandis incumbit. Se solum districtè judicat, quem omnium pessimum credit. Semper animo tranquillo est, quidquid viderit vel audierit: nam si bonum illud fuerit, Deum collaudat: si malum, vertit illud in bonum, mentem ab eo avertens, et ad Deum elevans, idque pacificè absque ulla anxietate, et commotione. In corrigendis aliorum vitiis, si ipsi ex officio incumbat, vel fraternæ correctionis præceptum urgeat, zelum habet suavem, benignum, et alienæ infirmitati compatientem: contraria enim charitati est omnis acerbitas et perturbatio. Excusat si potest, quæ minus rectè ab aliis fiunt, et abstinere à censura: scit enim res humanas hujus conditionis esse, ut nihil adeò sanctum sit, quod aliquà ex parte damnari non possit, si velit homo censuræ suæ laxare habenas, et quidquid occurrit, in deteriorem partem interpretari. Vitia sunt ubi sunt homines, à quibus summam exigere perfectionem nihil aliud est, quàm sub specie zeli propriæ impatientiæ blandiri, quæ nihil inordinatum, aut molestum potest in aliis tolerare. Nunquam proficiet, qui in vita aliorum judicanda occupatur.

CAPUT XLI.

QUÆ SIT VERA AMICITIA.

Consistit amicitia in bonorum communicatione, ex quo sequitur, ut talis futura sit, qualia sunt bona

quæ sibi mutuo amici communicant. Vera autem bona nulla sunt, nisi æterna et supernaturalia, in quorum communicatione vera et stabilis amicitia fundatur. Carnalis amicitia facillimè dissolvitur, quia spiritus sensu alligari non potest: spiritualis verò non rumpitur, quamvis enim inter amicos aliqua interdum contingat irritatio, Charitas Dei omnem contentionis asperitatem suâ dulcedine vincit, et absumit. Noxia porrò est et fugienda illa amicitia, quæ personæ dilectæ mentem affigit; cujus primi motus omninò extinguendi, ne dulci quodam veneno mentem inficiant. Hæc faciliè deprehenditur, cum omnes cogitationes et affectus in eo qui diligitur jugiter occupantur: cum in ipso tanquam in centro quiescit cor, atque illi veluti idolo omnes actiones nostras immolamus. Neque obest, quod hujusmodi amicitia innoxia et pura videatur, nam paulatim emollit cor, ac tandem in carnem definit. Viri probi semper maturi, graves, et compositi sunt, omnibus benigni, nemini blandi, paucis familiares. In eorum conversatione elucet modestia, prudentia, severitas et justitiæ rectitudo. Ipsorum vita interior est, neque foras se proferunt verbis, aut exercitiis. Quia verò necessarium est, aliquando cum hominibus versari, visa et audita statim ab animo excludunt, Deoque soli adhærent. Cum illis prudenter agunt, qui diversâ ambulat viâ, finemque diversum habent, ac diversa principia: quia dispare possessione, dispare quoque affectu sunt; nec simul convenire queunt homo terrenus, et homo cœlestis, neuter siquidem alterius loquelam intelligit. Sicut peste infecti sibi appropinquantes

solo afflatu inficiunt, ita in carnalibus hominibus contagio quædam latet, quæ statim adstantes contaminat, nisi procul ab eis recedant. Nemo æger curatur, eo quòd sano appropinquet; sani autem si pestilentia affectis adhæreant, eadem labe inficiuntur.

CAPUT XLII.

QUÆ OFFICIA AMICITIAM CONCILIENT.

Omnes homines naturali quodam instinctu aliis placere et ab illis amari concupiscunt, omnemque industriam adhibent, ut diversorum sibi amicitiam concilient. Sed hæc stabilis et sincera nunquam erit, nisi Divinus amor eorum animos simul connectat. Amicitia, quæ humanis dumtaxat officiis comparatur, mercaturæ quædam species est tam diù permanens, quam diù hinc inde aliquid utilitatis percipitur, aut expectatur. Comitas et urbanitas, quam summo rigore ab amicis exigimus, ludus verborum est, et vanitas, ac mera deceptio. Etenim qui profusius et elegantius hujusmodi officia præstare solent, multa quidem spondent; sed cum aliquid ab illis petitur, tunc demum apparet, quàm inanis fuerit ille verborum apparatus. Nihil in his verum, nihil solidum, nihil sincerum. Quod si homines Deum ex toto corde diligerent, proximum quoque amore non ficto prosequerentur. Summa esset inter illos pax, nullæ lites, nulla divisio, nulla discordia. Nemo propriæ voluntati adhæreret, sed soli divinæ: cujus

amor, ubi est, ita mentes unit et afficit, ut unusquisque velit quod alter vult, et omnes simul quod vult Deus. Nam cum omnia desideria nostra ad id quod à nobis præ cæteris diligitur, veluti ad centrum tendant: si in omnibus Dei amor dominaretur, una quoque in omnibus esset voluntas, unus amor, unio perfecta. Sed quia singuli se ipsos amant et propria commoda (diversi sunt autem singulorum fines et affectus), inde fit, ut nemo proximi bonum et excellentiam æstimet, si nulla ex eo utilitas ad se derivetur. Sit aliquis subtilissimus Philosophus, insignis Mathematicus, omni eruditione et virtute refertus: pauci eum diligunt; at si divitiis affluat, si prodigâ manu eas effundat, omnes post eum currunt, quia nimirum scientiam et virtutem pauci diligunt, omnes pecuniam. Hinc autem bella, dissensiones, et inimicitiae oriuntur, quia unusquisque alterius bona odio habet, cum propriis commodis adversantur. Nemo seipsum amat, quatenus est homo communem habens cum cæteris humanitatem, sed solum se respicit, seque ab aliis segregat, nec cum cæteris hominibus, sed secum solummodo convenit: et quia amorem suum ultra se non extendit, ejus participes alii non sunt, nisi quatenus ad ipsum referuntur, et illi deserviunt. Hæc considerans vir sapiens, quamvis scienter nihil committat, per quod justè in odium aliorum mereatur incurrere: à vanis tamen mundanorum hominum amicitiiis abhorret: gravissima est illi solitudo, suave silentium, dulcissima cum Deo colloquia, in quo solo omne gaudium reperit, omnem jucunditatem, omnem consolationem.

CAPUT XLIII.

OCCASIONES EXERCENDÆ ERGA PROXIMUM CHARITATIS.

Exercendæ erga proximum Charitatis nunquam desunt occasiones. Tot enim sunt hominum miseriæ, aut corporales aut spirituales, ut vix possimus vel gressum movere, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostrâ indigentes. Et primò quidem auxilio et orationibus nostris indigent viri justî, ut Deo largiente in justitia perseverent, cum plura magnorum virorum habeamus exempla, qui levissimâ tentatione seducti, à gratia Dei et à spe vitæ æternæ miserabili ruinâ exciderunt. Tanta est naturæ lapsæ fragilitas, tanta rabies dæmonis, tanta carnis rebellio, tanta vis pravorum habituum, tanta mundi corruptela, ut nemo securus esse queat. Egent deinde operâ et subsidio nostro, qui peccati nexibus sunt irretiti, pro quibus orandum, ne computrescant in sæcibus suis: neque enim excitari, et surgere suis viribus possunt, nisi respiciens de excelso cœlorum habitaculo omnipotens Deus manum porrigat adjutricem. Eodem malo premuntur omnes infideles, quorum innumerabilis turba quotidie ad inferna descendit. Miseriæ verò corporales infinitæ sunt. Multi fame, siti, nuditate, ære alieno, litibus, infirmitatibus vexantur. Alii inimicitiiis, persecutionibus, calumniis, amissione honorum, carcere, captivitate, aliisque calamitatibus torquen-

tur. Nec minor illorum miseria est, qui inter spem et metum cum morte luctantur, in formidabili momento positi, à quo pendet aeternitas. In maxima denique necessitate versantur animæ defunctorum, quæ acerbissimis pœnis cruciantur, quorum tota spes in viventium suffragiis sita est. Ad hos omnes Charitatis nostræ et misericordiæ actus, quantum Deus dederit, extendendi sunt, eleëmōsynis consilio, orationibus, aliisque remediis, et officiiis salutaribus. Christus sibi accepta refert quæ illis impendimus beneficia, et de his in novissimo die copiosam nobis mercedem reddet

CAPUT XLIV.

AMANDOS ESSE INIMICOS.

Heroica virtus et Evangelicæ legis perfectio est dilectio inimicorum, quam Christus promulgavit dicens : *Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est : qui solem suum oriri facit super bonos et malos : et pluit super justos, et injustos* (1). Durum hoc edictum carni, et sanguini, ac propterea legislator mentes erigit ad cœlestia, *ut sitis, inquit, filii Patris vestri, qui in cælis est : ut nimirum carnali nativitate posthabita, secundum illam vivamus, quâ in Christo*

(1) Matth., v, 44.

regenerati sumus. Exigit autem non solum ut diligamus inimicos, sed ut illis insuper beneficia impendamus, bene semper de illis, et sentiamus, et loquamur, et pro ipsis oremus : alioquin nec Pater noster dimittit nobis peccata nostra, ut idem Dominus comminatus est (1). Apostolus quoque ait, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi*. Tum sequitur, *noli vinci à malo, sed vince in bono malum* (2). Ne vincamur ab hominibus, non est in nostra potestate : sed ne vincamur à malo, id in nobis positum est. A malo autem vincitur, qui mala sibi inferentes odio habet : vincit in bono malum, qui eos sincerè, et ex corde tamquam insignes benefactores diligit : et si in mala incidant, eis compatitur, eorumque necessitatibus gaudenter et liberaliter succurrit. Hanc veritatem charitas facilius persuadet, quàm omnia sapientum argumenta. Non igitur timenda sunt mala, quæ verbis vel factis inferre nobis homines possunt ; sed illa potius timenda, quæ ipsi nobis irrogamus odio erga illos, impatientiâ, et appetitu vindictæ. Sola charitas nos invincibiles, et omni malo superiores facit. *Aquæ multæ adversitatum et persecutionum non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (3). Magnum autem incendium oportet esse, quod inundationibus aquarum resistit.

(1) Matth., vi, 15.

(2) Rom., xii, 20.

(3) Cant., viii, 7.

CAPUT XLV.

VERUM BONUM AMANDUM.

Deus nobis summum bonum est, quem jubemus diligere toto corde, totâ mente, totis viribus: et huc omnino tendendum est, nec aliud ultra quærendum: huc omnia consilia nostra referenda sunt. Amor enim summi boni omnem in se virtutem complectitur: temperantia siquidem amor est, hominem in Deo integrum et incorruptum servans: fortitudo est amor constanter omnia perferens propter Deum: justitia est amor Deo soli serviens, et cæteris, quæ sub Deo sunt, benè imperans: prudentia denique amor est, eâ benè discernens, quibus adjuvatur, ut ad Deum pergat, et ab iis quæ illum impedire possunt. Ipsum verò summum bonum non intuitu mercedis, aut proprii commodi; sed propter se amari debet, propter suam bonitatem, quâ nihil melius esse potest, cum sit infinita, et finis omnium. Ideò perfectus Dei amor esse censetur, cum omnia bona propter ipsum amantur, à quo et per quem sunt bona: cum amatur sine modo, ita ut voluntas, licet non adæquet, saltem attingat, quantum fieri potest, summam ejus et immensam bonitatem, nullum modum, vel terminum ponens in ejus dilectione; cum denique amatur super omnia, quia omne aliud bonum divinæ bonitati comparatum quasi nihilum reputatur. Summoperè autem cavendum est, ne sensibilibus honorum usu et consuetudine, voluntatis vigor

et energia in Dei amore sensim dissolvatur. Etenim ad æternam et intelligibilia, quia à sensibus remota sunt, tardiores sunt affectus: ad sensibilia autem incitiores, tametsi illa pluris æstimentur. Deinde natura seipsam quærit, et cum vaferrima sit, tot fraudes, ut nos decipiat, totque recessus in quibus lateat, comminiscitur, ut vix possimus laqueos ejus evitare. Sicut vas plenum accipere nequit quod non habet, nisi prius effundat quod habet: sic malus mundi amor à nobis excludi debet, ut bono Dei amore repleamur. *Nolite diligere mundum*, inquit Apostolus, quem diligebat Jesus, *neque ea quæ in mundo sunt* (1). Quibus verbis prohibemur non ita diligere ista quæ fecit Deus, ut Creatoris obliviscamur. Pulchra videntur ista, sed quanto pulchrior est qui fecit illa? Ista nobis tradidit Deus, ut iis propter ipsum utamur, ipso autem fruamur. Qui extrâ Deum bonum suum quærit, nunquam inveniet. Qui verò Deum super omnia diligit, ab ipso quoque diligitur: et si ipse nos diligit, quid boni poterit nobis deesse? Porrò ipse semper nos diliget, si ab ejus amore nunquam cessemus.

CAPUT XLVI.

AMOR DEI IN QUO CONSISTAT.

In hoc præcipuè Dei amor elucet, cum multa pro illo gaudenti animo patimur. Amare enim est pati,

(1) I. Joan., II, 15.

et magis amat, qui magis patitur. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Affectus teneri erga Deum, atque indè prosilientes lacrymæ naturæ effectus sunt, quæ ad affectus proclivior est. Veræ virtutes, et solida gaudia ab amore practico et obedientiali oriuntur. Qui enim amat, propenso animo, et summâ jucunditate, illi, quem amat, in omnibus obsequitur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ: et si quid grave, vel durum sensibus illi præcipitur, hoc amor levissimum et gratissimum reddit. Nec aliam ob causam Scriptura testatur (1), præcepta Domini gravia non esse, nisi ut anima, cui gravia videntur, intelligat se nondum perfectè amare, et à Deo gratiam petat, quâ levia et suavia fiant. Laborant in custodiendis Dei præceptis, qui, solo timore quæ justa sint, operantur: *sed perfecta charitas foras mittit timorem* (2), et levem facit sarcinam legis non solum non prementem, sed instar pennarum in excelsa sublevantem. Servus, qui diligit dominum suum, ejus præceptis libentissimè obtemperat, et quo gravius est ac difficilius, quod jubetur, eò libentius illud exequitur, etiamsi durissimilabores sustinendi sint, quia nimirum nihil grave, nihil durum amanti videtur. At servus nequam, qui dominum non amat, sed timet, ipsius mandata parvipendit, variisque coloribus et integumentis à præstandis domino obsequiis se subtrahere satagit, et ejus jussiones eludere. Sic verò Dei amore carere convincitur, qui humanis ratiocin-

(1) I. Joan., 7, 3.

(2) Ibid., 14, 18.

nationibus à legis obligatione eximere se studet, laxiores quærens opiniones, et magistros prurientes auribus, qui, ut noxiæ libertati faveant, mandata Dei et Ecclesiæ tot limitationibus, et perniciosis interpretationibus convellunt, ut vix remaneat præcepto locus. Vivunt itaque homines, non sicut oportet, sed sicut volunt; quia tot jam sunt de humanis actibus opiniones, ut ferè liceat quidquid lubet. Antè horrendum Tribunal Christi non ex placitis hominum, sed ex lege Dei et ex veritate judicabimur. Ibi nulla opinio erit, sed nuda veritas. Scio quidem, non omnem probabilitatem damnandam esse; sed vereor, ne, quod multis probabile videtur, falsum omninò in extremo judicio inveniat: vereor, ne nimia opinandi libertas multos ducat in perditionem. Hæc autem non intelligit, nisi qui Deum diligit ferventi amore, semperque parato ad obediendum ei: anima enim per charitatem se totam transfundit in Deum quem amat, fitque ex ipso et anima unus spiritus, una voluntas, sicut dicit Scriptura, *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (1). Ab hac unione verum gaudium procedit, quo anima ineffabili jucunditate perfruitur, bonum illud possidens, quod amat; atque illi, ejusque mandatis ac nutibus firmiter adhæret: quia ab ipso, per ipsum, et in ipso omnia sunt, quæ possunt desiderari. Hoc autem indicio cognosceret homo se Deo adhærere, et unitum esse, cum omne ipsius studium, omne desiderium, omnis conatus, quidquid sperat, quidquid videt, quidquid loquitur, quidquid intelligit, Deus est.

(1) I. Joan., 14, 16.

CAPUT XLVII.

QUIS SIT MODUS PERFECTI AMORIS.

Innatum est omnibus hominibus sciendi desiderium, et quò plura quisque cognoscit, eò amplius scientiæ appetitus crescit: cumque ad illud fastigium pervenerit, ut se omnia scire, atque altissima de Deo se percepisse arbitretur: summâ lætitiâ et voluptate perfunditur, et scientiam amat tanquam rem optimam, quæ tantæ lætitiæ causa est: atque inde fit, ut ipsam cognitionem magis amet, quam illud quod cognoscit. Sic Philosophi, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, seipsos suamque scientiam amantes, non Deum. Simili modo inter Christianos multi sunt, qui scientiam de Deo, ejusque amorem pluris æstimant, et magis amant quam ipsum Deum, et ejus beneplacitum. Difficile quidem est speculum affabrè factum intueri, quin homo seipsum in eo videat: sed cum Deum quasi speculum lucidissimum contemplamur, licet fieri nequeat, quin et nos ipsos in illo, qui videt omnia, videamus: in amore tamen divinæ pulchritudinis et bonitatis persistendum est, nullâ habitâ ratione ipsius visionis, et delectationis, quæ ex ea emanat. Alioquin nos ipsos amamus, cum maximè credimus Deum amare. Deus spiritus est, et actus purissimus, ipsumque oportet in spiritu et veritate adorare et diligere; quod tunc rectè et purè fit, cum ipsum singulariter diligimus

propter se, suamque summam bonitatem, nullo modo ad nos ipsos, nostraque commoda et delectationem respicientes.

CAPUT XLVIII.

SCIENTIAM PRACTICAM ET EXPERIMENTALEM MAGIS CONFERRE AD AMOREM, QUAM SPECULATIVAM.

Sicut rusticus omnis doctrinæ et litterarum expertus, qui Solem quotidie cernit, ejusque luce et calore fruitur, lumen intensius diligit, quam cæcus multâ scientiâ præditus, qui de luce ejusque causis et effectibus plura didicerit ex placitis Philosophorum: ita Deum magis diligit simplex, et pius homo ex cognitione practicâ fidei, quam subtilissimus Theologus ex sola speculatione. Sicut etiam vir doctus et eruditus in regione septentrionali, in qua nullæ sunt vites, et nemo vinum bibit, de vineæ culturâ, deque vini potu, ejusque effectibus et proprietatibus, copiosè poterit et acutè disserere: sed quia vinum nunquam gustavit, practicè nesciet, quid sit vinum, quomodo lætificet cor hominis, quomodo inebriet; nec eam vini notitiam aliquando assequetur, quam rusticanus vinitor habet, qui vinum quotidie bibit: ita planè contingit, ut aliquis de plebe, qui nec legere quidem noverit, altiùs de Deo rebusque divinis scientiâ experimentalî loquatur, quam vir magni nominis, qui totum vitæ suæ tempus in studiis Theologicis consumpserit. Experien-

tia siquidem speculationem, amor scientiam excedit; multoque facilius pervenitur ad Deum affectu, quam cognitione. Omnes igitur animæ vires affectui potius et orationi, quam doctrinæ applicare oportet, si ardentissimum Dei amorem citius consequi desideramus. Amore potius quam scientiâ submiorem Dei notitiam comparamus, quia amor ipse notitia est, et amando vehementius in contemplatione defigimur, per quam clarius atque splendidius eum intuemur. Ipsum amando minùs laboramus, illi magis obsequimur: nam cognitio, quam de illo consequi possumus, in hoc exilio certis et angustis limitibus conclusa est, amare autem possumus quantum volumus, quantum scilicet ipse dederit, qui sine modo amari desiderat; nec ullus amori terminus præfixus est. Plerique tamen stulto errore decepti, malunt, semper quærendo, nunquam Deum invenire, quam amando possidere.

CAPUT XLIX.

VERAM SANCTITATEM IN AMORE DEI CONSISTERE.

Mandatum habemus à Deo, ut simus sancti: ait enim, *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (1). Est autem sanctitas ab omni labe libera et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas. Sicut enim res omnes ex mitione pejeris et inferioris sordes contrahunt, et polluuntur, ut argentum ex mitione

(1) Lev., xi, 45.

plumbi, vestis aspersione luti: ita anima impura fit et immunda, cum rebus infimis adhæret, nec prorsus pura ac sancta esse potest, nisi à cunctis rebus creatis avulsa sit. Consistit igitur sanctitas in omnimoda puritate, et in immobili cum Deo unione, quæ arctissimo amoris nexu perficitur; cum expurgata anima ab omni rubigine terrenorum affectuum, cunctisque rebus celsior eam justitiæ perfectionem adeptæ est, ut verè et securè audeat dicere cum Apostolo, *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO JESU Domino nostro* (1). Jejunia, eleëmodynæ, castigatio carnis, usus Sacramentorum, et aliæ ejusdem generis exercitationes ad consequendam sanctitatem plurimum valent, sed sine charitate nihil prosunt, quamvis in cibos pauperum omnes facultates distribuuntur, et proprium corpus igni tradatur, ut docet Apostolus (2). Potest etiam in aliis virtutibus aliquando dispensatio locum habere, quoniam infirmi à jejunio, pauperes à danda eleëmodyna, debiles à corporis afflictatione sæpè eximuntur; at à præcepto charitatis, quæ omnium præceptorum finis est, et Christianæ legis plenitudo, nemo immunis est, nemo quacumque cogente vi,

(1) Rom., viii, 35, 38, 39.

(2) I. Cor., xiii, 3.

sive necessitate, aut impediri, aut excusari potest, quin Deum amet, et ad eum jugiter aspiret. Paupertas, aegritudo, et alia impedimenta, quæ cæterarum virtutum exercitationi obicem ponunt, amori pabulum subministrant. Intus est dilectio, in corde, in voluntate; et quod à nobis super omnia requirit Deus, in nobis ipsis collocavit. Hoc est illud unum, quod solum est necessarium, et solum sufficit, ut sancti simus. Hoc maximum, et præcipuum mandatum cæteris suavius et facilius: quid enim jucundius, quam amare? et quis est qui audeat dicere, non possum amare? Qui verò Deum amat, qui unus est, is omnia amat in uno, et unum in omnibus: et si aliquid aliter amat, quam in uno, et propter unum, is Deum non amat, quia aliquid amat quod Deus non est. Deo nihil superius est, nihil æquale: ideò mens ab illo averti nequit, nisi ad inferiora, et sensibilia convertatur, à quibus elevari nunquam poterit, nisi à terrenis emergens, quæ pondus animæ sunt, iterum revertatur ad illum, à quo infelicitè recesserat. Ut igitur sancti simus, necessarium est à nobis ipsis recedere, et ab omnibus quæ extrà Deum sunt, et ad illud principium regredi, à quo profluximus, totaque virtute illi adherere: nam ubi unum cum uno erimus, una vita, unus spiritus, una felicitas.

CAPUT L.

MULTI SUNT VOCATI, PAUCI ELECTI.

Nullus acrior stimulus pravis moribus corrigendis, vitæque nostræ ad normam Evangelii instituendæ, quam illa horribilis et tremenda sententia, *Multi... sunt vocati, pauci verò electi* (1). Si tamen ejus sensum intimè penetremus. Nemo enim scit, an illà vocatione sit vocatus, quâ secundum propositum illi vocati sunt, de quibus scriptum est, *Quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit* (2). Nemo scit, *utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta* (3). Nemo scit, an ita vocatus fuerit, ut in vocatione sua usque ad finem perseveret. Ad quod profundum secretum cum pervenisset Apostolus, quasi quodam ipsius altitudinis horrore percussus exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (4)! In tanto igitur salutis discrimine, in tanta perseverantiæ incertitudine, continuo horrore concuti debet omnis Christianus, satagens cum timore et tremore certam facere vocationem suam, ut in fide vivens, quæ per dilectionem operatur,

(1) Matth., xi, 16.

(2) Rom., viii, 30.

(3) Eccle., ix, 1.

(4) Rom., xi, 33.

sive necessitate, aut impediri, aut excusari potest, quin Deum amet, et ad eum jugiter aspiret. Paupertas, aegritudo, et alia impedimenta, quæ cæterarum virtutum exercitationi obicem ponunt, amori pabulum subministrant. Intus est dilectio, in corde, in voluntate; et quod à nobis super omnia requirit Deus, in nobis ipsis collocavit. Hoc est illud unum, quod solum est necessarium, et solum sufficit, ut sancti simus. Hoc maximum, et præcipuum mandatum cæteris suavius et facilius: quid enim jucundius, quam amare? et quis est qui audeat dicere, non possum amare? Qui verò Deum amat, qui unus est, is omnia amat in uno, et unum in omnibus: et si aliquid aliter amat, quam in uno, et propter unum, is Deum non amat, quia aliquid amat quod Deus non est. Deo nihil superius est, nihil æquale: ideò mens ab illo averti nequit, nisi ad inferiora, et sensibilia convertatur, à quibus elevari nunquam poterit, nisi à terrenis emergens, quæ pondus animæ sunt, iterum revertatur ad illum, à quo infelicitè recesserat. Ut igitur sancti simus, necessarium est à nobis ipsis recedere, et ab omnibus quæ extrà Deum sunt, et ad illud principium regredi, à quo profluximus, totaque virtute illi adherere: nam ubi unum cum uno erimus, una vita, unus spiritus, una felicitas.

CAPUT L.

MULTI SUNT VOCATI, PAUCI ELECTI.

Nullus acrior stimulus pravis moribus corrigendis, vitæque nostræ ad normam Evangelii instituendæ, quam illa horribilis et tremenda sententia, *Multi... sunt vocati, pauci verò electi* (1). Si tamen ejus sensum intimè penetremus. Nemo enim scit, an illà vocatione sit vocatus, quâ secundum propositum illi vocati sunt, de quibus scriptum est, *Quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit* (2). Nemo scit, *utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta* (3). Nemo scit, an ita vocatus fuerit, ut in vocatione sua usque ad finem perseveret. Ad quod profundum secretum cum pervenisset Apostolus, quasi quodam ipsius altitudinis horrore percussus exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (4)! In tanto igitur salutis discrimine, in tanta perseverantiæ incertitudine, continuo horrore concuti debet omnis Christianus, satagens cum timore et tremore certam facere vocationem suam, ut in fide vivens, quæ per dilectionem operatur,

(1) Matth., xi, 16.

(2) Rom., viii, 30.

(3) Eccle., ix, 1.

(4) Rom., xi, 33.

bonis operibus ostendat se ad illorum exiguum, et beatissimum numerum pertinere, quos misericorditer elegit Deus antè mundi constitutionem. Exiguum verò esse numerum electorum, et multò minorem quàm sit numerus reproborum, etiam si de solis orthodoxæ fidei cultoribus, exclusis parvulis, qui antè usum rationis obeunt, sermo sit; infallibili scripturarum testimonio, multisque indiciis, et rationibus, atque ipsâ experienciâ evincitur. Nam ideò discipulos suos admonuit Christus multi laboris esse, et extremæ difficultatis viam salutis ingredi, ad quam non nisi per angustam portam patet accessus. *Intrate*, inquit, *per angustam portam: quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Tum quasi admirans subdit: Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt qui inveniunt eam (1)*! Interrogatus etiam apud Lucam, *si pauci sunt qui salvantur*, respondit: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt (2)*. Rex David cum quæsisset à Domino, *Quis habitabit in tabernaculo tuo (3)*? Spiritu sancto responsum suggerente ait, *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam*. Item in alio psalmo, *Quis ascendet in montem Domini? ... Innocens manibus, et mundo corde (4)*. *Quis autem potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à*

(1) Matth., vii, 13, 14.

(2) Luc., xiii, 23, 24.

(3) Ps., xiv, 2.

(4) Ibid., xxiii, 3, 4.

peccato (1)? Aut quis audebit asseverare se innocentem esse, et omni maculâ carere? Dicit Christus: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (2)*. At Christi crucem quàm pauci amplectuntur! Audiamus Apostolum, *Omnes enim quæ sua sunt, quærent non quæ sunt JESU CHRISTI (3)*, qui autem Christum non quærent, reprobi sunt. Rursùm ait Redemptor noster: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum (4)*. Hoc verò si expenderit humana superbia, inveniet absque dubio paucissimos esse, qui per humilitatem et simplicitatem in naturam puerorum reverti studeant. Testatur Apostolus eos, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, prædestinatos à Deo fuisse, ut conformes fierent imagini Filii sui (5). At quis est qui possit gloriari, vitam suam vitæ Christi conformem esse? Quis est qui cum ipso patiat, ut simul possit glorificari? Omnibus dictum, *si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata (6)*. Omnes autem declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (7). Regnum cælorum vim pati, et violentos illud rapere, cælorum rex testatus est (8). Violentum verò cum sit contra naturam, in paucis contingit; unde fit, ut

(1) Prov., ix, 9.

(2) Matth., x, 38.

(3) Philip., ii, 21.

(4) Matth., xviii, 3.

(5) Rom., xii, 29.

(6) Matth., xix, 17.

(7) Ps., xiii, 3.

(8) Matth., xi, 12.

pauci omninò sint, qui vim sibi inferre velint, et illud regnum futurum à sensibus abstractum, et solo Fidei lumine obscurè cognitum bono sensibili, et præsentì præferre. Quod si stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei, quales erunt homines terræ affixi, et in densa sæculi nocte viventes? Si omnes justitiæ nostræ sordidissimæ sunt, ut ait Propheta, quales erunt injustitiæ et iniquitates (1)? Si *justus via salvabitur, impius et peccator ubi peribunt* (2)? In arca Noë pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt, reliqua omnium hominum innumerabilis multitudo aquis diluvii interiit. Ex incendio infamium civitatum, Loth solus cum uxore et duabus puellis evasit, cæteri omnes ultricibus flammis consumpti sunt. Ex sexcentis ferè millibus Judæorum qui egressi sunt de Ægypto, duo soli, Caleb et Josue, in terram promissionis introierunt. Hæc autem in figura contingebant illis, ad ostendendum quàm sit exiguus numerus electorum comparatione reproborum. Confirmari idem potest ex paucitate eorum, qui ex hac vita verè contriti decedunt: quamvis enim multi videantur hominibus benè mori, dolor tamen de peccatis ex metu mortis procedens, ad veram pœnitentiam difficillimè pertingit. Nam quomodo poterit bonam vitam inchoare peccator, cum ad ejus finem pervenit? Quomodo poterit super omnia mala detestari peccata, suasque delicias abominari, quas totius vitæ decursu intensissimè adamavit? Quomodo ex animo pœnitentiam amplecti, à qua semper abhorruit? Quomodo statuet efficaci decreto

(1) Isai., lxxiv, 6.

(2) 1. Petr., iv, 18.

ea deserere, si vita supersit, quibus inveterato usu assuevit? Quomodo intellectus inter morbi et mortis angores, res supernaturales à sensibus remotas meditabitur, de quibus integris viribus, aut numquam, aut non nisi obiter cogitavit? Quomodo vincet contrariis actibus anteactæ vitæ consuetudinem in tantis ægritudinibus, temporis, et tentationum angustiis? Experientia didicimus, vix aliquem reperiri, qui cessante periculo in proposito permaneret. Redeunt omnes ad assuetam, et eorum, quæ metu mortis, vel amicorum exhortationibus, aut humanam prudentiam agere decreverunt, statim obliviscuntur: cum præsertim nemo ferè sit, qui etiam in extremis constitutus spem vitæ omninò abiciat, quâ fraude multos decipit, et perdit dæmon. Accedunt languor animæ exire de corpore trepidantis, et omnium facultatum deperditæ vires, quæ vix hominem sui compotem esse sinunt, adeo ut adstantium verba actus virtutum suggerentium, aut nullo modo audiat, aut sonum dumtaxat vocis sine sensu percipiat. Benè quidem de illorum salute sperare licet, qui sub exitu vitæ signa dederunt pœnitentiæ. sed in his nulla securitas est, cujus rei luculentum exemplum Rex Antiochus præbuit (1). Cum enim ad extrema devenisset, sub potenti manu Dei humiliavit se orans, et promittens illata Judæis damna resarcire, templum exornare, spondens insuper se de suis redditibus pertinentes ad sacrificia sumptus præstiturum, et abnegato ethnicismo se Judæum futurum, omnemque terram perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. Quis poterat à pecca-

(1) II. Mach., ix.

tore plura, et certiora pœnitentiæ signa exigere? Et hic tamen veniam non meruit, sicut dicit Scriptura: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus* (1), quia nimirum ejus pœnitentia ex metu mortis procedens sincera non fuit. Quis hæc considerans non contremiscit? Quis inter tot difficultates, et discrimina certam sibi salutem audebit polliceri? Quis non trepidabit, nesciens an amore vel odio dignus sit? Quia igitur pauci sunt electi, et fortassis multò pauciores quàm putamus, à multitudine recedendum est, et cum paucis sanctis, electis, et innocentibus vivendum, ut quisque possit vitâ peractâ, testimonium sibi perhibente conscientia, justo judici Deo dicere: *redde mihi mercedem quam promisisti, quia feci quod jussisti.*

(1) II. Mach., ix, 13.

MANUDUCTIO

AD COELUM,

MEDULLAM CONTINENS SANCTORUM PATRUM,
ET VETERUM PHILOSOPHORUM,

AUCTORE

D. JOANNE BONA,

S. Romanæ Ecclesiæ tit. S. Bernardi ad Thermas Presbytero
Cardinali, Ordinis Cisterciensis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tore plura, et certiora pœnitentiæ signa exigere? Et hic tamen veniam non meruit, sicut dicit Scriptura: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus* (1), quia nimirum ejus pœnitentia ex metu mortis procedens sincera non fuit. Quis hæc considerans non contremiscit? Quis inter tot difficultates, et discrimina certam sibi salutem audebit polliceri? Quis non trepidabit, nesciens an amore vel odio dignus sit? Quia igitur pauci sunt electi, et fortassis multò pauciores quàm putamus, à multitudine recedendum est, et cum paucis sanctis, electis, et innocentibus vivendum, ut quisque possit vitâ peractâ, testimonium sibi perhibente conscientia, justo judici Deo dicere: redde mihi mercedem quam promisisti, quia feci quod jussisti.

(1) II. Mach., ix, 13.

MANUDUCTIO

AD COELUM,

MEDULLAM CONTINENS SANCTORUM PATRUM,
ET VETERUM PHILOSOPHORUM,


AUCTORE

D. JOANNE BONA,

S. Romanæ Ecclesiæ tit. S. Bernardi ad Thermas Presbytero
Cardinali, Ordinis Cisterciensis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE
DIRECCIÓN GENERAL DE B

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Duo sunt, quæ in vestibulo hujus libelli me tecum præfari oportet, Lector benevole. Nam primitus vereor, ne me aliqui impudentiæ et temeritatis accuset. Quomodo enim, inquierit, ad Cælum homines manu ducere præsumis, ipse prorsus terræ affixus? Aut quâ fiducia describere virtutem aggredieris, cui præstandæ idoneus non es? Deinde, quid novi hæc tuâ nobis lucubratione profers? Rem antiquam, ab innumeris penè Scriptoribus doctè et eleganter pertractatam, fastidiosa et rudi repetitione recantas: opesque alienas, tanquam tuas, superbo mendaciò ostentas.

Hæ sunt voces, quibus convellere studium meum nonnulli forsitan conabuntur. Sed primùm me excusabo prudentis illius dicto; quia

— *fungor vice colis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi;*

et, ut alterius Sapientis verba usurpem: *Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam, sed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor; remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam tecum loquar: in secretum te meum admitto. Discentem discipulum, et meipsum erudientem, non docentem magistrum, hic me profiteor: nam mutuò ista fiunt; et dum docent homines, discunt.*

Quod autem secundo loco objectum est, non aliter diluere possum, quam ingenuè fatendo, pauca hic de meo, pleraque aliena esse. Congessi huc plurima, vel quæ propria didici experientia, vel quæ mihi profutura intellexi, dum Sanctorum Patrum, et veterum Philosophorum scripta percurrerem. Sed, apum more, varia libamenta in unum saporem confudi, quædam admiscens propriis Auctorum verbis, quædam meo stylo: quem facilem esse volui, et sine fuco; quia facere hic doceo, non dicere. Habes hic igitur omnium moralium institutionum, quas ad bene beatæque vivendum Sancti Patres tradiderunt, compendium quoddam, et breviarum: habes Senecæ, Epicæti, Antonini, aliorumque Sapientum, placita meliora. Placuit autem salutares admonitiones, quas efficaces esse in meis malis expertus sum, omissâ locorum citatione è quibus eruuntur, breviter indicare: remedia enim hæc animæ sunt, non ingenii lenocinia: nec delectare hic intendo, sed prodesse. Non querit æger, quis potionem miscuerit; vel unde pharmaca accepta sint, dummodò sanent. Multa omisi, quæ dicere poteram; multa, quæ subtiliùs explicare. Magis enim prodest, pauca præcepta sapientiæ tenere, quæ in promptu semper et usu sint, quam multa discere et illa ad manum non habere. Multum didicit, qui scit quantum saluti satis est. Faxit Deus, ut hic meus qualiscunque labor omnibus plurimùm prosit; sed mihi præcipuè, ne dicta mea factis deficientibus erubescant.

ANGELO MEO TUTELARI.

S.

Magne poli Princeps celestis Nuntius aulae,
 O custos animæ præsidiumque meae,
 Accipe, sed facilis, ruidiori inclusa libello,
 Quæ tibi dat pauper munera parva cliens.
 Non sunt ista quidem celesti Principe digna,
 Quæ cultu, et venâ divitiore carent.
 Sed quod ab Auctoris nequeant sperare nitore,
 Hoc res atque scopus, Religioque dabunt.
 Dogmata nam veterum sunt hic inclusa Sophorum (1),
 Ad cælum tutam queis docuere viam.
 Huc feror, huc adsis, trepidique ad sidera gressum
 Dirige, ut ad Superos, te comitante, ferar.
 Te mihi, cum primùm prodivi lucis in auram,
 Tutorem summus jussit adesse Pater.
 Cum reptabam infans, cum matris ab ubere pendens
 Conabar blaso promere verba sono,
 Per te millena evasi discrimina, per te
 Lingua suo potuit reddere verba sono.
 Cumque vigens primo fervore ignesceret ætas,
 Sensi te flammæ extenuasse meas.
 Te duce, confregi scelerata cupidinis arma,
 Nec Stygis innumeri me latuere doli.
 Te duce fallacis contempsi gaudia mundi,
 Carnis delicias, illecebrasque soli.
 Auspiciis nunc docta tuis mens pergit in altum,
 Istaque sidereum pagina pandit iter.

(1) Scilicet SS. Patrum.

Hinc mores mutare homines, hinc temere terram,

Hinc facili discent currere ad astra viâ.

Hæc vita est: huc justorum sapientia tendit,


Qui didicere satis, si didicere mori.

Multa legant alii, scribantque volumina; nullus

Plura docere liber, vel meliora potest.

Humilis cliens et servus,

JOANNES BONA.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE



MANUDUCTIO

AD COELUM,

MEDULLAM CONTINENS SANCTORUM PATRUM,
ET VETERUM PHILOSOPHORUM.

CAPUT I.

DE FINE ULTIMO HOMINIS, QUAM MALUM SIT, AB EO DEFLEC-
TERE, QUIBUS MEDHS, ET QUO ORDINE AD IPSUM PERVENIA-
TUR.

1. Ad Cœlum te manuducere propositum mihi est, quicumque hæc legis; ad illud, scilicet, bonum, quo adepto, nihil possis ulterius desiderare. Hic est scopus, hæc meta, ad quam omnium vota naturali propensione suspirant. Omnes beati esse volunt. Sed ob culpam primi parentis plerique obcæcati, relicto vero, et summo bono, ad falsa et fucata quærenda se inutiliter applicaverunt. Et hi quidem, summum bonum existimantes, nullâ re indigere; diivitiis hoc nomen imponunt. Alii, summum bonum in summa potentia constituentes, vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhærere. Quidam vero usque ad sordida descendentes, felicissimum putant,

voluptatibus diffluere, qui summi boni possessionem carne, et gulâ metiuntur. Tanta apud istos beatitudinis vilitas est. Sic laborantes sine fructu, ac veluti errantes in labyrintho, quò velocius ad bonum properant, eò longius abscedunt: ideo infelices, quia suam non agnoscunt infelicitatem.

2. Hæc res est, quæ magnis te malis involvit, miserabilis homo, quòd beatè quidem vivere, et beatè mori desideras; sed ad videndum, quid sit beatitudo, et quomodo ad eam perveniat, stultus et cæcus es, devio errore per varios anfractus incedens. Quicquid agis, quicquid cupis, quicquid moliris, contra te est. Non enim respicis illud bonum immensum, in quo sistere debet voluntas tua; quia ultra summum non est locus: sed vagaris sine proposito, instar formicarum per arbusta repentium, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Deus omnium conditor è nihilo te creavit, ut ipsum solum ames; ipsi soli servias totâ mente, toto affectu. Sicut necessarium est illum esse, ita et esse ultimum finem. Seriò cogita, quantam tuæ vitæ partem illi tribuas, cui te totum impendere debes. Errant studia et consilia tua, si ad ipsum non diriguntur. Sicut finis vitæ tuæ locus est, quò tendis; quò cum perveneris, quiesces: sic finis vitæ tuæ Deus est, ad quem referre debes quicquid cogitas, quicquid loqueris, quicquid agis, donec ipso adepto omnia vota compleantur. Ad æternum ducit interitum, quicquid ab ultimo sine abducit.

3. Quemadmodum in navigatione subducto navigio si aquatum exieris, obiter in littore aut cochleam colliges, aut bulbum; animo autem in navim

semper intento sollicitus eris, ne gubernator vocet: ac tunc relictis omnibus ad navim properabis: sic tibi in vita agendum est. Mente semper in Deum fixâ, ita rebus externis utere, ut cordi minimè inhæreant, nec te à proposito sine dimoveant. Serviant illæ tibi, ut tu servias Deo. Alioquin à divina deficiens unitate, ad plura non necessaria dispergeris; totque colis idola quot sunt creaturæ, quas inordinato affectu prosequeris. Hi sunt Dii tui, quibus non bovem, non hircum, sed te ipsum, tuamque salutem turpi sacrilegio immolas. Non patitur lex amoris quidpiam cum Deo amari, nisi in Deo et propter Deum. Summa perditio est, à summo bono deflectere, et converti ad creaturas.

4. Quod Princeps Medicorum de impuris corporibus ait; quò magis alantur, eò amplius lædi; id etiam de animis dicendum est. Nam qui à prava consuetudine ad meliorem statum transire incipiunt, malæ vitæ venenum prius evomere debent; ac tum, animo expurgato, solida virtutum percipere alimenta. Ipsa autem purgatio sic perficienda est, ut quotquot admisisti peccata expientur, tum omnis ergâ illa affectus exuatur: vitiosi habitus eradicentur: malæ propensiones, et appetitus immoderati sub rationis imperio coercerentur; caro castigetur: quæ corpori sunt necessaria, ad justum moderamen redigantur: frænum linguæ ac sensibus imponatur: quæcumque ad arcem virtutis properanti moram injicere possunt, penitè extermineantur. Quid trepidas, viamque tibi ad beatitudinem difficilem fingis? Tu te ipsum facere beatum potes, eò vires suppeditante, quin principium tuum, et finis est. A te autem de-

bes exire, ut ad eum pervenias. Eò vicinior illi fies, quo à te ipso remotior fueris.

5. Proponendum est itaque primò, quid appetas, quò properes : tum, via circumspectenda, quà summum illud bonum adipiscaris, intellecturus in ipso itinere, quantum quotidie proficias. Perlustra sedulo conscientiam tuam, et caligantes oculos aperiens, solerter adverte qualis debeas esse, dum alius fieri potes. Serò fraudem agnosces, cum vitare nequibus. Disce, quo remedio cupiditatum mansuescat insania, quo fræno timorum sævitia compescatur. Disce terrena despiciere, et ab his spontè discede, quæ diu tecum esse non possunt. Omnia relinque antequàm relinquaris, ut cum venerit mors, nihil in te reperiat, quod possit abolere. Curam autem præcipuam animæ impende; ut quæ excellentiâ prior est, non sit cultu posterior. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur* (1)? Nullum est lucrum, ubi salutis est damnum.

CAPUT II.

CUPIENTI DEÛE VIVERE, MORUM INSTRUCTOR ELIGENDUS EST.
QUALIS HIC ESSE DEBEAT, OFFICIA DISCIPULI.

1. Nihil magis necessarium incipienti servire Deo, quàm ut se regi, et institui ab optimo præceptore sinat. Quis enim iter ignotum sine duce aggredietur? Quis difficillimam artem ediscat sine magistro?

(1) Matth, XVI, 26.

Paucos numerabis, qui seipsos protulerint, qui sine ullius adjutorio ad virtutem exierint. Quid universim fieri oporteat, et mandari absentibus potest, et posteris scribi. Quando autem, et quemadmodum quidpiam fieri debeat, ex longinquo nemo suadebit : cum rebus ipsis deliberandum est. Non potest Medicus per epistolam cibi aut pharmaci tempus præscribere : vena tangenda est. Ita etiam in curandis animi morbis quædam sunt, quæ non nisi à præsentè monstrantur. Paulus futurus Doctor gentium, postquam conversus à Christo fuit, missus est ad Ananiam, ut ab eo disceret viam vitæ. Durum et laboriosum negotium aggressus es, malignitatem naturæ vincere, cum spiritualibus nequitiis collectari, et ad virtutem te ipsum perducere, inter tot obstantia et impediencia. Quare aliquem invocare oportet, qui manum porrigat adjutricem, qui ostendat pericula, insidias detegat, et in ancipiti pugna instruat ad victoriam. Sed dicis mihi : Quem invocabo? Virum fidelem et sapientem, qui velit et possit tibi prodesse : cujus reverearis occursum, non reformides : qui non castiget errantem, sed emendet : cujus vita plus oculis, quàm auribus probetur. Malè imperat, qui præcipit, et non facit.

2. Eum elige adjutorem, qui nemini aduletur, qui se vulgi congressibus non inferat, qui nec divitum convivium, nec Principum ædes frequentet, qui tale aliquid habeat in vita, quale argentarius in pecunia; qui possit dicere, Affer quamvis drachmam, ego eam discernam; affer quamvis affectionem, ego eam dijudicabo : qui, tanquam probatus medicus, internas ægritudines dignoscat, qui apta præ-

eribat remedia ad omnes animi morbos depellendos. Talis sit, qui subtili examine omnium spirituum instinctus discernere, inter virtutes et vitia discrimen ponere, omnium moribus servire sciat; qui omnes recessus et secreta mentis tuæ solerti consideratione perscrutetur: qui ab omni vitioso affectu immunis, lucro dumtaxat spirituali intentus sit: qui in spiritu lenitatis errantem doceat atque alliciat: qui omnes diaboli versutias et stratagemata detegere, et eludere didicerit: cui denique non erubescas omnia mala tua pandere, omnia pectoris penetralia reserare. Pars magna felicitatis tuæ erit talem posse reperire.

3. Cum eo libenter sermonem habeas quidquid prævæ propensionis, quidquid morbosæ qualitatis in te est, quidquid delinquis, quidquid etiam boni facis, quidquid cælitus immissum tibi existimas, prudenti ejus discussioni committe. Sæpè illum deprecare, ut, si quem tibi notaverit turbulentum inhærere affectum, indicare ne gravetur; idque frequenter faciat, nec redarguendi verecundiâ impeditus vitia tua dissimulet. Quod si negaverit se aliquid in te deprehendere censurâ dignum, ne te protinus credas inculpabilem evasisse. Tacet enim, aut timens odium tuum, aut desperans emendationem. Tunc verò urge, et insta vehementiùs, et factis ostende, quantum proficere cupias. Incipe vitia apud illum deponere, ad ejus præscriptum mores exigere. Gaude fieri ab eo convitium tuæ pravitati, semperque ab ipso vel sanior redeas, vel sanabilior. Inter tot mala aliquid est, velle sanari.

4. Hæc sunt docentis et discentis mutua officia:

ut ille prodesse velit, hic proficere. Ne ille prosit, vix quidpiam impedit, nisi discipuli refractarium ingenium, doctrinæ impatiens, et curationis incapax. Quidam enim innixi prudentiæ suæ alterius sequi ducatum detrectant. Hæc omnia, inquit, quæ tu doces jam scio. Quid prodest aperta monstrare? plurimum. Interdum enim scis, et non attendis. Non docet admonitio, sed excitat memoriam, nec patitur elabi. Sæpè animus etiam aperta dissimulat: ingerenda itaque illi rerum notissimarum notitia. Nam virtus erigitur cum tacta est, et impulsiva. Alios retrahit malus pudor, vitium puerile, et viro indignum. Alii quasi phrenetici, pertinaci silentio mala intus premunt, et Medico curationi intento indignantur. Suadet nimirum hanc noxiam taciturnitatem tartareus hostis, sperans perniciam afferre, quamdiu latet. Et corporis quidem ulcera, tametsi pudibunda, omnium oculis exponere, ut curentur, non erubescis; animæ verò carcinomata studiosè tegis, ac si ea celare tollere sit; cum vix tamen fieri possit, quin vel te repugnante ipsa se prodant. Qui vulnus tegit, nunquam sanabitur.

5. Numquid Medicus injuriam tibi facit, si tuum tibi morbum demonstrat, si periclitanti dicit: Male habes, febricitas; hodie tibi abstinendum à cibo est, hodie aqua potanda? Imò pro beneficio laudatur, gratiæ ei aguntur, et referuntur. Si quis autem dixerit: Appetitiones tuæ æstuant, opiniones vanæ sunt, affectus immoderati; proliquis exclamas: O facinus ferro et sanguine vindicandum! ô contumeliam nullo modo ferendam! Infelix! Quid tibi damni aut mali infert tuæ salutis studiosus monitor

et instructor? Id scilicet, quod speculum deformi. Te talem tibi ostendit, qualis es. Corrige ergò quod ille arguit; compone mores, ablue sordes. Facile potes, si volueris omnium te oculis irreprehensibilem exhibere.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT III.

DE PURGATIONE A PECCATIS. EXUENDUS ERGA ILLA AFFECTUS,
ET VITIA EXTIRPANDA. NULLUM EFFICACIUS VITIORUM RE-
MEDIUM, QUAM MORTIS, ET ÆTERNITATIS CONSIDERATIO.

4. Ab ultimo fine deviat homo, cum peccatum committit, quod est omnium malorum caussa. Ab hoc semine nascitur quidquid cruciat: hoc veneno totus Orbis inficitur. Latet illud, dum sit, sed cum patratum fuerit, tunc intelliges quàm malum sit. Fuere, qui mortuorum corpora vivis jungerent, ut foetore torquerentur. Similis est in peccantes animadversio: alligatum est eis supplicium; non inveniunt quò evadant. Nisi aliquid patiaris, ne malum facias; plurimum patieris, quia fecisti. Vix concipitur prava actio, et jam puerpera est suæ poenæ. Indè nata mors est, hinc succensa gehenna. Ab omnibus itaque flagitiis expianda conscientia, dolore, confessione, et satisfactione. Nec graviora dumtaxat evitanda, sed minima quæque et leviora; quæ tametsi mortem non afferant, vires tamen sensim dissolvunt, et ad mortiferam labem disponunt. Quid autem interest ad naufragium, utrùm navis uno fluctu operiatur: an gut-

tatim subrepens aqua, et per incuriam spreta, ipsam impleat et submergat! Tantò majorem maculam ista inferunt moribus, quantò facilius poterant evitari. Quò hostis debilior est, eò gravior tibi ignominia erit, si ab illo vincaris.

2. Nunquam virtutes animo inserere poteris, et te in pristinum libertatis statum asserere, nisi exuas omnem affectum erga peccata, quantumvis minima; ne corpore in deserto, animo sis in Ægypto. Malè tecum agitur, si post dimissam injuriam, post relictos turpes amores, adhuc malignis colloctionibus præstas auditum, adhuc terrenâ specie delectaris. Vitia autem et pravi habitus, qui deletâ culpâ in te remanent, tanquàm pessima peccati soboles, radicibus extirpari debent. Si solos ramos præcideris, servata radix emerget, et novi ex ea succrescent ramusculi iniquitatis. Dicis, te velle vitia excindere. Falsum est: non enim claudis vitium ostium, sed opponis. Dicis, te offendi turpitudine vitæ tuæ. Hoc credo: quis enim non offenditur? Homines mali vitia sua oderunt simul et amant, atque etiam, dum perpetrant, detestantur. Quid prodest verbis mala rejicere, factis amplecti? Nemo est, tam profligatæ conscientiæ, cui aliquando vitia sua nauseam non faciunt: sed citò cum illis in gratiam redeunt. Qui autem verè conversus ad Deum est, ponit securim ad radicem, et ipsas minutissimas vitiorum fibras eradicat. Tum memor fragilitatis suæ omnes peccandi occasiones studiosissimè vitat: et ad quodlibet malæ rei objectum timore concussus resilit, et exhorrescit.

3. Quid frustrâ tergiversaris, et præcipienti Deo

vitiorum exterminationem, opponis naturæ infirmitatem? Nemo magis virium tuarum mensuram novit, quam qui ipsas largitus est. Quare ergo non statim obtemperas, cum non commodum quæratür jubentis, sed tua utilitas? O cæcam et sceleratam temeritatem! Servili nequitia in os Domini reclamare audes, et dicere, durum esse quod ille jubet; ac si mandata tibi imposuerit, quæ ferre non possis: ut videatur præcipiendo non tam salutem tuam quæsisisse, quam pœnam. Hæc est nimirum humana perversitas, et malè de Deo mereri, et laborem sibi fingere in præcepto. Sed si volueris vires tuas experiri, videbis multo plura te posse, quam putabas. Non quia difficilis est lucta, non audes; sed quia non audes, difficilis illa videtur. Multa prius errori habita, usus vertit in risum. Incipe, nec teipsum contempnas. Non deserit Deus milites suos. Tantum virium habebis, quantum volueris.

4. Omnia vitia facile vinces, si omnem tibi diem supremum diluxisse credideris. Quid est quod te alligat terræ? Quia nunquam cogitas, citò ab ea exeundum esse. Transeunt quotidie præter oculos tuos elata cadavera, quæ mortalitatis oblitum respicere cogunt ad mortem. Tu autem in media strage morientium, nihil minus quam mortem cogitas: et cum nihil frequentius videas, nihil citius oblivisceris. Veniet tamen qui te relevet dies, et ex contubernio clidi ventris educat. Discutietur ista caligo, et tunc in tenebris te vixisse cognosces, cum lucem aspexeris. Produc si potes, ex tot elapsis annis vel unicum diem, integræ virtutis testem, qui non fuerit aliquâ labe pollutus. Desloruit rudior ætas inter talos

et nuces, inter ineptias et libidines adolescentia, inter scelera et flagitia præceps juventus. Post omnes annos, qui à cunis ad canos defluerunt; nihil jam superest nisi dolor, et pravi fructus iniquitatis. Heu quales te apprehendent angustiae, cum præterita pudori erunt, formidini futura! Quid tunc proderunt divitiæ, tot partæ sudoribus, tot curis quæsita? Quid carnis delitiæ, et probrosæ voluptates; quid inania dignitatum nomina; quid purpura, quid coronæ? O si daretur reverti ad crepundia, et telam de novo exordiri; quam meliori textu omnia concinnares! sed intempestiva, illo fatali momento, hæc vota erunt. Si vis tempore uti, nunc incipe: et ea desere, quæ tunc velles deseruisse. Minima res est, momentaneis renunciare, ut æterna consequaris.

5. Quære, si lubet, ex morituro, de anteacta vita quid sentiat? vix unum reperies, qui non longè diversam proferat de opibus, dignitatibus, mundique vanitatibus sententiam, quam vivens habuerit. Tunc res omnes æquiori lance pensantur, suisque momentis æstimantur. Et illis quidem sera sapientia in exitu est: tibi verò plurimum proderit, si ex alieno errore tuum corrigere didiceris. Potes nunc tutò navigare: quid expectas tempestatem? Potes te, rebus integris, subducere calamitati: cur te reservas extremo periculo? Sera, dum mergeris, cautio est; sera prudentia, cum jam peristi. Tot maximi et sanctissimi viri, relictis omnibus impedimentis, cum sibi et mundo valedixissent hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, ut vivere et mori scirent: plures tamen, nondum se scire professi, è vita

abierunt. Adeo difficile est, hanc artem ediscere. Tu autem in senectutem sana differs consilia; et inde vitam vis inchoare, quò pauci perduxerunt? Stultitia magna est, tunc vivere incipere, cum desinendum est.

6. Quò te projecis, incautus homo! sic credis, et sic vivis; umbræ transitus est tempus tuum; punctum, vita tua, et si quid minus puncto esse potest. Vix natus, desinis esse. Sista vel unum diem; horam dumtaxat ne float inhihe, brevem moram tempori pone. Frustrâ conaris: nam te secum citius abripiet; quàm ut desinat velocissimè fluere, in tuum rerumque omnium exitium. Et huic momento æternitatem postponis, quæ finem non habet? ô stultitiam, ô cæcitatem! Corpori perituro non cessas quæ ad ipsum pertinent comparare, et non est finis acquisitionis tuæ: animæ verò quæ nunquam moritur, nulla provides bona in futurum, ac si tua non foret? languet corpus; omne discrimen subire paratus es, ut sanetur: languet anima; et negligis, et non sentis? Quando dictum est tibi: naviga, ne moriaris, et distulisti? Sume amarissimum pharmacum; et recusasti? Levia Deus jubet, ut vivas in æternum, et non vis obedire? Si tibi l's foret, omnis cogitatio tua, omnis sermocinatio circa illam occuparetur; nec subsidia parare cessares, ut pro te iudices sententiam ferrent: extremo autem iudicio imminente, è quo pendet æternitas, rides, nugaris, peccas, in æternum periturus? Ah! desine tandem insanire; et à viliis entergens, sic forma quotidiè animum, tamquam ad extremum ventum sit. Vera philosophia hæc est, quàm maximè fieri

potest, hanc animam è corpore educere, et separare.

7. Hoc sit negotium tuum, hoc otium; hic labor, hæc quies, subducere te tempori, et immergere æternitati. Fixum semper et immobile stat, quod in jura transiit æternitatis. Avarus epulo aquæ stillam post tot sæcula adhuc petit; perpetuo mugitu frustra rogabit. Æternitas est duratio semper præsens, nunquam sine suspirio, et horrore nominanda: est rota quæ semper volvitur: est juge, interminatam, semperque inchoans principium. Seria ejus cogitatio mundi delitiis miscet absynthia; lethaliq; mœrore attonitos homines, ac veluti sideratos, dejicit. Hæc animam rebellem domat, et curis inanibus indormiscentem excitat ad virtutem: hæc famem, et sitim condit: hæc omnem laborem facilem, jucundum omnem dolorem, omnem pœnam suavem, et brevem esse persuadet. Impleantur numericis notis ingentia cœli spatia, quacunque in immensum protenduntur. Quis præter Deum poterit hanc propemodum infinitam numerorum seriem exprimere? Hi tamen numeri innumerabiles nec initium quidem æternitatis sunt. Tot anni, tot sæcula labantur, quot sunt in illis unitates; nondum aliquid de æternitate decessit. Nondum pervenerunt ad desperatissimæ æternitatis initium infelicissimi mortales, qui perpetuo inferni incendio cruciantur. Ad hanc considerationem si non horrescis, si vitam serio non emendas, quovis saxo durior es. ®

CAPUT IV.

DE GULA, EJUS MALA, ET REMEDIA. QUAE SINT INDICIA DE-
VICTÆ GULÆ.

1. Primum tibi certamen adversus gulæ vitium ineundum est, quæ pabulum cæteris subministrat. Morti corporis et animæ nos gula initiavit. Primi enim parentes nostri, pomi interdicti esu omnes homines, antequam gignerent, peremerunt (1). Nunc eadem animarum hostes utuntur; ut enervato omni vigore nos proterant, et conculcent. Hinc stupor, languor, et tædium: hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio: hinc immunditia, rixæ, contentiones: hinc mentis hebetudo, destructio omnium virtutum: hinc rei familiaris profusio: hinc egestas: hinc longa morborum series, et ipsa denique mors, graviore ciborum sarcinâ accelerata. Pauci sunt infirmi, quos gula ad ægritudinem non adegerit: nam si noxiis humoribus, ex nimio cibo, et potu congestis, careat corpus, tentari quidem à morbo, sed non subigi posset. *Plures occidit gula, quam gladius.*

2. O vilissimam ventris servitutem, ô inexplebilem cupiditatem! Modicum tibi corpus natura præbuit; vincis tamen vastissimorum et edacissimorum animalium aviditatem. Taurus paucorum jugerum pascuis impletur; una sylvæ plures nutrit elephantos: tibi angustus est Orbis; non sufficit

(1) Gen., iii.

ventri tuo, quicquid volat in aëre, quicquid natat in undis, quicquid latet in sylvis. Aspice potentum culinas, et concursantes inter tot ignes coquos: vide servorum, et ancillarum sudantem cohortem: vide stragem animalium, et natantia vino penuaria: observa, quanta sollicitudine argentum ordinant pueri; quantâ arte disponunt fercula, inferunt pallas, scindunt aves: quantâ celeritate discurrunt ad ministeria. Vix credes unam esse domum, cui tot Consulium, et Regnorum vina promuntur, cui mensæ tanto tumultu apparantur. Non præcipio ut subtrahas ventri alimenta. Contumax est; non potest vinci, quotidiano indiget cibo. Verùm latet hic dolus, et subtilissimus concupiscentiæ laqueus; quo sæpè anima irretitur, obtentu necessitatis, negotium obumbrans voluptatis. Vis scire, quàm parvo fames extinguatur? Te ipsum numera, metire corpus, stomachum consule. Scies, non esse necessarium, quod mensuram excedit. Naturæ pauca sufficient, luxuriæ nihil.

3. Fames non est ambitiosa; contenta desinere, quo desinat non quærit. Elapso momentaneo palati iudicio, non suavius sapit pretiosum, quàm vile. Si esuris, edendum est: si sitis, bibendum. Sed utrum panis plebeius sit, an siliginis: utrum aqua ex proximo anime excepta, an multâ nive refrigerata, nihil pertinet ad naturam. Hoc unum illa jubet, sedari famem, sitim extinguere. Pisces è superno, inferoque mari, à fluviis, et lacubus evocati, detractæ è caelo aves, ereptæ è sylvis feræ, diversa vini genera, et omnia Apicii condimenta, infelicis luxuriæ tormenta sunt. Epicurus sobrium victum voluptatis

gratia commendat : nihil est enim tam lautum, quod nausea non reddat insipidum, nihil tam insuave, quod delicatum non faciat fames. Vis omnem cibi et potus superfluum curam abjicere? exitum specta. Cito morieris, et corpus istud, tanta epularum varietate nutritum, foedis vermibus pabulum erit. Considera, quali convivio te escam praeparas : et sic carnem nutri, ne mentem opprimas. Cibo utere, qui parabilis sit, et ubique occurrens, nec patrimonio gravis, nec valetudini. Magna pars libertatis est, bene moratus venter, et patiens contumeliae. Multa quam supervacua essent non intelleximus, nisi cum deesse coeperunt. Eget corpus alimonia, non cupediis, aut lautitiis.

4. Non est autem quod te laudes, si contempseris superflua. Tunc laudabilis eris, cum contempseris necessaria : cum tibi persuaseris, sordidum panem ad victum; modicum vinum et debile, vel aqua debilitatum, ad potum satis esse : cum didiceris, herbas non tantum pecori, sed homini quoque nasci. Tunc te admirabor, cum solam necessitatem, ac virium reparationem, Deique gloriam, in cibo sumendo spectabis : cum lautiores epulas, et magnatum convivia contempseris : cum invitus ad mensam accedes, sicque alimenta sumes, quemadmodum pharmacum aegroti : cum voluptatem gustus, quia tolli non potest, compescere et moderari studueris : cum tibi molestum fuerit, quidpiam delicatius, valetudine exigente, accipere : cum vera denique mentis et corporis puritate imbutus fueris. Non enim in corporis attenuatione probatio abstinentiae sita est, sed in perfectione castitatis.

CAPUT V.

DE LUXURIA. QUAM TURPE SIT HOC VITIUM. QUAM FACILIS IN ID LAPsus, ET QUOMODO EVITANDUS. VOLUPTAS ANIMI SECTANDA, QUAE SOLIDA EST.

1. Nullum vitium isto turpius : nullum, de quo magis erubescamus. Vel nudum ipsius nomen non carere ignominia edixit Apostolus, praecipiens, ut, quae hujusmodi sunt, nec nominentur in nobis (1). Hinc ille pudor, quo solent ingenui ac probi homines affici, si semel admissum aliquid immunditiae peccatum aliis innotuisse suspicentur. Hinc lubricos adolescentiae errores quidam in secretissimo poenitentiae tribunali ministro Christi abscondunt, aeterna potius tormenta, cum aeterno dedecore, subire post mortem eligentes, quam imaginariam hujus vitii infamiam in hac vita. Huic autem limo infixus vix emergit. Conclamata est ejus salus, quem haec lues infecit. Quid enim possunt ad hoc humanae vires? Nemo potest esse continens, nisi Deus det (2).

2. Primum itaque hujus morbi remedium, fervens ad Deum oratio est, ut ipse te sanet et praeservet, qui solus potest. Tum impuris cogitationibus resistere in ipso accessu oportet, ea celeritate, qua ignitum carbonem excutis a vestimento. Vae tibi, si te semel dimiseris ad aliquid quantumvis minimum in hoc genere deliberandum. Proxima dedi-

(1) Ephes., v, 3.

(2) Sap., viii, 21.

gratia commendat : nihil est enim tam lautum, quod nausea non reddat insipidum, nihil tam insuave, quod delicatum non faciat fames. Vis omnem cibi et potus superfluum curam abjicere? exitum specta. Cito morieris, et corpus istud, tanta epularum varietate nutritum, foedis vermibus pabulum erit. Considera, quali convivio te escam praeparas : et sic carnem nutri, ne mentem opprimas. Cibo utere, qui parabilis sit, et ubique occurrens, nec patrimonio gravis, nec valetudini. Magna pars libertatis est, bene moratus venter, et patiens contumeliae. Multa quam supervacua essent non intelleximus, nisi cum deesse coeperunt. Eget corpus alimonia, non cupediis, aut lautitiis.

4. Non est autem quod te laudes, si contempseris superflua. Tunc laudabilis eris, cum contempseris necessaria : cum tibi persuaseris, sordidum panem ad victum; modicum vinum et debile, vel aqua debilitatum, ad potum satis esse : cum didiceris, herbas non tantum pecori, sed homini quoque nasci. Tunc te admirabor, cum solam necessitatem, ac virium reparationem, Deique gloriam, in cibo sumendo spectabis : cum lautiores epulas, et magnatum convivia contempseris : cum invitus ad mensam accedes, sicque alimenta sumes, quemadmodum pharmacum aegroti : cum voluptatem gustus, quia tolli non potest, compescere et moderari studueris : cum tibi molestum fuerit, quidpiam delicatius, valetudine exigente, accipere : cum vera denique mentis et corporis puritate imbutus fueris. Non enim in corporis attenuatione probatio abstinentiae sita est, sed in perfectione castitatis.

CAPUT V.

DE LUXURIA. QUAM TURPE SIT HOC VITIUM. QUAM FACILIS IN ID LAPsus, ET QUOMODO EVITANDUS. VOLUPTAS ANIMI SECTANDA, QUAE SOLIDA EST.

1. Nullum vitium isto turpius : nullum, de quo magis erubescamus. Vel nudum ipsius nomen non carere ignominia edixit Apostolus, praecipiens, ut, quae hujusmodi sunt, nec nominentur in nobis (1). Hinc ille pudor, quo solent ingenui ac probi homines affici, si semel admissum aliquid immunditiae peccatum aliis innotuisse suspicentur. Hinc lubricos adolescentiae errores quidam in secretissimo poenitentiae tribunali ministro Christi abscondunt, aeterna potius tormenta, cum aeterno dedecore, subire post mortem eligentes, quam imaginariam hujus vitii infamiam in hac vita. Huic autem limo infixus vix emergit. Conclamata est ejus salus, quem haec lues infecit. Quid enim possunt ad hoc humanae vires? Nemo potest esse continens, nisi Deus det (2).

2. Primum itaque hujus morbi remedium, servens ad Deum oratio est, ut ipse te sanet et praeservet, qui solus potest. Tum impuris cogitationibus resistere in ipso accessu oportet, ea celeritate, qua ignitum carbonem excutis a vestimento. Vae tibi, si te semel dimiseris ad aliquid quantumvis minimum in hoc genere deliberandum. Proxima dedi-

(1) Ephes., v, 3.

(2) Sap., viii, 21.

tioni est arx, cujus gubernator incipit cum hoste miscere colloquia. Omnis item præcidenda pravitas occasio ab otio, à gula, ab omni specie impura, à malorum convictu, et societate: nec quidquam in hac lucta negligendum. Sunt etiam in justis quædam hujus vitii reliquæ, omninò extirpandæ: est latens quidam serpentis sibilus: sunt quædam affectiuncule; quæ tametsi malæ non sint, sunt tamen principia peccatis præludentia, quibus sensim sine sensu fascinata mens, nisi statim abrumpas, adhærebit. Nunquam magnus eris, si hæc minima spreveris. Magna à parvis initium sumunt.

3. Ante omnia cavendum, ne te nimia tui fiducia decipiat. Quisquis non timuit, jam lapsus est. Quot et quales viri post confessiones, et victorias; post signa et magnalia, incauto sceminae aspectu, corrue- runt? Non affero hic Samsonis, Davidis, et Salomonis, toties decantata exempla. Sunt alia recentiora, et quotidiana, et ut desint aliena, habes tu ipse in te, unde crubescas, unde discas, non altum sapere, sed timere. Nonne extremæ dementiae est, inter tot omnium ætatum et gentium documenta adhuc aliquid audere, et non vitare discrimen? sed hæc est semper humanæ perviciacæ incredulitas, ut nunquam credat alios cecidisse, nisi et se viderit interire. Facta est mulier à Deo adjutrix viri; sed dolo serpentis personam sumpsit hostilem. Nihil in illa, nisi quod feriat, quod urat, quod interficiat. Nulla est hyæna, nullus basiliscus, qui cum illius voce et oculis conferri possit. Ah! fuge ejus aspectum; fuge colloquium, quicumque tuam optas salutem. Suum morem illa retinet, semper hominem expellit è paradiso.

4. Familiare hic est, multas prætexere excusationes necessitatis, consuetudinis, puræ intentionis: sed latitant sub specie boni ingentia mala. Indè enim prosiliunt nocituræ libertates, incauta colloquia, gestus leviores, modestiæ neglectus, crebra munuscula, et quædam hilaritudines, quibus paulatim deponitur pudor, et tota demum exiit verecundia. Crescunt hæc per intervalla; et qui rubore suffusus, ad sola mulierum vestigia horrescebat, jam vultu constanti lascivientes oculos, nudatumque pectus intuetur; et blando intus operante veneno, prius damna patitur, quàm periculum senserit. Sic paulatim rationis oculus caligare incipit, postea obæcatur. Sic anima cælo nata affigitur humi, immemor Dei, immemor sui, donec flamma concupiscentiæ semper duraturo incendio absorbeat. O miseri, quorum sædæ, et momentaneæ voluptates tam luctuoso exitu terminantur! omnes puto Sardonis herbis saturos esse; moriuntur, et rident.

5. Quid quæris, stultus homo, inops proprii consilii, alieni desertor? Voluptates? Deus cælo æternas reposuit. Vis hujus sæculi fallaces, et excludi æternis? Ubi ratio, ubi prudentia? Cælum intuere, et omnes ejus beatissimos cives. Olim panem cum cinere, potum cum fletu miscebant. Vidisses eos in mundo angustiis undique oppressos, sordibus obscuratos, semper lacrymis madidos, semper vigiles in oratione, extra omnem mundi lætitiâ positos. Viam sibi ad cælum equuleis, gladiis, et crucibus fecerunt. Respice infernum, et desperatam damnatorum turbam, ignibus, tenebrisque perpetuis sepultam. Hi falsa mundi gaudia, carnisque delicias et

luxum olim amplexi, nunc serò cognoscunt, quantum sibi nocuerint voluptates. Hæc sedulo contemplare, et si credis, exhorresce. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.

6. Quod si etiam in hac vita placet voluptas; cur non magis solida, vera, impolluta, immutabilis, quæ ex animo benè composito venit, ut de tuo te ipsum oblectes? Carnis voluptas mollis est, caduca, fucata; semper mero et unguento madens, et timens publicari. Ejus statio fornices, popinæ, et loca censorem metuentia. Si foris nitet, infrorsus misera est. Cum incipit, tum extinguitur, et in ipso sui usu perit. Voluptas verò animi tranquilla, excelsa, invicta, semper secunda et stabilis, nec satietatem habet, nec poenitentiam. Nullus eam pudor comitatur, nullus sequitur mœror, nec suum unquam possessorem destituit. Hæc si frui desideras, omnes carnis illecebæ vincendæ sunt. Vera enim voluptas est, omnem contemnere voluptatem.

CAPUT VI.

DE AVARITIA : MALITIA EJUS PERSTRINGITUR. COLLATIO PAUPERIS, ET DIVITIS. OPUM FALLACIA, ET VANITAS.

4. Hæc est Avaritiæ pessima fraus, quam prænoscere debes, ne decipiaris : occultat se ; nec ullum reperies, qui se avarum confiteatur. Ille divitias congregat, ut sibi et liberis prospiciat : hic ut pauperum indigentia consulat : alius ut redimat piis ope-

ribus peccata sua. Sed congestum aurum nemo istorum erogat : imò nova semper quærentur, quæ addantur acervo : et dum quærendo teritur tempus, elabitur vita, cui opes quærebantur. Ut ægrorum sitim aqua non sedat, quam sitibundus placido amne fluentem videt, et agit manu ; nisi os admoveat, et gelidos hauriat latices : ita Avarus nullâ re satiari potest ; quia menti ejus, in qua residet Avaritia, thesauri, et pecuniæ non possunt illabi. Animam Deo capacem solus Deus implere potest.

2. Congeratur in te, Avare, quicquid omnes locupletes possederunt : ultra Salomonis opulentiam fortuna te provehat : terram marmoribus, auro parietes, gemmis laquearia abscondas. Non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias. Accedant statua, et pictura, et quicquid ars luxui serviens elaboravit : majora cupere ab his disces. Naturalia desideria finem habent ; ex falsa opinione nascentia infinita sunt. Quid refert, quantum tibi in arca, quantum in horreis lateat, si non computas acquisita, sed acquirenda ? Toto eget mundo, cujus non explet mundus cupiditatem. Atque utinam considerares, quanta secum mala divitiæ asserant, quanta auferant bona ! Invenires procul dubio, quam vera sit Apostoli sententia : *Radix enim omnium malorum est cupiditas* (1). Indè germinant fraudes, indè consurgunt bella ; hinc perjuria, hinc proditioes oriuntur. Tolle avaritiam, et non est discordia : desinat avaritia, et cessat ambitio. Hæc terram latronibus complet, mare piratis, urbes tumultibus, domos

(1) I. Tim., vi, 10.

insidiis, forum injustitiâ. Quædam nimirum societas, penè etiam nominis, est vitii et divitiis.

3. Confer, si placet, inter se pauperem et divitem: cerne vultum utriusque. Hic plenus sollicitudinum, tetricâ facie tristitiam animi prodit: ille serenâ fronte sincerum mentis gaudium ostendit. Hujus, inter ærumnas cor exedentes, bracteata felicitas est; illius mens, mœroris vacua, internæ pacis jucunditate perfruitur. Hic quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miserimus, ad omnes fortunæ injurias expositus, quò plus habet plus cupit. Ille in paupertate ditissimus, oplat quod satis est, nihil timens; quia nihil habet quod sibi adhæreat, quod sibi eripi possit. Quàm lætos dies ducit pauper, quàm placidas noctes! Dives autem, æger animi, morbum suum, quocunque pergat, secum trahit, spinis undique circumseptus. Sed lethalis est sopor, qui non sentit aculeos.

4. Audi, miser, cujus inexplebilis avaritia est. Omnibus licèt locis tecta tua resplendeant: licèt immensos pecuniarum acervos possideas: quamvis ultra mare latifundia tua extendantur; veniet tamen, veniet dies ab æterno statuta, quâ hæc omnia simul cum vita, amaro et invito animo desereres. Abibunt, peribunt hæc omnia; propter quæ pereundum tibi erit. Tunc demum intelliges, quàm contemnenda mireris; similis pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Illos reperti in littore calculi leves, et aliquid varietatis habentes delectant: tu circa auri glebas, splendorosque lapillos insanis caritûs ineptus. Non dico, ut divitias non habeas, si te Deus divitem fecit; sed ut habeas, nulli detractas, sine cujusquam

injuria partas, sine sordidis quæstibus, sine sollicitudine, et superflua cura. In domum illas, non in animum, recipias; paratus his carere, cum Deus voluerit. Ille verè locuples est, qui divitiis non eget. Ne expectes, ut fur, vel casus eripiant tibi quæ possides, occupa tu eorum vices, et aufer tibi ipsi animo circa exteriora indifferenti, quidquid alii auferre possunt. Tuus eris, sic hæc tua non erunt.

5. Disce à te removeve pompam, et cultum viciumque tuum non ad exempla compone, sed ut Christiani suadent mores. Potest paupertas se in divitias convertere advocatâ frugalitate. Exiguum natura desiderat, non esurire, non sitire, non algere. Potes habitare sine marmorario fabro, potes vestiri sine commercio Serum. An non sitim extinguet poculum, nisi gemmeum aut crystallinum sit, quo simul bibas et timeas? Gladius non scindet panem, nisi ebur, et margaritæ in capulo niteant? Pelvis fictilis non excipiet manuum sordes? Nec lumen lucerna ministrabit, nisi sit aurificis opus? Auro servit, qui se auro ornari putat. Quânto utilius foret, veras amare divitias, quæ hominem meliorem faciunt; quas nulla fortunæ iniquitas nec ipsa mors auferre potest? Quid pauperiem times, integrum Regnum ferens in corde? Regnum Dei intra te est. Absit ut aliud bonum quæras. Quære bonum tuum. *Nemo bonus, nisi solus Deus* (1). Hic tibi possessio et regnum sit, in quo sunt omnia bona, omnes thesauri. Cui Deus totum est, huic mundus nihil est.

6. Quicquid nitidum, quicquid magnum in mundo apparet, inane est, fictitium est, nihil est. Quid

(1) Luc., xviii, 19.

miraris cūm vides hominem auro, et purpurā indutum, et magnā servorum catervā stipatum? Pompa est. Ostenduntur hæc omnia, non possidentur: et dum placent, transeunt. Non capio hujus rei fidem à Lycæo, vel à Portico, non à Cruce Christi, non ab æterna Dei Sapientia; sed ab ipso mundo, ab ipsis vanitatum mancipiis. Audi Amanum opibus, potentiâ, honoribus super omnes tunc mortales eximium. Convocat auditores, et coacto cæta omnia nihil esse pronuntiat. *Nihil, inquit, me habere puto; et causam adjecit: Quamdiu videro Mardocheum judeum sedentem ante fores Regias* (A). O ludibria, ô cæcitate! Sæpe legi, et audiivi omnia nihil esse collata cum bonis, quæ virtus parit, quæ nutrit æternitas: sed vehementius depressa sunt, coram nihil visa sunt, nihil. Nihil igitur facis, si nihil spernis. Spernendum est aliquid quod in te sit, quod aliquid sit. Comprimenta cupiditas, ac veluti sub vinculis habenda: ut assuescas colere paupertatem, et usu rerum res ipsas metiri. Facile autem contemnes omnia, si semper cogites te moriturum.

CAPUT VII.

DE IRA, CHARACTER IRATI. EFFECTUS, CAUSE ET REMEDIA

IRÆ.

1. Irascor iræ. Sola hæc ira justa est adversus monstrum rabidum et execrabile; adversus affectum maximè implacidum, et turbulentum: qui si

(1) Esther., v, 13.

semel invaserit hominem, vix in eo humanæ naturæ vestigia relinquit. Ira brevis insania est, sui impotens; armorum, sanguinis, et suppliciorum avida; decoris oblita, necessitudinum immemor, in ipsa irruens tela, ut alteri noceat, ruinis simillima, quæ super id quod oppresserunt franguntur. Linqvit decor omnis iratos. Flagrant et micant oculi, tumescunt venæ, horrent capilli, quatiuntur labia, strident dentes, spumant ora, rabida vocis eruptio colla distendit. Non est ullius affectus facies turbatio. Fœdatur vultus, contrahitur frons, nutat caput, vacillant pedes, agitantur manus, et totum corpus indecora jactatione huc illuc circumfertur. Adjice minaces gestus, complosas manus, pulsatum humum, percussum pectus, evulsos crines, scissa vestimenta, et sanguinem ab imis præcordiis exæstantem. Qualem, putas, intra esse animum, cujus extra imago tam fœda est? Qualia Poetæ inferni monstra finxere, ignibus ardentia, succincta serpentibus, diroque mugitu perstreptentia; talis est irati habitus, turpis, cruentus, æstuans, crudelis, et in ferinam rabiem generans. Cætera vitia licet abscondere, et in abdito alere: ira se profert, et in faciem exit, ac velut ignis omnia corripit: quantoque studiosius eam tegere conaris, eò amplius effervescit. Modi nescius est, nec frænum patitur, quem ira possedit.

2. Reliqua item vitia certis quibusdam finibus coërcentur; iræ nihil intactum, nihil est inaccessum: cælum ipsum petimus iracundiâ. Hinc blasphemiæ; hinc querimoniæ adversus Deum; hinc de ejus providentia motæ ab impiis controversiæ.

Nec his duntaxat irascimur, à quibus nos læsos existimamus; sed futuræ etiam injuriæ cogitatione offendimur, et qui facturus esse injuriam, falsâ plerumque imaginatione, creditur, jam fecit: adeo ingeniosi in viliis sumus. Sæpè nescimus quibus irascamur, irascimur tamen: et si alius desit, in quo impetus ille frangatur, contra nos ipsos excandescimus. Ut verò scias, non ex sola injuria nasci hunc affectum, iræ etiam nostræ sentiunt rabiem, qui nec offendere nos possunt, nec contumeliâ afficere. Sic vestimenta sæpè scindimus, vasa projicimus, frangimus calamum, laceramus chartam, cum his uti ex animi sententia non valemus. Sic in furorem sæpè nos agit aut versus calix, aut mensa negligentius posita, aut parum agilis puer, aut tracti subselli stridor, et alia multa, quæ iram nostram nec meruerunt, nec sentiunt. Sic refractarius equus et contumax; sic canis oblatrans et perstreptentes aviculæ; sic importunus muscarum volatus, aut culicum morsus bilem concitant, et impatientiæ nostræ pœnas luunt. Vide quàm demens sis. A rebus sensu carentibus, et à brutis animalibus exigis pœnas, quibus par esset tuam potius insaniam castigare.

3. Quod si libeat iræ damna et effectus intueri, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes, et urbium clades, et totarum exitia gentium. Videbis pestilentiam manu factam, et magnam occisorum struem, fusique sanguinis rivos flumina inficientes. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia; has ira dejecit. Aspice solitudines sine habitatore desertas; has ira exhaustit.

Aspice incendia domos concremantia, violatos fontes venenis, extinctas familias: hæc scelera ira patravit. Ferarum conventum dixeris non hominum, nisi quod illæ inter se placidæ sunt, hi mutuâ laceratione se perimunt. Accedit huic vitio hæc perniciosa, quòd hominem exuit similitudine Dei, cujus opera tranquilla sunt: mentem obcæcat, ne verum videat, ne aliorum monitis obsequatur: omnes animæ facultates turbat et pervertit; cumque pessime totum hominem afficiat, vix illi tamen ulla turpitudine inesse creditur: ad id vulgus glòriosum existimat irasci. Sed præstat ad remedia accedere, quibus hæc prava affectio, si non tolli omnino, rationis saltem imperio subjici, et ad salutarem modum cogi possit.

4. Ante omnia optimum est primum iræ irritamentum protinus spernere, et ipsis repugnare principiis: nam si cœperit ferre transversum, difficilis ad salutem recursus est. Faciet quantum volet, non quantum permiseris. Cum hostis portis se intulit, modum à captivo non accipit. Facilius enim est non admittere perniciosa, quam admissa moderari. Pars superior mundi, et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, sed caret omni tumultu: inferiora sunt quæ fulminant. Ita animus sublimis, quietus semper et compositus, ac in statione tranquilla collocatus, intrâ se mala premit, quibus ira contrahitur, et verbis suis minimum libertatis permittit: scit enim cum iratus fuerit, mala non tolli; sed fieri graviora. Sicut aves, dum viscum trepidantes excutunt, plumis omnibus illinunt: sic omnis indignatio

in tormentum suum proficit. Plus nocet ira, quam injuria. Qui irascitur, se ab alio contemptum putat; verus autem aestimator sui non vindicat, quia non sentit. Ultio confessio doloris est. Non est magnus animus, qui repetit mordentem.

5. Audita voce maledicentis statim animadvertendum, non quid illum audire, sed quid te deceat loqui. Non tantum licere debet alienæ perversitati, ut serenitatem tuam obducat. Deus, qui omnia potest, tot improbos homines suffert: tu cæteris deterior, unum ferre non poteris? Ridiculum est te non corrigere malitiam tuam, quod potes; aliorum velle tollere, quod non potes. Si tot peccatorum reus es, quicquid pateris nihil est comparatione gehennæ, quam mereris. Quis es tu, cujus aures lædi nefas sit? Seipsum offendit, quia peccat, qui facit injuriam: tibi enim quid accidit? Id quod ab æterno decretum est pro tua salute. Audi quid dicat Deus: Si dimiseritis, et ego dimittam vobis (1). Ad hoc contrarium si non expergisceris, non dormis, sed mortuus es. Danda est alienis vitiis venia, ut tuis impetres.

6. Tollenda ex animo suspicio est, fallacissimum iræ incitamentum. Ille me parùm humanè salutavit, ille inchoatum sermonem citò abruptit, illius vultus aversior visus est. Nec deerunt suspicioni argumenta, et conjecturæ; cùm semper ad malum creduli simus. Major injuriæ pars constat vitio interpretantis. Quare simplicitas necessaria est, et benigna rerum aestimatio. Age contra te absentis causam: sitque tibi hoc vitium suspectum; quòd

(1) Matth., vi, 14.

quæ inviti audimus, libenter credimus; et antequam judicemus, irascimur. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. De parvula summa judicatio res tibi sine teste non probaretur; amicum verò condemnas, antequam audias? Rebus quæ referuntur statim fidem adhibere, imprudentis hominis est. Multi mentiuntur, ut decipiant; multi, quia decepti sunt. Qui aliquid clam dicit, penè non dicit. Quid iniquius, quam secretò credere, palam irasci? Denique non expedit omnia videre, omnia audire. Non accipit injuriam, qui nescit.

7. Cùm scis aliquem malè loqui de te, interroga conscientiam tuam, an ipse prius de illo locutus sis. Tum cogita, de quam multis loquaris. Faciet te moderatiorem respectus tui, si te ipsam consulueris. Nam cur alienæ luxuriæ non ignoscis, qui nihil tuæ negasti? cur mendacia persequeris, ipse perjurus? cur ipse perfidus, fidei acerrimus exactor es? cur tibi licentiam in alios permittis, in te non vis? Succurrat non tantum quid patiaris, sed quid feceris. Quicquid in alio reprehendis, invenies in sinu tuo. Omnes mali sumus: communi vitio danda est venia. Et si nihil tale fecisti, at potes facere. Qui stat, videat ne cadat (1).

8. Quid novi sit, si inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, servus peccat? Hæc omnia ita consueta sunt, ut rosa vere, fructus æstate. Sicut properanti per frequentia urbis loca alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi? ita in hoc vitæ actu dissipato et vago multæ incidunt querelæ, multa impedimenta. Cur indignaris à viro

(1) I. Cor., x, 12.

malo injuriam passus? Quod suum erat fecit. Tu verò, si bonus es, boni viri munus exerce: cura ut illum bonum facias. Hoc autem non fit ultione, sed patientiâ, et beneficiis: et si non bonum, saltem benevolum reddes: si neutrum, te procul dubio meliorem efficies. Ille detraxit de fama tua; graviter tibi infensus est. Quid hic tu? Non credo. Si quid dixit, errore deceptus dixit, mente non malâ, zelo bono: prodesse voluit, aut certè læsus à me fuit. Non est injuria, pati quod prior feceris. Verè illam culpam admisi, reus sum; æquum est justitiæ cedere. At gratis impugnor, et sine culpa. Quid inde? Christum imitabor, et dicam cum Propheta: *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti* (1). Aliena dicta, aut facta, tibi mala non erunt, et si reverà mala sint, nisi malè eis utaris. Talia sunt, qualis usus eorum.

9. Quæ est causa offensionis? Opinio. Tolle damni opinionem, et nihil nocebit tibi. Nulla res attingit, aut movet animum, aut ad ipsum intrat: solus ipse se ipsum movet; et quale tulerit judicium, talia fiunt ea quæ accidunt. Nihil te lædet, nisi tu te ipsum læseris. At malus est, inquis, qui me persequitur. Expecta: dabit alteri pœnas, quas debet tibi; et jam sibi dedit, quia peccavit. At ratione præditus est; quare non emendat se? Et tu, qui ratione præditus es, cur non corrigis impatientiam tuam? cur non vincis in bono malum? Aliena vitia in oculis habes; à tergo tua sunt. Sed age, quisquis es, cui dulce videtur ulcisci, datur tibi optatæ ultionis facultas; cum hac tamen justissima lege, ut à

(1) Ps. xxxviii, 19.

majori incipias. Ordo injuriæ præscribat ultionem. Graviorem omnium hostem iram tuam habes; hæc plus te offendit: ab ista auspiciare vindictam. Non sunt quærendi in platea adversarii, dum infensor domi latet. Plato iratus in servum, manum quam percussurus sustulerat, suspendit, dicens: Cæderem, nisi irascerer. Prius voluit iracundiam flagellare, quàm servum; digniorem flagris existimans dominum irascentem, quàm servum negligentem. Quò quisque honestior est, eò fortius iram comprimit.

10. Judices, et qui præsumt populis, iram interdum ostendere debent, ac etiam exhibere, ita tamen, ut rationem non præveniat, sed quasi ancilla subsequatur. Corrigendus est qui peccat, et castigandus; sed sine ira. Si vir bonus irasci turpiter factis debet, omnis illi per iracundiam vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non videat improbanda? Deficiet, si toties à se iram, quoties causa poscet, exegerit. Placidus itaque et æquus errantibus, talem affectum erga illos habebit, qualem medicus erga phreneticos. Sicut non commoveris ob algores et fervores, qui à tempestalibus suas vices obeuntibus inducuntur: ita nec irasci debes propter injurias, quas improbi homines pro sua natura inferre solent. Ægri intemperantes sunt, in quibus nihil est sani. Satis acerba erga contumeliosum vindicta est, nullam petere ab eo vindictam. Ille lædit ut doleas; si tu non doles, ipse dolebit, videns ereptam sibi contumeliæ voluptatem; adeo fructus injuriæ in sensu et indignatione patientis positus est. Convitia, si irascare, agnita videntur;

spreta exolescunt. At turpe est, inquis, contemni, læsumque honorem non reparare. Imò turpe est timere contemni: non enim hoc timet, nisi qui contemni dignus est. Non respicit sapiens, quid homines turpe judicent; nihil illi turpe, nisi peccatum. Contemnor, ait, ab aliquo? Ipse viderit. Ego curabo, ne quid contemptu dignum agam, aut loquar. Odit me aliquis? Viderit. Ego omnibus ero placidus, et benignus. Sic invicta patientia, improborum malitiam superat et fatigat; Deumque imitatur, qui ignoscit, qui patientissimus est, et scelera nostra suis beneficiis vincit. Majoris animi est, non agnoscere injuriam, quàm ignoscere.

CAPUT VIII.

DE INVIDIA, ET ACEDIA. UTRIVSQUE DESCRIPTIO ET CURATIO.

1. Invidia sui vindex priùs in propria sævit viscera, quàm in proximi bona. Alia vitia ultrix pœna à tergo sequitur; huic etiam præire solet. Invidus enim alienam felicitatem suam facit tormentum, et de vicini pinguedine ipse macrescit. Simul peccat et plectitur, quem hæc pestis invasit. Cætera vitia certo alicui bono contraria sunt; hoc, omnium bonorum inimicum est, omnium rerum naturam pervertit. Adversatur divinæ bonitati, cui proprium est omnia bona sua communicare: adversatur statui Beatorum, qui aliorum felicitate, ut suâ, potiuntur: adversatur Christianæ charitati, quæ de bonis etiam

inimicorum lætatur: adversatur denique legi naturæ, quæ nos omnia bona nostra aliis etiam optare jubet. Sicut oculus eo morbo affectus, quem Ophthalmiam Medici vocant, splendidis omnibus offenditur: ita invidus aliorum virtute, et charitate cruciatur. Invidia dicitur; quia alterius excellentiam nimis videt.

2. Invidet Satan, sed hominibus, sociorum nemini: tu verò homo cum sis, hominibus invidet; quod nec Diabolus quidem facit. Hoc autem animi pusilli est, et proprio judicio se ad infima abjicientis; neque enim alteri invideres, nisi eum meliorem te, et superiorem arbitraberis. Vis invidiâ carere? Sperne hujus mundi fugacia bona, et dilige æterna. Amor æternitatis mors invidiæ est. Non potest mortalia bona aliis invidere, qui sola sempiterna concupiscit. Quis unquam Princeps sutori invidit, aut sarcinatori, artium suarum vilia servitia? Non se demittit ad hæc infima mens sublimioribus occupata. Nonne satis est propriis malis angî, quæ tam multa sunt, nisi et aliena bona te torqueant? Nunquam eris felix, si te cruciat felicior. An putas bona, quæ invidet, alteri erepta, ad te posse transferri? Habet proximus tuus divitias, floret scientiâ, supereminet dignitate. Hæc omnia tua erunt, si ipsum amaveris. Plurimis abundat bonis, qui amat aliena.

3. Jungo Invidiæ Acediam; quia utraque tristitia est: illa de alieno bono, hæc de proprio. Utraque ad pusillos spectat: nam *parvulum occidit Invidia* (1); et Acedia vitium est languentis animi,

(1) Job., v. 2.

bonorumque spiritualium tædio laborantis, qui rei magnitudine ac difficultate deterritus, nihil unquam homine dignum aggrediatur. *Vult, et non vult piger* (1); semper varius et inconstans, sibi gravis, aliis molestus, et continuo sui tædio pœnæ incubans suæ. Similis est trocho, qui in orbem quidem agitur, sed non progreditur; atque ita per flagri vim movetur, ut tamen semper insistat. Voluisse eum aliquid deprehendes, sed non fecisse. Omnis ejus operatio insipida, et instar repentis aquæ vomitum provocans, non hominibus tantum, sed et ipsi Deo. Frustrâ igitur salutem speras, nisi excusso tempore generosos assumas spiritus, et acrioribus stimulis ad magna te cogas. Ut avis ad volatum, ita homo nascitur ad laborem: et ut desint labores pro Deo assumpti, satis cuique pœnarum imponit mundus. Quantum ille laborat, ut divitias consequatur? Quantum ille patitur, ut ad optatam perveniat dignitatem? Magno vitia coluntur. Quod si fugacia bona tanto sudore mercaris; cur non parem adhibes diligentiam, ad felicissimam æternitatem comparandam? Ah! pudeat sequem esse in re tanti momenti. Brevissimus labor est; merces æterna. Nihil est tam arduum et tam difficile, quod mens humana, Deo duce, non vincat. Fortiter aude, et difficultatum spectra disparebunt. Quicquid sibi animus imperavit, obtinuit. Age quod potes; omnia poteris. Adjuvat facientem Deus.

(1) Prov., XIII, 4.

CAPUT IX.

DE SUPERBIA, AMBITIONE ET INANI GLORIA. ICON SUPERBI.
DIGNITATUM VANITAS, ET PERICULA. TUMORIS MALA, ET
ALEXIPHARMACA.

4. Superbia, ambitio, et inanis gloria cognata sunt vitia; è quibus, tanquam Oceano, omnium malorum flumina oriuntur. Nam cum sibi pro fine propriam excellentiam proposuit homo, huc omnia dirigit, spreto Dei cultu, neglectâ hominum reverentiâ. Et si illi aditus ad gloriam non patet, nisi per scelera; per scelera ad gloriam ibit: viamque sibi ad prætensum decus aperiet, per dolos, et fraudes, proximique ruinam, et cædem. Superbus, Deo odibilis, humano generi intolerabilis, omnia studia, et opera sua ad captandam hominum laudem inflectit. Se gradu potiori dignum putat, sibi que in illo maxime complacet. Majora viribus temerè aggreditur, omnibus negotiis se ultrò ingerit, se ipsum impudenter extollit, cæteros aspernatur. Callidè simulat humilitatem, ut a se removeat ambitionis suspicionem. De gradu dejectus, omnia querelis implet, suscitaturque rixas, et odia. Ergâ inferiores ferum se et truculentum exhibet: ergâ superiores assentator est, quovis mancipio timidior, et obsequentior. Bona, si quæ habet, non Deo, ut par est, sed sibi arroganter attribuit. Affectat in omnibus videri; deque rebus altissimis, quas ignorat, quasi ex propria experientia, subtiliter disserit. Aliorum

bonorumque spiritualium tædio laborantis, qui rei magnitudine ac difficultate deterritus, nihil unquam homine dignum aggrediatur. *Vult, et non vult piger* (1); semper varius et inconstans, sibi gravis, aliis molestus, et continuo sui tædio pœnæ incubans suæ. Similis est trocho, qui in orbem quidem agitur, sed non progreditur; atque ita per flagri vim movetur, ut tamen semper insistat. Voluisse eum aliquid deprehendes, sed non fecisse. Omnis ejus operatio insipida, et instar repentis aquæ vomitum provocans, non hominibus tantum, sed et ipsi Deo. Frustrâ igitur salutem speras, nisi excusso tempore generosos assumas spiritus, et acrioribus stimulis ad magna te cogas. Ut avis ad volatum, ita homo nascitur ad laborem: et ut desint labores pro Deo assumpti, satis cuique pœnarum imponit mundus. Quantum ille laborat, ut divitias consequatur? Quantum ille patitur, ut ad optatam perveniat dignitatem? Magno vitia coluntur. Quod si fugacia bona tanto sudore mercaris; cur non parem adhibes diligentiam, ad felicissimam æternitatem comparandam? Ah! pudeat sequem esse in re tanti momenti. Brevissimus labor est; merces æterna. Nihil est tam arduum et tam difficile, quod mens humana, Deo duce, non vincat. Fortiter aude, et difficultatum spectra disparebunt. Quicquid sibi animus imperavit, obtinuit. Age quod potes; omnia poteris. Adjuvat facientem Deus.

(1) Prov., XIII, 4.

CAPUT IX.

DE SUPERBIA, AMBITIONE ET INANI GLORIA. ICON SUPERBI.
DIGNITATUM VANITAS, ET PERICULA. TUMORIS MALA, ET
ALEXIPHARMACA.

4. Superbia, ambitio, et inanis gloria cognata sunt vitia; è quibus, tanquam Oceano, omnium malorum flumina oriuntur. Nam cum sibi pro fine propriam excellentiam proposuit homo, huc omnia dirigit, spreto Dei cultu, neglectâ hominum reverentiâ. Et si illi aditus ad gloriam non patet, nisi per scelera; per scelera ad gloriam ibit: viamque sibi ad prætensum decus aperiet, per dolos, et fraudes, proximique ruinam, et cædem. Superbus, Deo odibilis, humano generi intolerabilis, omnia studia, et opera sua ad captandam hominum laudem inflectit. Se gradu potiori dignum putat, sibi que in illo maxime complacet. Majora viribus temerè aggreditur, omnibus negotiis se ultrò ingerit, se ipsum impudenter extollit, cæteros aspernatur. Callidè simulat humilitatem, ut a se removeat ambitionis suspicionem. De gradu dejectus, omnia querelis implet, suscitaturque rixas, et odia. Ergâ inferiores ferum se et truculentum exhibet: ergâ superiores assentator est, quovis mancipio timidior, et obsequentior. Bona, si quæ habet, non Deo, ut par est, sed sibi arroganter attribuit. Affectat in omnibus videri; deque rebus altissimis, quas ignorat, quasi ex propria experientia, subtiliter disserit. Aliorum

facta curiose inquirat, temerè judicat, severè damnat: auget vitia, laudem imminuit. In sermone et incessu fastum quemdam præ se fert, aliorumque contemptum. Odit correctionem, respuit consilia, monitis non acquiescit. Bona sibi opinatur adesse, quibus caret: et quæ habet, nullò majora sibi fingit, quàm sint. Ideò indignatur, et ad pessima quæque flagitia se dejicit, si caeteris tanquàm dignior non præferatur, si se et sua negligi suspicetur. Fluctuat cor ejus perpetuis motibus; quia cum honor, quem cupit, in aliena sit potestate, necesse est illum turbidis affectibus continuò agitari. *Initium omnis peccati est superbia* (1).

2. Pone in statera, si sapis, et compara cum minima æternæ felicitatis particula, quæcumque tibi optanda in hoc sæculo videntur, regna, imperia, Orbem denique totum; excutiet illa suo pondere mundum universum cum pompis suis, tanquàm folium, quod vento rapitur. Erige te ergò ad æterna; et te dignum fac cælo, cui natus es. Excute superbas tuæ excellentiæ cogitationes et te veris bonis metire. Si te Cæsar adoptasset in filium, quis ferret supercilium tuum? Nunc autem Dei filius es, Christi sanguine redemptus. Cur non cogitas originem tuam? cur te abjicis ad terrena, tuo genere prorsus indigna? Ad cæli et siderum dominatum te vocat Pater: ad possessionem semper duraturam. Hic ingentes sume animos; hac promissione extollere, ab hoc Patre nobilitatem tuam jacta, ad ejus similitudinem mores tuos compone. Hæc est via, quæ ad veram gloriam perducit.

(1) Ecdl., x, 15.

3. Quid sunt sceptrà, quid coronæ? Fulgidæ compedes, et clara miseria; quæ si plenè hominibus nota esset, nunquàm de solio litigarent. Plura essent regna, quàm reges. Magna servitus est, magna fortuna. Isti, quos vulgus beatos censet, longè aliter de se sentiunt: nam gravior ipsis incumbit felicitas, quæ graves illos populo reddit. Tunc laudant otium læne, et sui juris. Tunc odio est illis fulgor, quem priùs admirabantur. Tunc attoniti et tremantes de terrenorum vanitate philosophantur. Tunc mortem formidant, et tremendum Dei judicium: antè cujus conspectum nihil proderit tanto studio quæsita dignitas, tot parva sudoribus, et empta sanguine. Sic igitur vive, ut securum te inveniat illud tribunal. Qui nunc humiliatur, tunc exaltabitur.

4. Insanis, si te putas adeptà dignitate securum, et quietum fore. Quod olim licuit, jam non licebit: minor licentia in magnis est. Quò altior fueris, eò magis vitia tua apparebunt. Non latet qui in fastigio est. Si qua tibi olim tranquillitas fuit, jam periit. Nullum tibi secretum liberum erit: nullum poteris diem ex arbitrio tuo disponere. Magni sunt ex alto casus. Frustrà requiem ibi quæris, ubi omnes periculum, et laborem, multi miserum vitæ exitum, invenerunt. Non capiunt securas dapes regiæ mensæ. Auro et gemmis bibuntur toxica. Quot Reges proprio sanguine solium purpurârunt? Lubicra in summo statio est; pendula omnia, et præcipitatio proxima. Tutius itur per plana. Quàm magnus admirantium, et plaudentium numerus, tam magnus inventium est. Quanti ibi insidian-

tium acervi, et oppugnantium? quàm intuta omnia, et suspecta; non servis fides, non amicis, non filio, non fratri. At humi jacentem domum non intrant scelera. Securus vivit qui latet. Nullum timet, quem nemo timet.

5. Si equum videres, aut canem, inter cætera suæ speciei individua principatum assumere; numquid risum cohibere posses? Tu verò majori cachinno dignus es, si super reliquos homines te extollis, quòd ditior aliis, seu potentior sis. *Quid superbit terra et cinis* (1)? Nemo efferi potest nisi ex proprio bono. Quid est autem tuum bonum si omnia à Deo accepisti? Nihil tuum nisi peccatum. Quod si omnia accepisti, illi redde gloriam, qui tibi bona sua largitus est. Numquid equus equo præfertur, quia multum pabuli habet, et multum hordei; quia frænum aureum, et gemmata ephippia? Nequaquam; sed qui celerior est, alium antecellit. Ita homo, ni stultus sit, gloriam ex eo non quæret, quod est extrâ se. Sed melior, inquis, sum, et nobilior cæteris. Si hoc dicis, omni honore indignus es; quia nemo dignè honoratur, nisi vir bonus, qui honorem spernit et gloriam. Vera nobilitas nescit extolli; et ubi vitæ splendor est, ibi quoque modestia reperitur. Maxima sublimium gloria est, quàm maximè se submittere.

6. Cognosce conditionis tuæ imbecillitatem, metire corpusculum tuum: multa reperies in te, ob quæ deprimi debeas; nihil, quo possis extolli. Noli Geometras et Philosophos spernere: omnis terra punctum est. Quàm miserè desipis, si regna in

(1) Eccell., x, 9.

puncto statuis, et dividis dominationes. In parvo nemo magnus. Hæc terra, quam tumido incesso premis, mox te premet: nec ampliùs ea possidebis, quàm frigidis et putrescentibus membris occupabis. I nunc, et in hoc nihilo magna et immortalia ædifica. Hic furores tuos, hic elatam exercere insolentiam. Dilata hic cupiditates tuas; hic acies, hic bella molire. Cùm multum insanieris, serò tandem cognosces, quàm vana dignitatum nomina, quàm fallaces honorum tituli fuerint. Vitreum est, quicquid hic lucet: dum splendet, frangitur. Magnæ arbores diu crescut; unâ horâ extirpantur.

7. Magnum superbiæ irritamentum præcidisti, si lateas. Nemo oculis suis lautus est, nec paucorum quidem et familiarium: sed apparatus vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Quis eam, quàm nulli ostenderet, induit purpuram? Quis posuit secretam in auro dapem? Quis sub umbra rusticæ arboris luxuriæ suæ pompam solus explicuit? Ambitio scenam desiderat, nec ullibi potentiùs vires suas exerit, quàm inter hominum laudes. Apis si mel fecit, equus si ecurrit, arbor si fructum protulit, nihil ultrâ quærunt: homo plausum desiderat, digitoque monstrari, et dici: Hic est. Sed si attentius consideraveris, qui sint isti, à quibus optas laudari; nihil facilius, quàm vulgi plausum, contemnes. Homines vani, et mutabiles sunt; quos sæpè dicis insanire, qui se omni hora amentiaè damnant, et sua sæpè reprobant consilia. Brevis vita est et laudantis; et ejus qui laudatur, fitque id in angulo terræ, quæ punctum est: ac ne ibi quidem omnes consentiunt; nec quispiam

sibi ipsi. At magnum est, laudari à posteritate : ab his nimirum, quos neque vidisti, nec unquam videbis. Cur non doles, te non fuisse laudatum ab his, qui ætatem tuam antecesserunt? Sed finge, immortales eos fore qui tui recordabuntur, tuique futuram immortalem memoriam : quid hoc tibi mortuo proderit? quid prodest vivo? Sæpè laudaris ubi non es, et cruciaris ubi es. Pretium cujusque rei in ipsa est : nec melior fit, si laudetur; nec deterior, si laude careat. An sol, si desint spectatores, de luce quidpiam amittit? An carebit dulcedine ficus, flos venustate, gemma nitore, nisi encomiis celebrentur? Magnum argumentum est animi ab altiori sede venientis, laudes hominum aspernari, et seipso contentum esse. Laudes perdis, si desideras : nam quid laudabile in te est? quanta est fragilitas tua, quanta miseria, quanta salutis tuæ incertitudo? Servus inutilis es, etsi omnia feceris, quæ præstare teneris. Quâ verò fronte audebis dicere, te omnia fecisse quæ debes? Time igitur, ne intus non sis, quod foris diceris; et cave, ne ea laudentur in te, ob quæ ipse displices tibi. Redde Deo, quæ ab ipso habes, esse, vivere, intelligere : nihil supererit tibi nisi peccatum. Nihil ergo cum sis, de nihilo gloriari non potes. Incipies esse aliquid, cum te nihil esse cognosces.

CAPUT X.

DE TOTIUS CORPORIS, SENSUUMQUE EXTERIORUM MODERATIONE. QUANTUM CORPORI INDULGENDUM. CASTIGANDA OCULORUM LICENTIA. VESTIUM LUXUS DAMNATUR.

1. Hanc sanam et salubrem vitæ formam teneto, ut corpori tantum tribuas, quantum valetudini satis est. Durius tractandum; ne animo malè pareat. Indulgendum illi, non serviendum. Cibum famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus injurias temporum : ad alia, quæ inutilis labor, veluti ad ornamentum adjecit, subsiste pavidus, et time; his enim insidiae adversus animam parantur. Omne honestum vile est ei, cui nimis carum est corpus qui pro illo nimium timet. Major es, et ad majora genitus, quàm ut sis vile mancipium corporis tui; quod equidem non aliter respicere debes, quàm ut vinculum animi, et libertatis. Vir probus et sapiens ejus curam habet : non, tanquam propter ipsam vivat; sed quia sine illo non potest. Corpus instrumentum est animæ. Quis autem artifex, neglectâ arte, in curandis instrumentis tempus terit? Hebetis ingenii est, circâ corporis ministeria occupari. ®

2. Quia per sensuum fenestras mors in animam ingreditur; stude illos à terrena vita ad celestem traducere : eosque sensim abducito à nimia operis, quod exercent, attentione, ne se avidius rerum terrenarum delectationibus immergant. Servire sen-

sus debent, non imperare. Oculorum imprimis castiganda licentia : nam cum celerrime videant, rerumque plurimarum imagines ad phantasiam, et inde ad mentem transmittant; gravium peccatorum semina in appetitu excitant, nisi firmam custodiam muniantur. Si exterioris oculi rectitudinem interioris puritas comitetur, Dei vestigia ubique impressa reperies : et cum Deum in creaturis venerari didiceris, ex his suaviter attolles animum ad divinam Majestatis contemplationem. Mulier compta, elaborata luxuria est : nunquam in ea ligas obtutum ; quia peribis. Comedias, choreas, torneamenta, theatrales ludos ne spectes : dissipant enim mentem, et ludicris occupant curis, ut se ad cœlum erigere nequeat. Ubi errat oculus, errat affectus.

3. Auditus, sensus est disciplinæ per quem notio veritatis et sapientiæ, quasi per januam, mentem ingreditur. Sepi itaque aures providam circumspectionem : ne pro veritate mendacium, pro sapientiâ stultitiâ in penetralia cordis irrumpant. Claude illa oblocutionibus ; claude susurris, claude nugis et rumoribus, claude otiosis narrationibus ; omnique rei, quæ nihil ad animæ profectum confert. Sicut qui audit symphoniam, fert secum in auribus modulationem illam, et dulcedinem cantûs, etiam cum discessit : ita malus sermo, quamvis non statim officiat, semina tamen in animo relinquit, quæ diutius hærent, et ex intervallo recurrunt. Deum intus loquentem eò frequentius audies, quò rarius homines audieris. Omnia odoramenta arte confecta effeminatorum sunt, et malè olentium. Ideò, rejecto omni odore, fac ut bonis moribus suavissimam

virtutum fragrantiam redoleas. Gustum verò castigabis abstinentiâ, et sobrietate ; Tactum ciliçis, verberibus, duriori strato, aliisque asperitatibus. Satius est corpus affligere, et servare, quàm noxiis blanditiis et ipsum et animam perdere in æternum.

4. Cum ex habitu cultuque corporis internus animi status palam fiat ; ea procul à te sint, quæ solent indicium esse animi pravi et perturbati. Qui olim sapientes inter Ethnicos dicebantur, nec digitum quidem sine ratione exerere viro probo miserunt. Tantam à te rectitudinem non exigo, sed opto : idque edico, ut abstineas à risu, à scurrilitate, à dissoluti hominis licentia, à manuum gesticulatione, à præpropere incessu. Ut nihil in te appareat, quod possit offendere intuentes : non sordes vestium, non frontis rugæ, non motus incompositi, non signa contemptus, seu animi abalienati, non quicquid nauseam, vel fastidium parit. Multa possunt honestè fieri, quæ non possunt honestè videri.

5. Homo nudus creatus est et non erubescerebat ; non enim poterat rubore eum afficere nuditas ignorata. Postquam verò peccavit, abjectâ innocentie chlamyde, quæ satis eum tegebat, externa vestis pudori velando necessaria fuit. Sed quod olim in pœnam irrogatum fuit, nunc in dignitatis prærogativam transivit. Quæruatur vestimenta ; non quæ tegant, sed quæ ornent, quæ alienis oculis ac libidini placeant. Index animi vestis est. Nimia ejus accuratio, totusque vultus de speculo et capsula, muliebris ingenii est. Pudebit cultus exterioris, si cogitaveris quid eo legatur. Qui habet intus ornamenta virtutum, non quærit ex-

terna. Ostentari virtus sine fuce gaudet : quicquid addideris, minus est illa. Vanus hominum error est, fulgere purpurâ, mentis sordescere. Quidam se catenis onerant; sed quia aureæ sunt, infamiam servitatis non metuunt. Aliquos non ligat aurum, sed figit: nam per vulnera infigitur auribus, è quibus sæpè patrimonia pendent; et quæ olim pœnarum nomina, nunc ambitionis sunt. Non paucos videbis inter pectinem et speculum diu occupatos, qui magis solliciti de capitis sui decore sunt, quàm de salute. Ita prævaluerunt stultorum hominum depravata judicia, ut se rebus ornari putent, quas calcare deberent. Sit igitur vestis tua artis expertus; non ad pompam, sed ad necessitatem, infra fastum, supra sordes, et ad vitæ conditionem temperata. Auro te licet et margaritis exornes, sine Christi decore deformis es. Hic est decor, qui semper manet; qui non carnem morituram, sed te ipsum intus exornat. Insana ambitio est, fimum tegere auro.

CAPUT XI.

DE CUSTODIA LINGUÆ. QUANTI MOMENTI SIT, ET QUAM DIFFICILIS. QUID IN SERMONE SERVANDUM; QUID VITANDUM. QUALITER TOLERANDA VITIOSA ALIORUM LINGUA.

1. Tanti momenti est custodire linguam, ut majori cura servanda sit, quàm pupilla oculi; quia *mors et vita in manu linguæ* (1). Qui eam cohi-

(1) Prov., XVIII, 21.

bere nequit, urbi patenti absque murorum ambitu comparatur. Vix tamen domari potest sine speciali Dei auxilio. Domat homo leonem, domat taurum, domat ursum, et non domat linguam suam. Innata est enim naturæ humanæ loquacitas; ut quod cupit et concipit, statim proloqui gestiat. Tam lingua vicina est cerebro, os phantasæ; ut quod illa cogitat, mox derivet ad os, et in verba effluat. Docuit te natura, quàm sit necessaria linguæ custodia, cum duplex ei munimentum objecerit, dentium et labiorum. Sicut autem odor unguenti, pyxidis ore non obstructo, evanescit; ita patente oris januâ, omnis animi vigor dissipatur. Malè sibi attendit, qui linguæ jugiter non attendit.

2. In omni locutione cautus esto, illam comprimens immoderatam affectionem, quâ plerique impelluntur, ad sententiam vix conceptam temerè effutiendam, sine examine et delectu. Fuge duplicitatem, et simulationem; sensusque animi, absque involucre et ambiguitate, purissimè profer. Data est tibi à Deo loquendi facultas, ut eâ res, sicuti sunt, verè et candidè enunties. Locuturus, ipse te consule, an ulla in te exæstuet affectio immoderata; nec quidquam linguæ permittas, donec commotio cesset: alioquin plura effundes, quæ te postea dixisse pœnitebit. Facile silebis, si nulli perturbationum clamores in corde perstrepant: si fuerit in anima solitudo et serenitas. Non potest esse alius sermoni, alius animo color. Si mens sana est, si temperans, si composita: sermo quoque siccus ac sobrius erit. Eâ vitiatâ, hic quoque afflatur. Cujus notæ quisque sit, indicium oratio est.

3. Nullus sit sermo otiosus. Sicut eligis, quo vescaris; sic elige, quod loquaris. Cibum, per os ingressurum, examinas; cur non verbum egressurum, quod sæpè in domo tua graviore tragœdias excitat, quàm cibus in tuo stomacho? Assuesce plurimum tecum, minimum cum aliis loqui. Viros sapientes sæpè pœnituit, locutos fuisse; nunquàm verò, tacuisse. Animalia, quæ sapientiora censentur, parùm quoque vocalia sunt. Garrulitas vitium puerorum, et mulierum est, quibus minus rationis inest. Nihil virtutis in eo est, è cuius ore non nisi vana et inutilia prodeunt. Si Deum amares, si tuæ salutis studiosus fores, omnia colloquia tua de Deo essent, de virtute, et perfectione. Nescit amor mentiri; regi non potest. Profunditur quisque in ea, quæ amat; et quæ latent in mente, frequentius ad linguam recurrunt. Ideò minùs libenter de rebus divinis loqueris; quia nondum è fœce vitiorum emersisti. Accedit exigua lectio, et meditatio eorum, quæ pertinent ad salutem; ut etiam loqui volentem materia deficiat. *Ex abundantia enim cordis os loquitur* (1).

4. Omnis ferè sermocinatio in congressu hominum, de aliorum vita, moribus, et studiis est. Tot quisque iudices habet, quot sunt capita in civitate. Vix ullus est, qui oculos domi habeat. Cæcutimus plerique in propriis vitiiis discernendis, ergà aliena acutissimi. Convitia in proximum plenis valvis admittimus; laudibus vix rimæ patent. Hoc vitium quò communius est, eò studiosius vitandum. Satis tibi negotii cum vitiiis tuis: ea carpe et emenda.

(1) Luc., vi, 45.

Arcana tua, sive aliorum, quæ celare ex officio debes, nemini evulges. Plerosque contigit in perplexas incidisse quæstiones, quod imprudenter, quibus non oportuit, secreta crediderint. Sive uni, sive pluribus dixeris, idem est. Facile sermo ab uno ad alterum effluit: ab hoc ad omnes. Oritur hæc facilitas ex hoc præcipuè, quòd cum plus justo protrahitur sermo, sensim irrepit dulcedo quædam confabulationis, non aliter afficiens animum quàm ebrietas: quare nullum secretum tam abditum et sacrum est, quod non erumpat. Ille tibi arcana sua aperit; tu, veluti pignore fidei accepto, tua vicissim illi communicas. Sed tu forsitan audita retices; ille obvio cuique refert: et cum omnes palàm ignorent, clam sciunt. Linguas dices per omnium aures secretò volitare, donec tandem arcanum superfluit, et rumor sit. Quidquid mali sub cœlo est, aut lingua peperit, aut promovit. Ideò verbis tuis stateram fac, et frænum ori tuo; nihilque loquaris, quòd tacuisse melius sit. Laudabilior est verborum parcimonia, quàm pecuniæ. Qui nummos prodigit, dum sibi nocet, aliis prodest; verborum prodigus, et sibi nocet, et aliis. Ad divinitatem propius accedit, qui multa audire scit, et pauca loqui.

5. Nihil linguæ inaccessum. Non sunt immunes à criminationibus Principes terræ, quos extrà ferri metum potentiam collocavit: non viri sanctitate conspicui, quos censuræ subdidit innocentia. Ipse Christus, cum inter homines degeret, linguæ flagellum non evasit. Ad horum exempla erige patientiam tuam. Stimulus quidam virtutis est obtrec-

tatio, et frænum ne à recto tramite devies. Nullus capitalior vitiorum hostis, quàm censura. Cùm quis perperam de te loquitur, doceris quid caveas. Vis venenatæ linguæ morsus evadere? contemne. Nullum vulnus habebis, si tacueris, plus tribuens bonorum iudicio, quàm criminantis insolentia. Parùm refert, quid alii de te sentiant. Est intus in animâ testis certior, et incorruptior. Conscientiam tuam interroga, et illi crede. Quid turpius, quàm ab insipientium sermone pendere, et propriam existimationem in aliorum iudiciis reponere? Quicquid alii de te dicant, te oportet bonum esse: haud aliter, quàm si aurum vel smaragdus dicerent: Quicquid alii dicant, me aurum esse, me smaragdum oportet, et colorem meum servare. Si quis dulci ac limido fonti convitium faciat, an propterea cessabit puram aquam scaturire? Et si quis lutum injiciat, nonne statim eluet ac dissipabit? Ità nec tu tranquillum animi statum turbare debes, etsi mali te lacerent, et calumniantur. Exigua sui æstimationo est, ad omnem rumorem commoveri. Pueri os parentum feriunt, matris crines turbavit infans, momordit ubera, laceravit genas, et sputo aspersit: et nihil horum contumeliam dicimus; quia qui fecit, contemnere minimè potest. Quem itaque animum habent parentes adversus pueros, eundem habe adversus eos, qui te calumniantur. Si te semel eò demiseris, ut injuriâ movearis, eum qui fecit honorabis. Necesse est enim, ut ab eò suspici gaudeas, à quo contemni molestè fers. Hoc autem est vitium animi contrahentis se, et descendentis. Infelix semper eris, si te putas posse contemni.

CAPUT XII.

DE SENSIBUS INTERNIS. USUS OPINIONUM. BONIS COGITATIONIBUS MENS IMBUENDA. DE COERCENDO APPETITU SENSITIVO EJUSQUE PRAVIS AFFECTIONIBUS. VARIE AD ID PRÆCEPTIONES.

4. In hoc præcipuus sapientiæ cardo vertitur, ut nulla opinio menti tuæ inseratur, quæ vel naturæ vel rationi inconsequens sit. Quare, omnibus rejectis, adversus phantasiæ motus exerceri debes, sicut Dialectici adversus sophisticas captiones. Obiit filius. Non est hoc in nostra potestate; malum non est. Pater illum exhæredavit. Et hoc cùm arbitrii nostri non sit, malum non est. At rem illam ægrè tulit. Hoc nostri arbitrii est; idèò malum. Fortiter tulit. Nostri arbitrii est et bonum. His si assueveris, proficies. Amicus in carcerem ductus est. Quid accidit? nihil, nisi quod in carcerem ductus est. De suo autem quisque addit: malè cum illo actum esse. Corrige opinionem, et omnia tranquilla sunt. Sicut furiosum ligamus ne cui noceat: ita coercenda phantasia, ne falsis opinionibus obruat mentem. Hæc tanquàm fera indomita proripit sese, et quocunque libuerit per summam licentiam divagatur, garrula, fugax, quietis impatiens, novitate rerum lætissima, nec agnoscens moderationem. Huic igitur studio sedulam operam navare debes, ut eam teneas et alliges, ac in uno figas; ne cogitationes tuæ, animique decreta sem-

per ex opinione suspensa sint. Quæcunque sunt extra animum tuum, nihil pertinent ad te.

2. Quicquid se tibi cogitandum offert, examina diligenter; quò tecum ipse disserere possis, quæ sit ejus rei nudæ, et ab omnibus aliis separatæ natura, quæ proprietates, quis finis, quæ circumstantiæ, quæ utilitas: an ad te spectet, sitque in tua potestate, necne: alioquin nullam ei accessum præbeas, eique repugna; quantum potes. Deus intimè præsens occultissima cordis tui clarissimè perspicit, nihilque tam abditum est, quod oculis ejus pervium non sit. Vide, ne coram ipso ea volvas in mente, quæ coram honesto viro loqui erubesceres. Sint cogitationes tuæ placidæ, simplices, puræ, omnisque malitiæ expertes. Tales sint, ut subito interrogatus quid cogites, possis sine pudore palàm facere quod intùs latet in corde. Pudeat cogitare, quod pudet loqui. Malis cogitationibus aditum obstrues, si bonis semper occuperis.

3. Nihil æquè noxium animæ, nihil magis contrarium, quàm inferior, brutalis, et sensitivus appetitus. Hic fons est omnium scelerum, et imperfectionum: hic hostis, quem semper timere, semper impugnare debes, donec rationis imperio, quantum in hac vita fieri potest, subjiciatur. Nulla hic requies, nullum otium datur. Sine fine, et sine modo pugnandum; quia nec finem, nec modum adversarius habet. Latet hic intrà te: imò tu ipse tibi hostis es, potentiôr quàm Xercis exercitus. Custodi à te ipso animam tuam. Fortius est te invadere, quàm urbes, tui potiri, quàm rerum. Non exigo ut pravas affectiones omninò conteras, et ad nihilum

redigas; sed ut eas regere discas. Satis præstiterit ratio, si eas compescat et moderetur. Iniqui fuère Stoici, qui omnes affectus tanquàm malos infamârunt. Mala non est, nec supervacua suppellex naturæ. Tollit omnem virtutem, qui omnes tollit affectiones. Nullæ sunt victoriæ, ubi nullum certamen.

4. Difficilis sanè hæc lucta est, et prælium anceps: affectus enim nascuntur nobiscum; et ratio multis post annis subsequitur, quando illi jam dominantur, et voluntas sine repugnantia eis paret, specie boni inaniter delusa: donec ratio, successu temporis et experienciâ, instauratis viribus suum agnoscat dominandi jus, et affectuum tyrannidi obstistere incipiat, et primi quidem naturæ motus inemendabiles sunt; sed attendere tibi ipsi summâ vigiliantia debes; et cum primùm te perturbari animadvertis, tunc ratione, quasi fræno, eam commotionem coercere. Facilius est initiis resistere, quàm impetum gubernare. Brevi tempore ad magnam animi tranquillitatem pervenies, si casus omnes circumspexeris, antequam eveniant, ut te paratum hostis aggrediatur. Serò animus ad remedia post pericula instruitur. Tum pauca agere, et loqui discas: nam si ex his, quæ plurima loqueris et facis, ea tollas quæ necessaria non sunt; potiores senties animi perturbationes. Neque dicas: hoc parum est, hoc nihil refert. Maximum enim est, licèt minimum videatur, quod est initium virtutis et perfectionis.

5. Homo vetus à peccatoris Adæ infecto semine trahens originem, si quasi quædam arbor consideretur, habet pro radice amorem sui, pro trunco propensionem ad malum, pro ramis perturbationes,

pro foliis vitosos habitus, pro fructibus opera, verba, et cogitationes, quæ divinæ legi adversantur. Ne igitur rami pravarum affectionum in folia et fructus erumpant, pone securim ad radicem, et pessimum tui ipsius amorem extirpa. Si hunc sustuleris, omnem inferioris appetitûs vitiosam sobolem unico ictu excidisti. Tolles autem et eradicabis, si te ipsum spreveris: si verò credideris, te unum esse ex millibus, nullâ dote singulari præditum, omnique scientiâ et virtute destitutum: si displicere hominibus, et ab illis sperni non metuas: si omni solatio et commodo libenter careas. Servabis te, si benè oderis: perdes, si malè amaveris.

CAPUT XIII.

DE AMORE. QUÆ SIT EIUS NATURA. QUÆ CAUSE, QUI EFFECTUS. DE EIUSDEM REMEDIIS. ADDITA QUÆDAM DE ODIO.

1. Amor, complacentia boni est; illa, scilicet, prima impressio, quâ afficitur appetitus, dum bonum cognitum ei placet. Hoc cohæret universus Orbis; eoque subactò, qui primum inter effectus locum tenet, facilè reliqua turba debellabitur. Bonus amor illuc tendit, undè sumpsit originem: ad bonum accedit; quia à summo bono procedit. Discute vitam tuam, et in statera districti examinis appende cor tuum. Observa quis in eo prævaleat amor: id enim quod in lance dilectionis præponderat, hoc tibi Deus est, hoc idolum quod colis. Ideò præcepit

Deus, ut eum toto corde diligeres, præoccupare cupiens tuæ mentis affectus; quia quod diligis ex toto corde, hoc tanquam Deum adoras.

2. Impellunt ad amandum præter bonitatem et pulchritudinem, sympathia quædam, et convenientia morum et animorum: modestia item exterior, industria, nobilitas, doctrina, ingenii perspicacia, et alia ejusdem generis, corporis et animi ornamenta. Ipse amor magnes amoris est; cui si accedant beneficia, jam cogitur dilectionem rependere, qui nolebat impendere: sunt et quædam naturaliter ad amandum provocantia; nam quibus spiritus lucidiores sunt, cor calidius, subtilior sanguis, quique sunt facili ac miti naturâ, ad amorem sunt procliviores.

3. Magna est amoris potentia: in rem amatam transformatur amantem. Quidam sui exitus amor est, quædam à se peregrinatio, quædam spontanea mors. A se abest omnis, qui amat; nihil cogitat de se, nihil providet, nihil agit: et nisi ab amato suscipiatur, nullibi est. O quam infeliciter amat, qui Deum non amat! Non enim potest in amato esse, qui diligit terrena, quæ animam satiare nequeunt; cum sint finita, et vanitati et morti subjecta. Qui verò Deum diligit, in Deo est; et desinens vivere in se, in eo vivit, in quo omnia vivunt, qui est centrum nostrum, et incommutabile bonum. Amor humanus violentus, et amarus est, divinus semper humilis, et tranquillus; illum cruciat zelotypia, in hoc nulla rivalitas est: ille timet, ne alius amet; hic optat, ut omnes ament. Ergo si te amas, Deum ama: nam quod ames, prodest tibi, non illi. Homo mutari

potest, et perire: Deum nunquam amittis, nisi dimittis.

4. Ut amor, quo socium fortè prosequeris, sincerus sit, omnes ab eo humanas causas ingenii, jucunditatis, similitudinis remove, et illas dumtaxat quære, quæ in pietate et sanctitate consistunt. Pernicies virtutis est amor, quem Platonicum vocant, quo à formæ corporalis aspectu animam erigi fingunt ad divinæ pulchritudinis considerationem. Formosæ faciei obtutus ad tangendi concupiscentiam excitat; et quod per oculos exit, sive lumen sit, sive fluxus quidam, hominem colliquescit et perdit. Melius est labi pedibus, quàm oculis. Sunt autem difficillima amoris remedia: quia castigatus magis promit; et nisi obstes principiis, ita sensim irrepit, ut te priùs amare sentias, quàm instituas de amando consilium. Sed si omninò initiis repugnes, facilis curatio erit. Aliis quoque rebus occupanda mens, quæ curas ingerant, et memoriam rei amatæ dimoveant. Tum vitanda omnis admonitio dilecti corporis: quia nihil faciliùs recrudescit quàm amor; qui si semel te invaserit, adeò pertinaciter vexabit, ut non nisi lento remedio temporis, et absentiae submoveri queat, donec, scilicet, lassus expiret. Multos curavit pudor, dum se digito signari, vulgique fabulam fieri doluerunt; et rei fœditatem plenam dedocere, plenam periculis, et pœnitentiæ obnoxiam considerârunt. Aliis profuit attentè disquirere mala et incommoda rei amatæ, quæ ejus decorem et amabilitatem imminuerent. Demùm juvabit, amorem ad Deum, ad virtutem, ad æterna præmia, ad ea nimirum, quæ verè amabilia sunt,

convertere: ut bonus amor malum pellat amorem, et mens hominis generosa vilissimo terræ amore sordescere erubescat. Mali amores, bonos mores inficiunt.

5. Omnia colligavit natura amatoriâ quâdam catenâ. Hæc cogit et copulat stellarum choreas in cœlo, volucrum examina in aère, armenta boum in pratis, greges pecudum in montibus, turmas ferarum in sylvis. Sacer autem hic nexus à solo rumplitur odio: ut enim amor ad unionem, ita odium ad divisionem et dissensionem tendit. Huic affectui facilè subjacent ignavi, timidi, et suspiciosi, qui undecunq̄e damnum metunt. Sunt et quidam homines ita nati, ut oderint omnes, qui tanquàm diræ alites tenebras quoque suas exosas habent. Si quis hujus notæ occurrerit tibi, non odio illum, sed miseratione prosequere. Sicut in palæstra caves à collusore placidè et sine ira: ita in omni vita ab eo sine odio declina, qui tibi contrarius est. Odium verò compesces excitando animum ad amorem, per considerationem alicujus boni in eo, quod odio habetur. Nullus in te odio locus erit, si omnia in bonum interpreteris. Tum applicandum est odium ad ea, quæ verè illud merentur; quæ sunt deformitas peccati, et æterna damnatio. Si ad alia ipsum vertis, non rem quam odisti, sed te ipsum lædis, et perdis. Nam si etiam inimicos juberis diligere, quem debes odisse? Abeundum est tibi extrâ rerum municipium, ut invenias quem odisse liceat. Extrâ rerum naturam malum est, in quod solùm justè exerceri odium potest. Quod si hominem odisse debes, neminem ita ut te: nemo enim tantum tibi nocuit quantum tu ipse.

CAPUT XIV.

DE DESIDERIO, ET FUGA. QUID DESIDERANDUM, QUID FUGIENDUM SIT.

1. Felix est qui subjectus est Deo, qui nihil impense desiderat, qui se rebus accommodat, qui dicit: Vult me Deus incolumem esse; vult me ægrotare; vult me divitem, vel pauperem: vult me hinc migrare, vel hic morari; Ad utrumque paratus sum. Si semel dixeris, Quando illuc ibo? Quando illud habebō? miser eris. Nam si id concupiscis, quod extrā te est, perpetuā anxietate cruciaberis; et, tanquam in orbiculari machinā, semper sequeris, nunquam assequeris. In tua potestate sunt opinionones, cogitationes, affectiones, et quælibet actiones tuæ: extrā eam corpus, divitiæ, gloria, dignitates, et quicquid ipse non agis. Illa nec prohiberi ab aliquo, nec impediri possunt, hæc aliena sunt, et impedimentis obnoxia: quare ea omninō non appetes; vel ita saltem, ut scias ab aliorum arbitrio pendere, et diu tecum esse non posse, quia sic exigit eorum conditio. Nulla res externa desiderabilis est: *præterit enim figura hujus mundi* (1). Etsi omnia votis respondeant, quicquid habueris, dolens et invitus in morte relinques. Intrō respice: intus est fons boni, semper scaturiens, si semper fodias.

2. In hoc uno posita fuit quorundam veterum

(1) 1. Cor., vii, 31.

Philosophorum sapientia, qui fortunæ imperio exempti, inter ipsos corporis acerrimos cruciatus, litem beatis mentibus de felicitate movebant. Nam cum terminos potestatis homini à Deo concessæ contemplarentur, sibi planè persuadebant, nihil præter affectiones et cogitationes suas ad se pertinere. Ideoque tam absolutum in eas imperium hujus meditationis usu acquirebant, atque ita animi motus regebant, ut, non sine aliquâ ratione, se solos divites, solos potentes, solos felices jactarent. Assidua autem exercitatio necessaria est, ut res extrā te positas, tanquam nihil ad te spectantes, spernere discas. Id si fueris assequutus, nunquam doleris externa tibi deesse: sicut non doles, quod rex Tartarorum non sis, aut quod alis careas ad volandum. Quæ extrā nos, nihil ad nos.

2. Hoc fræno coercenda sunt desideria, quibus si modum non imponas, nunquam explebitur inexplebilis animus; et quicquid illi congresseris, non erit finis cupiditatis, sed gradus, et irritatio. Nullus humor sufficit ei, cujus viscera ardenti æstu laborant: non enim sitis illa, sed morbus est. Ita accidit illis, qui desideria sua non ad rationem revocant cujus certi sunt fines; sed ad vitium et luxum, quorum immensum est et incomprehensibile arbitrium. Nulla incommoda senties, nec quidpiam tibi deerit quod desideres, si te intrā naturalem modum continebis: si modum excesseris, etiam in summis opibus pauper eris. Cupiditati nihil est satis, naturæ pauca sufficiunt.

4. Memento sic in vita versandum esse, ut in convivio. Si quæ epulæ circumferantur, et ad te

pervenerint, manu modestè extentâ partem accipito. Si te prætereat qui fert, ne eum detine. Si nondum pervenerit : ne longè appetitum extendas, sed expecta donec accedat. Sic erga divitias, erga dignitates, et reliqua quæ extrâ sunt, si affectus fueris, dignus eris Sanctorum convivio, eaque animi securitate fruëris, quæ te omnibus casibus superiorem faciet. Quod si ea quæ oblata fuerint despexeris et recusaveris, non solum conviva Sanctorum, sed consors eris felicitatis eorum, eamque incipies prægustare in terra, quâ illi in cælo perfruuntur. Arbitrio tuo potes te beatum facere, si nihil desideres, quod extrâ te sit. Quis est beatus? qui habet quicquid vult. Habet autem quicquid vult, qui non vult nisi quod potest.

5. Multa fugimus, et abominamur tanquàm noxia et adversa, quæ reverâ utilia sunt. Fit enim plerumque, ut spiritui plurimum prosint, quæ appetitui adversantur. Quæ nocent, docent. Mors, exilium, paupertas, ignominia, labor, ægrotudo, et cætera ejusdem generis, quæ in tua potestate non sunt, nec mala sunt, nec pertinent ad te. His itaque non fugam, non abominationem opponere debes, sed conceptæ de illis opinionis neglectum. Hæc omnia Socrates larvas appositè nuncupabat. Nam ut pueris larvæ incutiunt metum, cum nihil in illis præter externam speciem horribile sit; ita in rebus contingit, quas non ut sunt, sed ut apparent, apprehendere soles. Mors quid est? Larva. Vide quàm dulcis fuerit non solum sanctis, et eximiâ virtute præditis viris, sed Socrati, et aliis sapientibus Ethnicis. Quid igitur terribile est in morte? Opinio.

Timor mortis est horribilis, non ipsa mors. Idem in aliis rebus, quas soles abominari, deprehendes. Corrige opinionem, et nihil invenies, quod debeas abominari, præter peccatum.

CAPUT XV.

DE GAUDIO, ET TRISTITIA. QUALITER VIR BONUS GAUDERE DEBEAT. NON TRISTATUR QUI OMNIA PRÆVIDET. VARIA DOLORIS ANTIDOTA.

1. Ita gaudere debes, ut in gaudio tuo modestia eluceat; neque animus ita dissolvatur, quin possis liberè, si opus sit, à lætitia ad mœrorem transire. Christus Dominus optimus rerum æstimator non ridentes beatos vocat, sed eos qui lugent. Valdè enim dedecet Christianum hominem, qui se æterna sectari profitetur, inter tot pericula mentis et corporis, inter tot justissimas tristitiæ causas, stultorum more risu gestire, et de rebus perituris exultare. Fugit terrena voluptas, et quæ nos gaudia vocamus, sæpè initia tristitiæ sunt. Verum gaudium non nisi ex virtutum conscientia nascitur. Non potest gaudere nisi justus, fortis et temperans. Ut nunquam desit animo tuo lætitia, fac ut tibi domi nascatur. Nascetur autem, si intrâ te ipsum fuerit. Cæteræ hilaritates leves sunt: non implent pectus; nec semper gaudet, qui ridet. Res severa est verum gaudium; oritur ex bona conscientia, et honestis consiliis, et rectis actionibus; ex contemptu voluptatum, et placido illibatae vitæ tenore.

Hæc est vera virtutis lex? ut verè gaudeas, diu lugendum.

2. Tristitia malum præsens vel re ipsa, vel apprehensione, cum quadam perturbatione et inquietudine, execratur. Solemus autem ut plurimum non rebus, sed rerum opinionibus cruciari. Noli res indagare quales sint, non servitia, non agros, non nummos, non negotia: considera potius, quæ tua de illis opinio sit. Quòd dedecore afficiaris, quòd spolieris pecuniâ, quòd vapules, arbitrii tui non est: at rectè de his sentire, non eâ esse mala sed sæpè utilia, penes te est. Nunquam dolebis, si à præsentī molestia avulsam cogitationem illuc converteris; ubi vera sunt gaudia. Viro bono nihil accidit mali: non quia non sentiat, sed quia vincit. Respicit enim omnem adversitatem, ut occasionem exercendi patientiam, ut instrumentum divinæ gratiæ, ut viam ad gloriam in æternum duraturam. Potest vir bonus miser dici, esse non potest.

3. Quicquid fieri potest, quasi futurum prospice. Sic omnium malorum impetum molles: quæ ad præparatos nihil asserunt novi; securis, et omnia prospera expectantibus, gravia eveniunt. Quid erit, si rerum tuarum dimidium auferat casus; quid si omnia? quid si ruat domus, comburantur segetes, deserant amici? quid si fama periclitetur, et de gradu per calumniam dejiciaris? Morbus, captivitas, ruina, ignis; nihil horum sapienti repentinum est. Futuras secum commentatur miserias, et dolorem, quem alii diu sustinendo, ipse diu meditando lenit. Cuius accidere potest, quod alicui accidit. Quæ sunt divitiæ, quas non fames à tergo,

et mendicitas sequantur? Quæ dignitas, quam non sordes comitentur, et extrema contemptio? Quod regnum, cui non sit paratum excidium? Nonne gladio carnificis regiam cervicem abscissam, idque jussu subditorum, inaudito exemplo, hæc ætas vidit? Nec magnis ista intervallis divisa sunt: horæ momentum interest inter opes et egestatem, inter aulam et caulam, inter solium et securim. Scito ergò, omnem conditionem verisabilem esse; et quicquid in ullum incurrit, in te quoque incurrere posse. Adversam fortunam facile sustinet, qui semper expectat.

4. Non se exerit virtus, cum secundo cursu vita procedit. Tunc apparet quanta sit, cum, quid possit, patientia ostendit. *Spectaculum*, inquit Apostolus, *facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus* (1). Ecce autem spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum adversitate compositus, de seipso, et de omni calamitate triumphans. Tranquillum mare, et ventus obsequens, artem gubernatoris non ostendunt. *Qui non est tentatus, quid scit* (2)? Dicit aliquis infelicem me, cui hoc acciderit. Imò felicem te; quia licuit tibi te experiri. Potuit enim tale quidpiam cuique accidere; sed non erat ejusque similem casum sine dolore excipere. Ne itaque in sinistris eventibus te submiseris: contra potius fige stabilem gradum; et quicquid oneris supra cecidit, sustine. Nam primo impetu fracto, nihil in his horribile esse videbis, præter opinionem. Quæ

(1) I. Cor., iv, 9.

(2) Eccl., xxxiv, 9.

à natura vim habent, eandem servant in omnibus : sed paupertatem, ignominiam, contumelias et cætera, quæ mala vulgus nuncupat, multi patienter ferunt, multi nec sentiunt quidem : non ergò naturale est, in his mœrore consumi ; sed à perversâ opinione procedit. Quid tibi ipsi mentiris ? Levem omnem calamitatem ferendo facere potes. Levis est omnis dolor, si nihil ei opinio adjecerit. Noli mala tua facere tibi per impatientiam graviora. Tam miser quisque est, quàm se ipse existimat.

5. Omnis ægritudo mora tandem decrescit ; et licet contumacissimum, dolorem tempus admittit, et enervat. Visne igitur diem operiri, quo luctus te invito desinat ; an ipse illi finem imponere ? Cur non id consilio præripis, quod allatura est diurnitas ? Quamvis ipse custodias mœrorem tuum, custodienti tamen elabitor. Nulla enim res citiùs in odium venit, quàm tristitia : quæ dum recens est, consolatorem invenit ; inveterata deridetur. Quod si dolore calamitas vincitur, eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno mæstitia consumat, ingerantur pectori manus, et sese omni sævitie genere profecturus dolor exerceat. Sed si lacrymæ inutiles sunt, si nullo fletu adversitas mitigatur ; disce te ipsum regere, et omni adversitati invictâ constantiâ obsiste. Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantem navim tempestati permisit. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem, et undis reluctantem.

CAPUT XVI.

DE SPE, ET DESPERATIONE. QUOMODO UTRAMQUE MODERARI OPORTeat.

1. Spes vana, et mendax, et verè somnium vigilantis est, nisi in Deo collocetur, cujus solo nutu omnis difficultas vinci potest. Quid rei futuræ expectatione cruciaris, et in longinquo cogitationes extendis ? Nihil sperabis, si nihil cupies, si omnia terrena despicias. Nemo sperat quæ contemnit. Licet te nunquam sperata deceperint, licet non ex difficili petatur quod speras ; quàm diu te spes aliqua proritat, sollicitus eris, et incertus tui, ac in ancipiti positus. Ut pedibus loca invia, et prærupta non petis ; ita nec animo ea speranda, quæ in tua potestate non sunt. Omne miserie momentum hoc est ; defuisse voluntati quod speravit.

2. Sæpè admonendus est animus, ut quæcumque extrâ te, et circâ te sunt, aspiciat ut peritura, tenique filo pendentia. Quid oblivisceris conditionis tuæ ? Mortalis natus es : nihil tibi de hodierna die promittitur, nihil de hac hora. Instat à tergo mors : quicquid habes mutuo accepisti. Ususfructus tuus est, cujus tempora summus omnium Arbitrator temperat. Ad ejus nutum, omnia sine querela reddenda sunt. Pessimi est debitoris, creditorum convitium facere. Nihil est ergò sub sole, quod debeas, aut possis sperare. Illa tantùm vera est spes, quæ de vero, et summo bono ritè concipitur.

3. Desperationem causant inertia, abjectio animi, nimia difficultatum apprehensio, vitiosa sui diffidentia, viriumque et industriæ defectus. Vincitur, excitando animum eorum exemplo, qui etiam in gravioribus angustiis constituti, omnia obstantia generose superarunt. Incipe, et propelle te ipsum: quia Deus facientes adjuvat; et quod arduum videbatur, facillimum fit, si falsa de illo opinio deponatur. Quicquid accidit tibi, id omne ab æterno destinatum est. Illud autem aut ita evenit, ut natura comparatus es ferre: aut secus: si primum: ne despera, sed fer: sin aliter, nec tunc quidem desperandum: quicquid enim illud est, citò finem et ipsum habebit, et tibi imponet. Leve est, quod ferre potes; breve, quod non potes. Sed memineris, in te situm esse, multa facere tolerabilia; si ea, ut utilia, et convenientia, apprehenderis. Calamitas, virtutis occasio est.

CAPUT XVII.

DE TIMORE. QUAM VANUS SIT, ET QUA RATIONE VINCATUR.
AUDACIA VITANDA. QUEDAM ITERUM DE IRA.

1. Magna pars mortalium, cum nec sit quidquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuat tamen, et discurrit, sibi que infortunium vel fingit, vel auget. Non tot reperit cruciatus humana crudelitas, quot patitur animus, futuri anxius, qui sollicitus est, ne bona præsentia amittat, aut mala imminetia eveniant. Multa mala, quæ non essent,

sunt quia timemus. Quid prodest tibi antè tempus cruciari, et inani providentiâ occurrere ærumnis tuis? An ideò oportet te jam miserum esse, quia quandoque futurus es? Stultum est, dare se referentibus, nullisque apparentibus signis, quæ malum prænuntiant, falsis terri imaginibus. Sæpè fallaci conjecturâ deceptus, verbum dubiæ significationis detorques in pejus. Sæpè potentis offensam majorem putas, quàm revera sit; et cogitas, non quantum iratus sit ille, sed quantum liceat irato. Vani autem sunt hi metus; et ideò magis perturbant, quia vani sunt. Vera enim modum suum habent: quicquid ex incerto venit, conjecturæ et licentiæ paventis animi traditur. Parùm differt patiari adversa, an expectes; nisi quod modus est dolendi, non est timendi. Doles quantum scis accidisse; times quantum potest accidere.

2. Si vis omnem timorem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum propone, et illud malum tecum metire, metumque tuum taxa: intelliges profectò, non re ipsa, sed opinione magnum esse quod metuis. Num potest aliquid tibi durius accidere, quàm ut mittaris in exilium, ut ducaris in carcerem? Num quidpiam corpori ultrà timendum est, quàm ne uratur, et pereat? Excute singula ista, et redige ad verum timorem tuum: multos invenies, etiam infideles, qui hæc omnia contempserunt. Stephanus inter lapides pacato animo Deum precatur: Laurentius in flammis exultat, et insultat tyranno: se ultrò projicit in succensum rogam Apollonia Virgo. Ridet ferreis malleis contusus in pila Anaxarchus: Socrates cicutæ poculum

gaudens exhaurit, et Critiæ propinat. Quid ignes metuis, et turbam carnificum circa te frementium! sub ista pompa, quæ stultos territat, latet mors, quam tot pueri, tot puellæ læto animo amplexi sunt. Deme rebus tumultum, deme personam, redde singulis faciem suam: nihil in illis terribile esse videbis, præter ipsum timorem. Id nobis evenit grandioribus pueris, quod parvulus solet. Hi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. Tu verò pueris deterior, ad tantam ineptiam pervenisti, ut non solum dolore, sed doloris larvâ et panico terrore vexeris.

3. Abduc animum à privatâ causâ ad communem. Dic, mortale tibi et fragile corpusculum esse, multisque morbis, ac tandem morti obnoxium. Dic tibi ipsi: Jam pridem sciebam, multa mihi adversa imminere. Quid nunc ergo timeo? Egrotabo? Proderit ad animæ salutem corporis ægrotudo. Ad paupertatem redigar? Tutior mihi et tranquillior vita erit. Opes amittam? et cum illis curas multas, periculumque perpetuum. Ignominiam afficiar? si justâ, ejus causam execrabor: si injustâ, meâ me conscientiam consolabor. Repulsam speratæ rei patiar? Nec Reges quidem omnia quæ cupiunt assequuntur. In exilium mittar? Spontè ibid, eritque peregrinatio. Cæcus fiam? Multis cupiditatibus via incidetur. Malè de me loquentur homines? Facient quod mereor, quod solent. Moriar? Hac conditione intravi, ut exirem. Sed peregrè moriar? Nulla terra est aliena non habenti hic permanentem civitatem. Moriar antè diem? Nemo nisi amens queritur, antè

tempus absolvi vinculis, et carcere relaxari. Mors, exilium, luctus non sunt supplicia metuenda; sed tributa nostræ mortalitatis. Stultum est ea timere, quæ vitare non potes.

4. Fuge audaciam, nihilque temerè ultrâ vires aggrederi: nemo enim celerius opprimitur, quàm qui nimium de se præsumit. Exiguæ sunt vires nostræ sine Dei præsidio, à quo omnis sufficientia, omne robur emanat. Oritur audacia à propriæ virtutis nimia existimatione, à contemptu adversariorum, à præcipiti ingenio, rebusque gerendis minus exercitato. Plus metuit, qui prudentior est: nam vires proprias metitur, solerter prospiciens quid valeant, quid ferre recusent. Audaces, cum graviora, quàm antè conceperant, experti pericula fuerint, effuso primo impetu subsidunt et torpent, serò agnoscentes, quàm sint incertæ hominum providentiæ, quàm vanæ cogitationes. Initium est futuræ calamitatis incauta securitas.

5. Nunquam tibi dominabitur ira, si opinionem existimatæ injuriæ tollas. Tu ipse dux flagitiorum tibi es, et inceptor criminum: tu mala omnia tibi struis. Quid causam tuarum perturbationum in alios derivas, si tu te impellis et præcipitas? Nemo læditur nisi à se ipso. Quod dicunt pueris nutrices: Si non plorès, accipies; id tu rectius dices animo tuo effervescenti? Noli irasci, noli urgere et clamare; rectius fiet quod volebas. Dies quosdam institue, quibus proponas in iram nunquam incidere quacunquè ex causa: tum per unum vel duos menses eadem ratione te experire; invenies successu temporis te adeò profecisse, ut ad risum te provocent,

quæ prius iratum è statu mentis dejiciebant. Placidi mores nemini eorum, cum quibus vivitur, ita sunt grati, et jucundi, ut ei ipsi, qui præditus illis est. Hoc boni habet pacatus animus; semper gaudet, semper triumphat.

CAPUT XVIII.

DE POTENTIS ANIME RATIONALIS. CONTINENDUS INTELLECTUS A CURIOSITATE. CUI POTISSIMUM SCIENTIE INCUMBENDUM. QUAM MALUM SIT, ALIORUM MORES DISQUIRERE. ALIORUM JUDICIA SPERNENDA. DE VOLUNTATIS ABNEGATIONE.

1. Data est tibi à Deo intelligendi facultas, ut ipsum agnosceres et cognoscendo amares; sed per peccatum duplici vulnere sauciata est, ignorantia et cæcitate. Nam et in notione veritatis erras; et quid sit faciendum, vel fugiendum, plerumque ignoras. Quantâ ergo diligentia vel urbs ingrassantis pestilentia metu, vel arx ab hostili exercitu obsessa custoditur, ne quis non planè cognitus intus obrepat; tantâ est curâ, multoque majori vigilandum, ne intellectus malæ rei, sibi à sensibus objectæ, aditum patefaciat. Rerum enim species sensus objiciunt, intellectus admittit, et ad judicium desert; hoc voluntati proponit. Sed sensus offerunt bona et mala: mentis est, vel admittere, vel excludere.

2. Imprimis continendus est intellectus à curiositate. Cur per inania distrahis mentem, solidæ sapientia et Deo natam? Res frugi sapientia est. Si-

cut qui gustat aconitum, ut qualitatem ejus scrutetur, prius perit, quàm saporem sentiat; sic qui ea rimantur, quæ ad se non spectant, prius se ipsos pessumdant, quàm cognoverint quod quærebant. Scire quod non prodest, proximum est ignorantia. Qui verè sapiens esse cupit, non opinioni discit, sed vitæ: nec quærit in scientia oblectamentum animi, sed remedium. Nösse gaudes stellarum vires? Inepties postquàm sciveris, si ignores infirmitatem tuam. Vis ornatè et eleganter loqui? Satius est, si discas tacere. Scire nova cupis? Quid magis novum, quàm renovare te ipsum? Hoc discce. Errores alienos libet confutare? Cur non corrigis tuos? Juvat percurrere historias, et scire aliorum facta. Benè, si interim non ignores, quæ à te sunt facienda. Placita litigantium concordare delectat? Cur non et tuos affectus tumultuantes? Nisi quæres supervacua, facile invenires necessaria. Scientia autem necessaria illa est, quæ te bonum potius quàm doctum facit.

3. Quid in iis quæstionibus te torques et mace-ras, quas subtilius sæpè est contempsisse quàm solvere? Cur pertinaci studio laboras, ut ea discas, quæ forent dediscenda, si scires? sed ut aliarum rerum, sic quoque litterarum intemperantia nos vexat. Nullus librorum est finis. Instruuntur Bibliotheca ad spectaculum potius et ornatum, quàm ad usum legentium. Vix librorum editorum indices totâ vitâ legere poteris, quamvis multos vixeris annos. Inter hos multi sunt noxii et perniciosi: multi indigni, qui legantur: multi vani et imperiti; quos cum diu perlegeris, nihil scies. Plures quidem à limine salu-

tare tibi permittitur, ne aliquid in ipsis latere iudices magni et secreti boni, sed paucis, et cum delectu insistendum. Paucis ad bonam mentem libris et litteris indigemus.

4. O inanes mortalium cogitationes! Impallescimus chartis, et per innumeras artes ac scientias ingenium extendimus, quasi nobis per multa sæcula vivendum sit: vitæ verò sempiternæ curam negligimus, quæ non scientiis, sed virtutibus comparatur. Quid prodest acta externorum Regum inquirere; et quæ passi invicem, ausique sunt populi, magnis voluminibus describere? Quamto satius foret, tua mala extinguere, quam aliena posteris tradere? docet te geometria metiri latifundia: doceat potius, quomodo, quod tibi sufficiat, metiaris. Numerare docet Arithmetica, et avaritiæ commodare digitos: doceat potius ea spernere et læto animo amittere, quæ tantâ sollicitudine computantur. Monsirat Musica, quomodo voces inter se consonent: ostendat potius, quomodo secum mens concordet; nec disparem reddant sonum sensus, et ratio. Monsirat, qui sint modi hilares, qui flebiles: ostendat, inter prospera non extolli, inter adversa non emittere flebilem vocem. Non damno harum rerum cognitionem; sed hæc et alia utiliter scies, postquam sciveris te ipsum, et novissima tua. Nihil scies, quamvis omnia scias, si te ipsum ignoras.

5. Infame vitium ac sordidissimum est, aliena facta observare, mores disquirere, et omnia temerè interpretari. Quis enim es tu, qui alienum iudicas servum? *Domino suo stat, aut cadit* (1). Ipse est,

(1) Rom., xiv, 4.

qui iudicat omnes, qui omne sibi iudicium reservavit. Quâ audaciâ divinum tribunal præsumis invadere? Attende tibi, et latebras conscientiæ tuæ perscrutare. Vide ibi mala quæ insunt, bona quæ desunt, et noli oculos ad aliorum vitam convertere. Satis uberem malorum copiam in te reperies, quam acriori censurâ perstringas. Vix quippiam justè fit, quod non possit pravum ingenium in malum detorque. Ipsi Evangelis abutuntur hæretici: Christi actiones calumniabuntur Hebræi. Ut corpora melancholica et mali humoris, quicquid sibi sumpserint, in bilem vertunt; sic anima malè disposita quicquid videt, quicquid audit, perperam interpretatur. Bona vel mala intentio sæpè res bonas vel malas facit: hæc autem soli Deo nota est, qui scrutatur renes et corda. Quod si factum alienum nullâ potest ratione defendi; quid ad te? Non erubescis, fœdissima quæque quasi è latibulis educere, ac publicè spectanda proferre? Cur non te ipsum observas, qui cæteris deterior es? In te exerce maledicentiam tuam: de te ipso tecum detrahe: accusa pravitatem tuam: et te ipsum dijudica. Dei enim iudicium evades, si tui iudex severus fueris.

6. Ut ingeniosi in notandis aliorum factis plerique sumus, indè nobis prudentiæ famam perquirentes; ita facilè suspicamur, alios de nobis malè sentire, vel loqui; nos illis odiosos esse et despiciatos. Hoc vitium ut repellas, temperanda primò cupiditas est, quâ hominibus placere, et magni ab illis æstimari desideras. Tum danda est opera, ut vel ipsam cogitationem abjicias, sciendi quid alii de te sentiant, vel loquantur; cum præsertim sæpè

contingat, eos nec quidem de te cogitare, quos fingis perperam de te loqui, et te observare. Dic tibi cum Apostolo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (1). Dic ad alios: *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die* (2). Talis reverà es qualis es apud Deum. Sensus et loquela hominum nihil adjicit bonitati tuæ; nihil detrahit de malitiâ. Melius est, bonum esse, quàm videri.

7. Nihil tuæ voluntati contrarium eveniet, si eam penitus abnegaveris, et transfuderis in divinam. Sic mentis solidâ pace, sic verâ tranquillitate perfrueris. Vives ut voles, si, quid velle debeas, didiceris. Debes autem velle, quod Deus vult. Hæc est unica vitæ hujus felicitas, velle, ut quæ fiunt, ita fiant, sicut vult Deus non ut volumus ipsi. Ducit te Deus ad finem, ad quem ab æterno destinatus es, per suavia et aspera, per prospera et adversa. Obsequere divinæ providentiæ, et sequere alacriter: nam etsi repugnaveris, sequeris nihilominus, et impius eris. Ducit volentem Deus, nolentem trahit.

(1) Gal., 1, 10.

(2) 1. Cor., 13, 4.

CAPUT XIX.

DE STATU PROFICIENTIUM. VARIA PROPECTUS ADJUMENTA. TEMPORIS ESTIMATIO, ET USUS. DEI PRESENTIA NECESSARIA.

1. Si bonus esse cupis, primùm credito, te malum esse. Nunquam proficies, si proficiendi deposueris appetitum. Nolle proficere, deficere est. Persevera igitur, ut cœpisti; et quantum potes prospera, quò citiùs frui emendato animo, et composito possis. Argumentum animi in melius translato est, si vitia tua vides, quæ adhuc ignorabas. Sic agris gratulari solemus, cum se ægros esse senserunt. Noli facilè tibi credere; sed excute te, et observa, tuique profectus experimentum cape animi firmitate, et cupiditatum diminutione. In proficientium classe te esse existimabis, cum in te ipsum maximam habueris potestatem. Inestimabile bonum est, se possidere, et unum esse. Vir probus semper idem, improbus semper alius est.

2. Potes, si vis, unâ die ad culmen sanctitatis pervenire, si toto corde aversus à creaturis, ad Deum convertaris. An verò vitam intus cum Deo agas, ex his signis deprehendes. Si tibi displiceant res tansitoriæ, si placeat solitudo, si cures quod perfectius est, si opiniones et judicia hominum spernas. Magnum verò adjumentum ad omnem virtutem præbebit tibi vitæ et passionis Christi assidua meditatio. Ipse est liber vitæ, in quo solo,

velut in divite ac instructissima bibliotheca, reperies, quidquid pertinet ad salutem, etsi omnes libri cum suis auctoribus interirent. Non tamen sufficit Christum scire et meditari, nisi etiam imiteris, atque ita vivas, sicut ipse docuit verbo et exemplo. Nisi ad regulam, prava non corriges.

3. Præclare à quodam dictum est: eos qui proficere velint, ita vivere debere, ut perpetuò curentur. Multa enim sunt jugiter observanda, quæ ad arcem virtutis properanti moram injiciunt. Cum nimirum amore inordinato vel te ipsum, vel aliquam creaturam prosequeris: cum rebus externis ita afficeris, ut, si eas auferri, vel amitti contingat, iniquo animo laturus sis: cum propriis commodis nimium studes in cibo, potu, colloquiis, evagationibus: cum temporalibus te nimium immergis, tuoque judicio ac voluntati pertinaciter adhæres: cum motus internos minime observas, Deumque intus loquentem per secretas inspirationes, audire contemnis. Hæc sunt præcipua impedimenta, te in via detinentia; quæ ut removeas sedulo vigilabis, et te operi viriliter accinges. Animet virtus quicquid agis; animet finis perfectissimus, cum promptitudine et alacritate: animet pura intentio; atque ita operi insiste, ut prænotioni, quam habes de ejusdem perfectione, penitus adæquetur. Non consistit profectus in multitudine exercitiorum; sed in his, quæ quotidie fiunt, perfecte obeundis. Non enim in facto laus est; sed in modo, quo res fit.

4. Volant dies, festinat tempus; et quod præteritum est, nemo tibi restituere potest. Non vivis, sed victurus es: semper enim vita tua spectat in cras-

tinum. Sic elabatur tibi vita, dum vitæ instrumenta conquiris: et interim senectus venit; venit mors, in quam incidis imparatus. Sicut iter facientes, quos mutua decipit confabulatio, se prius ad metam pervenisse, quam appropinquasse cognoscunt: ita hoc vitæ iter assiduum, quod vigilans et dormiens eodem gradu peragis, tibi occupato et distracto non nisi in fine apparebit. Quid igitur cunctaris, quid cessas? Pretium tempori pone, utere eo celeriter: æstima hunc diem, imò hanc horam; ejus enim jactura irreparabilis est. Prædia tua à nemine pateris occupari: si exigua de finibus contentio sit, ad lites et ad arma discurre: vitam verò et tempus tibi eripi à quocunque permittis, ejus rei profusissimus, cujus solius avaritia honesta est. Computa ætatem tuam, revoca ad calculum præteritos annos; quamvis centesimum excedas, videbis te pauciores habere, quam numeras. Quantum enim ex his diripuerunt somnus, gula, lites, amici, et otiosa discursatio? adjice quod sine usu jacuit, quod nihil agenti, aliudque agenti elapsum est, te non sentiente quid perderes; intelliges, quam exiguum tibi de tuo relictum sit, et te immaturum mori fateberis. Sæpè quereris de transactis diebus, quos male perdidisti: cur non eniteris sic præsens tempus transigere, ut eo elapso dicere possis: Non video, quo pacto illud melius potuerim collocare? Singuli tantum dies, et hi per momenta præsentis sunt. Cur hodiernum perdis quod tuum est: et futurum disponis, quod tuum non est? Maximum vivendi impedimentum est dilatio. Vive hodie; cras vivere serum est.

5. Deum semper in omni cogitatione, verbo, et opere, quocunque alio fine excluso, respice: et unicam ejus voluntatem sectare. Nunquam à recto tramite deviat, qui Deum sibi viæ ductorem proponit. Bono loco res tuæ erunt, si omnia quæcunque facis ad Dei gloriam dirigas; atque ita singula facias, ac si ipse spectet, qui videt omnia, omnia sustentat, omnibus providet. Ejus obtutum nunquam effugies: interest enim non verbis tantum et factis, sed intimis cogitationibus tuis. Cum fores obduxeris, et tenebras intus feceris, ne putes te solum esse; tecum Deus est, qui secretum tuum facere sanctius debet, cui nihil clausum est. In ipso vivimus, movemur, et sumus. Coram illo comede et bibe, cum illo ambula, cum eo tracta negotia tua, ad ipsum erige vitam tuam. Fac te dignum, in quem oculos figat, quem semper amabiliter spectet. Magna tibi necessitas indicta est probitatis, cum antè oculos agis Judicis cuncta cernentis. Sic vive, ac si nemo in mundo sit, præter te solum et Deum. Quicquid ejus providentia de te disposuerit, libens amplectere, sive prosperum illud fuerit, sive adversum. Deum quæris: hæc, an illà vià ad ipsum pervenias, quid refert? Atque utinam aliquando pervenias!

CAPUT XX.

DE BONO SOLITUDINIS. FUGIENDA MALORUM SOCIETAS. MUNDI VITIA QUOT ET QUÆ SINT. STUDIUM PROFICIENTIS, ACQUISITIO VIRTUTUM. SIGNA QUEDAM OBTEINTE VIRTUTIS.

1. Ingens argumentum est compositæ mentis, et à pravis affectionibus emendatæ, secum posse consistere. Sicut Deus, se solo beatus, in se semper moratur; ita ad Dei felicitatem proximè accedes, si tecum manere didiceris. Et quidem si volueris, nunquam eris solitarius, si nunquam à Christo separaberis. Quod si loquendi te corripit cacoëthes, tecum loquere; sed cave, ne cum malo homine loquaris. Vis autem scire, quid tecum colloqui possis? Id quod homines de aliis libentissimè faciunt: de te apud te malè loquere. Produca vitia tua, et castiga quicquid in te animadversione dignum repereris. Nunquam deerit aliquod vitium, cui curatio adhibenda sit. Absconde te in otio; sed et otium tuum absconde. Gloriari solitudine, iners ambitio est. Corporali autem solitudine internam jauge, ut grata tibi atque utilis sit. Subduc te vanis occupationibus; nec ab hominibus tantum, sed à rebus etiam secede, quæ ad te non spectant. Esto liber ab omni creatura; et à corde tuo earum imagines exciude. Abjice omnes eaducarum rerum sollicitudines, omnes cogitationum ineptias; et in abdito cordis recessu tibi soli, et Deo attende. In hoc

5. Deum semper in omni cogitatione, verbo, et opere, quocunque alio fine excluso, respice: et unicam ejus voluntatem sectare. Nunquam à recto tramite deviat, qui Deum sibi viæ ductorem proponit. Bono loco res tuæ erunt, si omnia quæcunque facis ad Dei gloriam dirigas; atque ita singula facias, ac si ipse spectet, qui videt omnia, omnia sustentat, omnibus providet. Ejus obtutum nunquam effugies: interest enim non verbis tantum et factis, sed intimis cogitationibus tuis. Cum fores obduxeris, et tenebras intus feceris, ne putes te solum esse; tecum Deus est, qui secretum tuum facere sanctius debet, cui nihil clausum est. In ipso vivimus, movemur, et sumus. Coram illo comede et bibe, cum illo ambula, cum eo tracta negotia tua, ad ipsum erige vitam tuam. Fac te dignum, in quem oculos figat, quem semper amabiliter spectet. Magna tibi necessitas indicta est probitatis, cum antè oculos agis Judicis cuncta cernentis. Sic vive, ac si nemo in mundo sit, præter te solum et Deum. Quicquid ejus providentia de te disposuerit, libens amplectere, sive prosperum illud fuerit, sive adversum. Deum quæris: hæc, an illà vià ad ipsum pervenias, quid refert? Atque utinam aliquando pervenias!

CAPUT XX.

DE BONO SOLITUDINIS. FUGIENDA MALORUM SOCIETAS. MUNDI VITIA QUOT ET QUÆ SINT. STUDIUM PROFICIENTIS, ACQUISITIO VIRTUTUM. SIGNA QUÆDAM OBTEINTE VIRTUTIS.

1. Ingens argumentum est compositæ mentis, et à pravis affectionibus emendatæ, secum posse consistere. Sicut Deus, se solo beatus, in se semper moratur; ita ad Dei felicitatem proximè accedes, si tecum manere didiceris. Et quidem si volueris, nunquam eris solitarius, si nunquam à Christo separaberis. Quod si loquendi te corripit cacoëthes, tecum loquere; sed cave, ne cum malo homine loquaris. Vis autem scire, quid tecum colloqui possis? Id quod homines de aliis libentissimè faciunt: de te apud te malè loquere. Produca vitia tua, et castiga quicquid in te animadversione dignum repereris. Nunquam deerit aliquod vitium, cui curatio adhibenda sit. Absconde te in otio; sed et otium tuum absconde. Gloriari solitudine, iners ambitio est. Corporali autem solitudine internam iunge, ut grata tibi atque utilis sit. Subduc te vanis occupationibus; nec ab hominibus tantum, sed à rebus etiam secede, quæ ad te non spectant. Esto liber ab omni creatura; et à corde tuo earum imagines exciude. Abjice omnes eaducarum rerum sollicitudines, omnes cogitationum ineptias; et in abdito cordis recessu tibi soli, et Deo attende. In hoc

mentis silentio, in hac rerum omnium oblivione et nuditate, vera cordis requies, vera tranquillitas sita est. Huc fuge, hic abscondere, huc semper intende: ibi enim reperitur Deus, ubi omnes creaturæ deseruntur.

2. Si vis bonus esse, fuge malorum consortium. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam se populo committere. Nunquam mores, quos intulisti, referes. Animus tener et parum tenax recti, vitiorum impetum, tam magno comitatu venientium, ferre non potest. Facile transitur ad plures. Convictor delicatus paulatim enervat et emollit: vicinus dives cupiditatem irritat. Unico exemplo luxuriæ, seu avaritiæ, perire potes. Trahunt in pravum parentes, trahunt socii, trahunt servi. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Statim ac editi in lucem sumus, in omni continuo pravitate, et in summâ opinionum perversitate versamur. Vix ullus in mundo est, qui non aliquod vitium aut commendet, aut imprimat, aut nescienti allinat. Continēbis te aliquando inter domesticos lares: extrâ forum et commercium hominum: proh quam suavi et optatâ fugâ! Omnia intus serena, omnia tranquilla, sine nube et vento. Accedit casu qui te evocet; sequeris. Conjungunt se alii, sit corona, venit ad turbam, peccatur multiplici excessu; et qui bonus exieras, pessimus regrederis. Vulnera autem animæ non deprehendis, nisi iterum solitarius. Recede ergo in te ipsum, quantum potes, ne suis erroribus mentem imbualet omnis undique ad vitia consentiens multitudo. Lætior est animus, qui in pauciora dstringitur.

3. Crede te paulisper in celsi montis verticem subduci: speculari inde miserrimam mundi faciem. Hinc disces ipsum odisse, et ab eo in solitudinem elongari. Cernes itinera à latronibus claudi, maria à prædonibus obsideri, fremere undique bella, et humano cruore madescere campos, abruptoque fræno vitia ubique et scelera dominari. Videbis in occulto penetrati ab impudicis ea fieri, quæ nec ipsis quidem possunt placere qui faciunt. Invenies tam indigna, tam indecora; ut nemo dubitaturus sit eos insanire, si cum paucioribus insanirent: sed sanitatis patrocinium est insanientium turba. Inter leges ipsas delinquitur; nec tuta illic est innocentia, ubi defenditur. Perit innocens, absolvitur reus: minusque crimine, quam absolute peccatur. Nullus legum metus est: quod enim potest redimi, non timetur. Amaræ sunt obloquentium linguæ, subdola ora laudantium: inde sævit odium, hinc decipit mendax officium. Alius vino madet, alius torpet inertia. Illum insatiabilis avaritia tenet; hunc defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio. Respice forum multitudine refertum: tantumdem istie vitiorum esse fateberis, quot hominum. Peccant omnes injuriis in proximum; in Deum contemptu, in res abusu: omnia in suum congregant judicium, omnium rei. Et quomodo tutum servare vestigium, vel ad te recurrere poteris, inter tot vitia omni ex parte argentia, quæ resurgere cupientem, et in altum attollere oculos, premunt, et mergunt? Innoxium aliquem esse, ubi regnant nocentium agmina, difficile est: nam si te immutare non poterunt, saltem impediunt. Una est firma

tranquillitas, tot te malis excerpere, et in eam recedere stationem, è qua possis mundi luem ab omni contagio liber intueri. Insuperabilis est animus, qui externa deseruit, et sibi soli vacans arce suâ se vindicat. Huic mundus carcer est, et solitudo paradisus.

4. Vanum est ab hominibus secedere, nisi cogas animum intentum sibi esse, et virtutum exercitationi solerter incumbere. Nullum homini bonum est, si desit virtus; nulla quies, nulla felicitas, nisi ex virtute. Tria sunt, quæ sibi mutuo in Universo respondent. Inter omnia et super omnia Deus; inter sensibilia lux, inter animi perfectiones virtus. Deus est lux et virtus omnium: lux, virtus mundi et imago Dei; virtus, lux animi, per quam filii Dei nominamur et sumus. Ad hanc purgato animo accedere debes, si ad optatum perfectionis culmen pervenire desideras. Virtus enim perfectio hominis est, inslauratrix innocentiae, omni plena jucunditate. Est supplementum naturæ, ad bonum supernaturale ex se ineptæ. Est facilitas boni operis, quâ rectè vivimus, quâ velut cæci illuminamur, quâ peccatis resistimus, quâ meritis cumulamur, quâ vitam æternam promeremur. In hoc studio necessarium tibi primò est, cujusque virtutis naturam et actus præscire; quia nemo amat quod ignorat. Tum ab actu et exercitatione nunquam cessandum: et si desint occasiones, milites imitari oportet, qui in mediâ pace sine hoste decurrunt, fictisque velitationibus se ad vera certamina parant. Finge tibi ingentia quæque scelera objici: puta te contumeliis proscendi, omnia quæ possides à te violenter au-

ferri; et sic patientiam exerce, ac si res vera ageretur. Non trepidabis in ipsa re, si antè rem te ita exercueris. Magnos ad pugnam spiritus adfert miles, qui sanguinem sæpè fudit.

5. Virtutum habitus non nisi longa exercitatione comparantur. An verò aliquam ex illis obtinueris, ex his indiciiis dignosces. Si nimirum vitia virtuti opposita extincta sentias, aut magnâ ex parte compressa. Si pravaram affectionum motus sub frænorationis legem pati, ac menti parere facile compellas. Si actus virtutis absque difficultate, imò etiam cum delectatione exerceas. Si tepidorum dicta contemnas, plenaque spiritus libertate ad ea præstanda te exeras, quæ displicent imperfectis. Si pravos actus, ad quos antea per habitum inclinabaris, connaturali quodam fastidio abomineris. Se neque per somnium re aliqua turpi delectari, aut quidpiam injustum approbare videaris. Si ea satagas imitari, quæ in aliis laudas et admiraris; atque ab illis abstineas, quæ reprehendis. Si nullam culpam exiguam putes; omnemque imperfectionem, quantumvis minimam, studiosè vites, et observes. Si cum vides vel audis, æquales tuos divitiis aut dignitatibus florere; nec invidias, nec perturberis. Si errores tuos ingenuè fatearis, cupiens ab omnibus corrigi et reprehendi. Si conscientiae testimonio contentus, bona opera in te ipso serves, et abscondas: rectè enim facti fecisse præmium est. Si studio denique virtutis sine intermissione incumbas: nam vera virtus nunquam torpet, sed semper in actu est.

CAPUT XXI.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS. FIDES OPERIBUS COMPROBANDA.
IN SOLO DEO PONENDA FIDUCIA. MOTIVA AMORIS ERGA
DEUM. AMOR PROXIMI BENEFICIIS OSTENDITUR. HORTATIO
AD ELEEMOSYNAM.

1. Basis cæterarum virtutum et totius Christianæ vitæ fundamentum est fides; sine quâ nemo potest placere Deo. Hæc est sapientia, quæ domuit orbem; cui firmiter adhærendum, omni disquisitione et cur ositate rejecta. Crede autem, et operare: quia Fides sine operibus mortua est. Sermo tuus, et confessio tua jactitant Fidem: cave, ne vita et mores prædicent infidelitatem. Credis Evangelium: cur non obedis Evangelio? Credis vitam æternam: cur brevissimum tempus interminabili præfers æternitati? Quid prodest credere vera et bona, si tu falsus es, et mala operaris? Vix fieri potest, ut bene credat, qui malè vivit: ille enim verè credit, qui exercet operando quod credit.

2. Cùm certissimum sit, Dei providentiâ omnia disponi et gubernari, adeo ut nec passer de cælo, nec folium de arbore cadat absque ejus nutu et voluntate; ipsi te totum trade excelso animo, et ingenti fiducia, nihil dubitans, quin opportunum ad res omnes auxilium sis habiturus. Scito, omnia humana consilia atque præsidia fallacia et incerta esse; teque regi et agi absque ulla anxietate à Deo sinas. Et si res accidant inopinatè, quibus actio-

num tuarum et consiliorum tota series turbari et præcidi videatur, vel morbis, vel falsis criminationibus, aliisque casibus gravioribus; ne respondeas animum, sed Spe Divinâ munitus, ejus te regimini subjice: nam per hos casus, per hæc discrimina, ad illum finem te Divina Sapientia perducit, quem tibi ab æterno destinavit. Non sentit malum præsens, qui futura sperat bona. Tantum potest homo, tantum habet, quantum sperat, et credit.

3. Charitas omnium virtutum forma et Regina, et Deum respicit, et proximum. Et Deus quidem ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, super omnia amabilia diligendus est, purè propter se, et suam infinitam bonitatem. Quod est, quod vivis, quod moveris, quod sentis, quod intelligis, Dei gratia est. Ipse te à servitute diaboli redemit: ipse animam tuam innumeris prærogativis nobilitavit: ipse tibi vitam æternam, nullis præcedentibus meritis, præparavit. Cælum, terra, aër, aqua, et omnia quæ in eis sunt, magnis vocibus quotidie clamant, ut summo cum amore prosequaris, à quo propter te creata sunt. Cur per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ? Ama unum bonum, quod est omne bonum. Quære simplex bonum, quod est summum bonum; quò nihil majus, nihil amabilius potest excogitari. Solus amor est, quo mutuam Creatori vicem, quamvis non ex æquo, rependere potes. Amor autem non est otiosus; non quærit quæ sua sunt: operatur magna, si est. Nulla amanti impervia difficultas. Verus amator mori potest, vinci non potest.

4. Natura omnibus amorem indidit mutuum, et

sociabiles fecit: omnes enim homines magni corporis membra sumus, ad eandem Fidem et gloriam vocati. Non amat Deum, qui non diligit fratrem suum. Actus verò dilectionis erga proximum sunt, beneficia omnibus conferre, omnibus prodesse, omnes obsequio et amore prævenire. Beneficia autem læto animo et prompto indigentibus conferes, nullâ intercedente morâ, nisi in accipientis verecundiâ. Sufficiat ad remedium tristius quidpiam passis, quod eorum indigentiam scias. Molestum verbum, et onerosum est, Rogo. Si amici desiderium occupas, et antecedis, antequam rogeris, multiplicas munus tuum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit. Si prævenire non potuisti, plura rogantis verba intercide, ne rogatus videaris; teque daturum, ipsâ festinatione approba, etiamsi non fuisses interpellatus. Tum bona verba bonis rebus adjice; nec quidquam triste misceas beneficio, non mœstitiâ, non tarditatem, non exprobrationem, non denique jactantiâ. Res ipsa te silente loquetur; et qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Inter actus Christianæ beneficentiæ præcipuum tenet locum eleemosyna; quâ fides probatur, redimuntur peccata, emittitur cœlum. Cave ergo, ne despicias pauperem, qui cum sibi egenus sit, te facere divitem potest. Peccatis tuis venundatus es, redime te pecuniâ tuâ: fac de instrumento avaritiæ, subsidium misericordiæ. Histrionem te ad risum provocans, plenus à te recedit; Christus offerens regnum cœlorum, nihil accipiet? Tributa Principi vel invitus solvis, etsi ex agris nihil perceperis;

Christo Regi ex eo, quod superabundat, frustum panis denegabis? Cave, ne parcens pecuniis tuis, reus sis sanguinis fratris tui. Si non pavisti, occidisti. Cogitas, quàm benè alii post te vivant; non cogitas, quàm malè tu moriaris. Satius est deesse aliquid hæredibus tuis de patrimonio, quàm tibi de salute. Inspice rationes tuas. Vide, quid in æterna patria, quid hic possideas. Ex omnibus rebus tuis id solum in morte reperies, quod per manus pauperum in cœlum præmisisti. Argue infidelitatem tuam. Invadere domum hostis potest, cœlum non potest.

CAPUT XXII.

DE PRUDENTIA. EJUS NECESSITAS, ET DIFFICULTAS. OFFICIUM VIRI PRUDENTIS.

4. Ut architectis nullum opus rectè procedit sine linea, et libella; ita nec nobis sine prudentia. Hæc norma cæterarum virtutum est, recta ratio agendorum, oculus animæ, et ars vivendi. Non potest esse jucunda vita, à qua absit prudentia. Hanc artem difficillimam esse omnes fatentur. Sed et obscura est. Oritur ex eo difficultas; quod intrâ considerationis suæ ambitum res omnes tam universas, quàm singulares complectatur: ac deinde, quod nullus sit certus status rerum humanarum; quæ cum sint variæ semper et contingentes, atque à diversis pendeant circumstantiis, non est cujusque ingenii, certam in illis statuere normam, et quæ

non rarò repugnantia sunt, certo quodam temperamento conjungere, et miscere. Obscuritatem verò adfert caligo illa, quà rerum gerendarum causæ involvuntur. Apparent quidem earum fastigia; sed latent fundamenta. Latet etiam divinum decretum, de prospero vel infelici rerum eventu: undè fit, ut paucorum sit ista virtus. Pauci possunt quid magis expediat in quovis negotio prævidere.

2. Prudentiam gignunt usus, et memoria. Res enim singulares, quas illa regit, notæ h. mini fiunt per usum, et experientiam. Tutus eris, si tuo, et alieno credideris experimento; nec altiori rei te impones, in qua tibi tremendum, et unde cadendum sit. Ut verò omnia prudenter disponas, inspicere primùm debes teipsum; deinde negotia quæ aggredieris; tum eos, quorum causa, vel cum quibus agendum est. Et te ipsum quidem accuratè æstimabis, ne plus quàm potes tibi posse videaris. Aliquis eloquentiæ fiduciâ prolapsus est: quidam patrimonio suo plus imperavit quàm ferre queat: alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Æstimanda sunt postea quæ aggredieris; et vires tuæ cum rebus agendis comparandæ. Opprimunt onera, quæ ferente maj. ra sunt. His quoque admo-
venda manus, quorum finem aut facere aut certe sperare possis. Hominum deindè delectus habendus est, an digni sint quibus partem vitæ tuæ impendas: eorum mores examinandi; nec tibi noceas, dum aliis prodesse studes. Denique considerandum est, utrùm natura tua rebus hujusmodi agendis idonea sit; et eò inclinandum, quò te vis ingenii defert. Reluctante naturâ irritus labor est.

3. Vir prudens nihil aggreditur, quamdiù aliqua perturbatione agitur: non enim potest verum et honestum discernere concussa mens, et pravæ affectionis præstigiis delusa. Multum item prudentiæ adversatur præcipitatio, quæ in graves ac inextricabiles casus plerosque induxit. Quare prudens nil temerè agit, propriumque judicium alieno consilio subjicit. Timidæ sunt hominum cogitationes, incertæ providentiæ, rerum exitus dubii, fallaces experientiæ. Ibi salus, ubi multa consilia. Spectat quoque ad prudentem, rem denudare? et acutè introspicere, sine furo et integumentis, quæ decipere incautos solent. Sepone pecuniam, famam, dignitatem: intus rem ipsam scrutare: quære quid sit, non quid vocetur. Stultum est, simulacris et umbris falli. Tum debes veluti ex specula quidquid evenire potest explorare; ne stultum illud quodque dicendum sit: Non putaram. Ad id longa consultatio adhibenda, maturumque judicium, et subtile examen; ne prava aliqua circumstantia actionem vitiet, ne prudentia degeneret in astutiam et calliditatem, et ne in tantâ veri ac fucati boni viciniâ vitium pro virtute amplectaris. Peractâ denique electione, omnem præcide moram, statimque exequere quod decrevistis. Nullus cunctationi locus est in bono consilio; quod non potest laudari, nisi peractum. ®

CAPUT XXIII.

DE JUSTITIA, ET RELIGIONE. ACTUS UTRIVSQUE. QUID SIT
PŒNITENTIA, ET IN QUO CONSISTAT.

1. *Justitia* suprema virtus, aliis nata non sibi, quidquid habet transfundit in proximos, nihil petens ex se, nisi usum sui. Hæc homines a mutuis injuriis averlit, et mundum universum in pace constituit. Hæc tacita quædam naturæ conventio est, et vinculum societatis humanæ; nec quidquam sine illa laudabile esse potest. Vir justus neminem lædit, aliorum non vindicat, omnibus prodest, benè de omnibus sentit et loquitur, dat unicuique quod suum est, non impedit alterius bonum. Si præsit, justa præcipit, omnibus patet, propriisque utilitatibus subditorum commoda præfert: pœnis vitia coercet, præmia bonis largitur, et sic omnes continet in officio. Si subsit, servat concordiam, legibus paret, et jussis majorum, suoque statu contentus officia et dignitates non appetit, nec se rebus ingerit quæ ad se non spectant. Gratis autem justitiam colit; quia justæ actionis nullum majus præmium existimat, quam justum esse.

2. Religio moralium virtutum præstantissima, Deum immediatè respicit, ejusque cultum et honorem. Primus autem cultus est, ipsum credere et cognoscere: deindè, reddere illi majestatem suam, reddere bonitatem. Parùm est nosse Deum, quod et dæmones faciunt, qui oderunt: amor insuper et

cultus exigitur, his ex rebus constans; quæ utinam tam benè implerentur, quam sciuntur! Scis, Deum illum esse, qui præsidet mundo; qui humani generis tutelam gerit; qui universa moderatur. Ipsum solum potentem, solum bonum, solum altissimum confiteris: ab eo tanquam à summo bono, et tuo ultimo fine, perpetuam beatitudinem expectas. Cur non igitur, ut par est, cum colis? cur non summam ei exhibes venerationem? cur vilissimam terræ glebulam ei præfers? Vana est religio tua, nisi factis comprobetur. Vis verè religiosus esse? Ambula coram Deo, et esto perfectus. Satis eum colit, qui imitatur. Vera religio te Deo religat, Deum tibi. Custodi eam illibatam à negligentia, ab erroribus, à peccatis. Stultitia magna est, fidem linguâ, moribus infidelitatem prædicare. Hujus notæ homines irrisit olim celeberrimus inter Ethnicos Philosophus, dicens: Nihil gloriosius esse Christianis, cum loquantur: nihil miserabilius, cum operantur.

3. Divini juris læsi reparatrix est Pœnitentia; quæ ad peccati detestationem inclinat, cum efficaci voluntate, Deo, per illud offenso, satisfaciendi. Hæc est enim pœnitentia, præterita peccata detestari, expiare; nec amplius in ea consentire. Præterit quod delectat; restat quod arguit, quod torquet, quod damnat. Quid prodest transactam fœditatem abscondere? Nemo nocens se judice absolvitur. Tribunal quoddam à natura in ipsa mente humana constitutum est, ubi unusquisque sui sceleris accusator est, et testis, et judex. Hic cogit animum et sensus tuos quotidie adesse, ad reddendam rationem. Die apud te causam; et, quantum

potes, te ipsum coargue. Totum diem tecum scrutare; omnia dicta et facta tua, atque ipsasmet cogitationes remetire, nihil abscondens, nihil transiens. Si agnoscis iniquitatem tuam, ignoscit Deus: si fateris, mederis. Quid refert neminem scire vitium tuum, cum tu scias? an utilius tibi existimas, damnatum latere, quam palam absolvi? Ubi cumque lateas, conscientia tecum est; non potes eam effugere. Miserrimus es, si hanc aspernaris.

4. In tria tempora vita dividitur, quod est, quod fuit, et quod futurum est. Præsens momentaneum est, antè desinens quam veniat? futurum nondum est: at præteriti dies aderunt omnes, cum jusseris, et ad arbitrium tuum se inspicere patientur. Ne timeas memoriam tuam; ne erubescas te in præteritum retorquere, erroresque tuos tibi exprobrare. Quò frequentius id feceris, eò citius emendaberis. Ipse de te vindictam sume, nec ea iterum admittas, quæ fecisse te plangis. Plerique liberati à naufragio, exinde repudium et navi et mari dicunt, Deique beneficium periculi memoriâ honorant. Hanc bonam sollicitudinem in te esse cupio; ne iterum experi velis, quod semel timuisti. Grande periculum evasisti: ne te iterum discrimini exponas. Toties percipit Deus, quoties deliquisti: cave, ne idcirco deterior fias; quia Deus bonus est. Quid facturus sis, cogitas aliquando: cur non potius, quid feceris? Nam consilium futuri ex præterito venit. Multi ad sapientiam pervenirent, nisi jam putarent se pervenisse. Nisi te quotidie emendes, quotidie deterior eris.

CAPUT XXIV.

DE PIETATE, ET OBSERVANTIA. OBEDIENTIA COMMENDATUR, ITEMQUE GRATITUDO. QUOMODO ACCIPIENDUM, ET REDDENDUM SIT BENEFICIUM.

4. Nullâ vi verborum exprimi potest, quam laudabile opus sit, posse hominem dicere: Parentibus meis cessi, et parui semper: eorum imperio, sive æquum, sive durum fuerit, obsequentem et submissum me præbui: bonum patriæ civem me semper exhibui: fratribus et consanguineis bene facere nunquam cessavi: omnes vincere beneficiis conatus sum. Hæc sunt nimirum Pietatis officia, quibus debitum tribuimus cultum patriæ, parentibus, fratribus, et aliis sanguine conjunctis. Quod verò pietas erga cognatos, id præstat observantia erga Prælatos, Principes, Præceptores, et alios, qui aliquo modo nos antecedunt dignitate, sapientiâ, ætate, religione, et sanctitate. Solemus enim coram illis assurgere, caput aperire, viâ decedere, equo aut vehiculo desilire, ad genua provolvi, manus aut vestes osculari, aliaque honoris signa pro more patriæ exhibere. Hæc autem omnia profuso ac reverenti animo præstabis, si præcesserit in intellectu magna sublimitatis illorum æstimatio. Nam hinc oriatur in voluntate fuga quedam et metus, quo percussus nimiam cum illis familiaritatem declinabis, atque ab eorum magnitudine in tuam quodammodo resilies parvitatem. Omnis potestas à Deo

est. Quicquid præstiteris majoribus tuis, infra debitum honorem erit, si Deum in illis consideraveris.

2. Ut ex primi parentis inobedientiâ omnis calamitas exorta est, sic per obedientiam filii Dei ad felicitatem reducti sumus, si et nos obedientiam servaverimus. Obedientia rerum omnium perfectio est, earumque cum suo principio firmissima connexio. A Deo enim in Deum admirabili circulo cuncta deducit. Hanc Christus præ cæteris virtutibus commendavit, qui ne eam perderet, perdidit vitam. Hæc melior dicitur esse quàm victimæ, quia per eam propria voluntas mactatur. Suscipiendum est autem Superioris edictum, velut emissa divinitus vox, nullâ quæsità præcepti causâ vel motivo. Nescit judicare, qui perfectè didicit obedire. Moneat Superior, jubeat lex, dicat quid me velit facere; non disco, non disputo, non excuso: sed simpliciter et velociter pareo, paratus ad omnia, seu facilia seu ardua, pari gaudio et promptitudine exequenda. Unum est, in quo refractarius et contumax esse potes, si quis nimirum à bono te retrahat, et adversus Dei legem impellat. Cætera omnia constanter et sine murmure exequi debes.

3. Gratitude debitum respicit ob acceptum beneficii. Nihil autem magis præstandum, quàm beneficii æstimatio; si non ex rei magnitudine, saltem ex animo, et affectu donantis. Tum jugis benefacti memoria necessaria est, quæ semper animo hæreat. Gratiam referre nequit, nisi qui meminuit: et qui meminuit, jam refert. Hoc non exigit opes, non operam, non felicitatem; in promptu omnibus est. Ut desint vires, nunquam deerit voluntas, quâ

rependere etiam Regibus potes. Cùm ab aliquo accipis beneficium, hilaris accipe, et gaudium profiteri, quod sit danti manifestum; ut muneris sui fructum capiat. Justa lætitiæ causa est, lætum amicum videre; justior, fecisse. Qui gratè beneficium accepit, qui libenter et benignè primam ejus pensionem solvit. Nunquam voluit gratus esse, qui beneficium tam longè projecit, ut extrâ conspectum sit. Qui illud extollit, qui se negat gratiam referre posse, jam reddidit. Qui fastidiosè accipit et negligenter, parvi facere illud videtur. Qui vix indicat se sensisse, vix labia deducit, ingrator est, quàm si taceret. Vir bonus, dum accipit beneficium, de reddendo statim cogitat. Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis? Nec mensurâ pari, sed uberiori reddendum; sicut terra suscepta semina majori cumulo restituit. Cave tamen, ne in gratiæ relatione nimium festines. Quidam, cùm aliquid minusculum missum est illi, aliquid subindè intemptivè remittunt, et se nihil debere testantur. Rejiciendi hoc genus est, cùm munus munere subito expungis.

CAPUT XXV.

DE VERITATE, EJUSQUE USU. SIMPLICITAS LAUDATUR. AC
TUS FIDELITATIS.

1. In omni sermone, gestu, et scriptura, aliisque signis externis veritas sit. Non decet Christianum hominem labium mendax. Muliebri vitium et plebeum est, aliud pectore clauderè, aliud ore pro-

ferre. Vir generosus res simpliciter enuntiat prout sunt : non exaggerat, non amplificat, non decipit, non simulat, verborumque ambages et involucra devitat. Simplicita verba veritas simplex amat. Vult nuda videri; quia innocens est. Qui verò mentitur aut fallit, rem duplici sermone obscurat, ut lateat. Odit lucem qui male loquitur, sicut qui male agit. Cave itaque, ne ut vestitum, sic sententiam habeas, aliam domesticam, aliam forensem : ne in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. Ab hoc vitio abhorret ipsa natura. Pueros vide, nondum ratione utentes. Mendacium inter prima probra obijciunt; et quamvis levitate quãdam assumant, tamen insitã judicii rectitudine dampnant. Qua in re Dei providentiam admirari oportet, quæ virtutes animo inserit, sine quibus vita et societas stare non possunt. Omnium autem perniciosissimum est mendacium vitæ. Nam si omnem sermonis falsitatem abominaris, tanquam sublimi animo indignam; cur ipse mendacium esse, et vivere non formidas? Magna res est, unum hominem agere.

2. Simplicitas, parum hominibus cognita virtus, tantæ est dignitatis, ut eã Deus magnoperè delectetur : nam *cum simplicibus sermocinatio ejus* (1). Simplex enim ille et integerrimus cum sit, simplices esse vult animas, quæ ad se conveniunt. Est autem simplex, qui in varia non abit : qui sine duplicitate et hypocrisi talem se exterius exhibet, qualis interior est : qui proprios defectus, cum fert occasio, candidè et sincerè fatetur : qui malitiã parvulus est, et omnem politicam agendi rationem detesta-

(1) Prov., iii, 32.

tur : qui non exclusã prudentiæ circumspectione, fidem in omnibus esse arbitratur, malum de nemine suspicatur : qui stultus apud homines videri non refugit, ut sit sapiens apud Deum : qui ab omni multiplicitate alienus, simplici intentione Deo placendi, cuncta operatur. Quid turbaris ergã plurima, infelix astutia? Unum est necessarium; ut ad eum pervenias, qui unus et simplicissimus est. Nunquam pertinges ad metam, si duplici graderis viã.

3. Fidelitas, inter maxima et præcipua humani generis bona, colenda est : hæc enim sublata tollitur usus commerciorum, dissolvitur amicitia, fœdera dissociantur, universa Respublica perturbatur. Rara tamen et ista est, ac fere mundo incognita virtus. Passim accusant humanam perfidiam tot ad contractus adhibiti testes, tot stipulationum firmamenta, tot interpositæ industriæ : quæ nihilominus vix sufficiunt, ut firma maneant pacta et conventa. Adeo plerique sordidi sunt, ut sanctior sit illis quæstus quam fides. O turpem humano generi publicæ fraudis ac nequitie confessionem! Nemini credimus sine teste, sine sponsore : et tutius in tabulis, quam in animi sacrario, fidem custodiri arbitramur. Cæterum vir fidelis quocumque opus promissum constanter exequitur, commissã sibi secreta nemini pandit, datam fidem etiam hostibus servat, ipsamque regnis ac vitæ præfert. Tardè quidem promittit, quia celeri sponsioni celerem incumbere penitentiam novit : sed si semel spondit, non fallit, non violat, nisi fortè rerum status mutetur, aut peccandi periculum incidat. Neminem obligat promissio, quæ non potest sine scelere adimpleri.

CAPUT XXVI.

DE AMICITIÀ, QUIBUS OFFICIIS SIT COLENDÀ. PRÆCEPTA
 QUÆDAM, AD MUTUAM CONVERSATIONEM PERTINENTIA.

1. Nilil magis ad humanam vitam necessarium quam amicitia; nihil commodius, nihil jucundius. Ea est mutua duorum benevolentia, in virtute fundata, et bonorum communicationi conjuncta. Quantum hoc bonum est, ubi præparata sunt pectora, in quæ tutò secretum omne descendat; quorum conscientiam minus quam tuam timeas: quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quid dulcius, quam hominem habere, cui confiteri non timeas si quid deliqueris; cujus vel solus occursum prosit tibi? Minuta quædam animalia cum mordent non sentiuntur: adeò tennis est illis et fallens in periculum vis; tumor indicat morsum: idem tibi eveniet in boni amici conversatione, non deprehendes, quemadmodum, et quando tibi prosit; profuisse deprehendes. Vera autem esse amicitia nequit, nisi reciprocus interveniat amor: sed amare principaliter est, quam amari; atque ideò benevolentia pro fundamento statuitur, reclamatio connotatur. Vera item amicitia est, et Christi glutinò copulata, quam non utilitas rei familiaris, non sola corporalis præsentia, non mendax obsequium, non fallax adulatio, sed Dei timor, et divinarum studia

litterarum conciliant. Solida in malo amicitia esse non potest.

2. In eligendo amico magna cautio adhibenda, juxta illud quod vulgus ait; multos salis modios simul edendos esse, ut amicitia munus expletum sit. Sunt autem quatuor in eo probanda, cum quo inire amicitiam cupis. *Fides*, res difficillima, cujus sola ferè umbra in terris reperitur; ut te et tua ei tutò committas. *Intentio*; ut amicitia finem honestum habeat, et res divina non transeat in turpitudinem. *Discretio*; ut scias quid præstandum illi, quid ab eo petendum. *Patientia*; ut paratus sit animus, quæcunque adversa pro amico sustinere. Hæc cum in illo probaveris, explorare insuper debes, prioribus amicis quomodo usus sit: nam talem in te futurum sperabis, qualem cæteris se præbuit. Fides amicus vivus thesaurus est, magnâ servandus curâ; magno, si pereat, fletu lugendus. Beatus es, si talem habes, qui te diligat, non tuas opes, non mensam, non ingenium: qui errantem corrigat, cadentem sublevet, currentem adhortetur. Similem illi non invenies, quacunque cæli ambitus pateat. Multi sunt, qui dicuntur amici: eorum qui verè sint, paucissimi numerantur. Nemo alterum gratis amat. Qui se spectat, qui res externas sibi pro fine proposuit, verus amicus non est. Tandem te diliget quamdiu utilis ei fueris. Sublata mensa deficit; atque ut cepit, sic desinet. Vera amicitia tibi maximè deest, ubi creditur abundare.

3. Sicut Medicus, carissimum sibi ægrotantem curaturus, nec ferro, nec igni parcat; ita erga amicum correctione indigentem te gerere debes, liber-

rimè, audacter, constanter, nihil negligendo, aut dissimulando. Damnabile est obsequium, per quod vitia foventur. Sit autem admonitio secreta, adsit ei omnis suavitas, careat omni verborum acerbitate. An aliquis tibi in amicitiam recipiendus sit, diu delibera: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam liberè cum eo loquere, quàm tecum. Ita quidem vivere debes, ut nihil illi committas, nisi quod inimico committere possis: sed quia interveniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, omnes curas cum amico, omnes cogitationes misce. Quidam, quæ solis amicis committenda sunt, obviis narrant, et in qualibet aures quicquid urit exonerant: alii etiam carissimorum conscientiam reformidant, et intra pectus omne secretum premunt, nec sibi quidem credituri, si fieri posset. Utrumque vitium est, et omnibus credere, et nulli, sed alterum honestius, alterum tutius. Quod si cupis sine periculo cum omnibus loqui, id facile assequeris; non occultando, quæ feceris, sed nihil faciendo, quod velis occultum esse.

4. Affinis amicitia est affabilitas, quæ humanam conversationem moderatur; in qua servanda modestia est, servandum silentium. Multa decet audire virum probum, pauca loqui. Vitiosum est, velle potius sciri, quàm scire; cognosci, quam alios cognoscere; proprias merces inutiliter prodigere, quàm sibi alienas comparare. Assuescere oportet eorum cum quibus vivis verbis et moribus incompositis: et quia multi multa loquentur falsa, inepta puerilia, nihilque ad rem pertinentia, hæc prudenter dissimulabis. Animi abjecti, ac muliebri-

est, cum iis dumtaxat versari velle, qui cedant, applaudant, et adulentur. De te rebusque tuis parcius loquere: tuæ sententiæ ne pertinaciter inhæreas, et à verbis elatis abstine, quæ auctoritatem et magisterium sapiant. Cum quidpiam contra decorum occurrit tibi, in te regressus teipsum interroga, an et tu tali vitio labores: tum ex omnibus quæ audis et vides, aliquid semper ad tuum profectum excerpe. Benè tecum agitur, si ex alieno peccato tuum emendas.

5. Cum tibi aliquid occurrit insolitum, inopinatum, et ab usu, tuæ patriæ abhorrens, ne id continuo reprehendas: nam levis animi indicium est, aliena mirari, et ridere, et suo servire municipio. Res æstimandæ prout sunt, non ut videntur. Vultus omnia æstimat ex novitàate, difficultate, artificio, raritate, pompâ, rumore, et extrinseco apparatu: sapiens intrinsecum rei pretium, et honestatem respicit; eaque omnia spernit, quæ plebs insana admiratur. Quidquid acciderit, penes te est, ut fructum ex eo capias. Noli te coarctare, et limitare proventum tuum. Licet tibi personam obducere, et actores fabulæ imitari. Illi dum flent, non dolent; dum emunt, non possident; jubent sine imperio, objurgantur sine vindicta, objurgant sine ira: agunt, scilicet, alienam vitam. Utinam et tu sic in aliorum societate te geras, sine affectu, et proprietate! Magnum theatrum mundus est, in quo tot histriones, quot homines sunt. Cura autem, ut, quantum fieri potest, spectator sis, non actor fabulæ. Qui spectaculum sui in scena exhibent, laborant; qui spectant, rident et delectantur.

CAPUT XXVII.

DE LIBERALITATE. QUID SIT, ET QUALITER EXERCENDA.
 QUOMODO DIFFERAT A MAGNIFICENTIA.

Non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum; qui nec dare scit, nec servare; qui non donat, sed projicit. Liberalis est, qui recè dat et rationabiliter, et pro modo facultatum, quantum decet, impendit, quando et quibus oportet, non suum sed alienum spectans emolumentum. Porrò liberalitas virtus est beneficiorum erogatrix, quæ circâ pecuniarum largitionem et acceptionem versatur: sed largitio principaliter intenditur; quia præstantius est dare, quàm accipere. Sufficit autem voluntas, cum tribuendi facultas deest; imò hæc maxime attenditur, ut non solum prosis, sed velis prodesse. Nemo fluminibus, aut mari gratias agit, quod navigia patiantur: neque arboribus, quod fructus ferant: nec vento, quod secundus aspiret: nam licet hæc omnia beneficia sint, illis tamen deest benefaciendi voluntas. Quod verò alicui donandum est pretium à celeritate sortitur. Sunt nonnulli, qui dum aliquid donant, gratiam omnem corrumpunt, avertendo vultum, obducendo frontem, et in alterum diem differendo. Sic amicem dilatione lassant, torquent expectatione: cumque proprium sit libenter donantis citò dare, qui diu noluit, non ex animo largitus est. Properat omnis benignitas, et jucundum est munus, quod obviam venit.

2. Non potest quisquam beatè degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitatem suam convertit: alteri vivas oportet, si tibi vivere optas. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista, quæ ferreis claustris custodis, quæ ex alieno sanguine rapta tuo defendis, tua non sunt. Deposita apud te fuerunt, et jam ad alium dominum spectant. Aut hostis illa, aut hostilis animi successor invadet. Quæris, quomodo facias tua? Donando. Quid est hoc, quo te divitem putas? Domuncula, pecunia, agellus: si donaveris proximo, beneficium erit, virtus erit, quæ tecum in æternum manebit. Tunc pretiosa est pecunia, cum usu largendi desinit possideri.

3. Quia tenui impensâ fieri magna non possunt, ut mediocres sumptos liberalitas regit; ita splendidos et magnos Magnificencia. Hæc duæ virtutes, cætero similes, hoc discrepant; quod illa etiam in parvis, hæc non nisi in magnis et luculentis apparet. Cui res angusta domi est, liberalis esse non potest: laudem verò magnificentiæ ille solus assequitur, cujus opulentia spectabilis est. Hæc propriè in operis admirabilitate conspicitur. Si quis enim magni pretii gemmam in usum rei divinæ largiatur, eximiè potius liberalis quàm magnificus dicendus erit: sed si pretio gemmæ sacrarium, templum, aut aliud splendidum ac mirabile opus extruxerit, magnificus nuncupabitur. Operum verò nomine, in quæ magni sumptus conferri possunt, ea intelliguntur, quæ pertinent ad publicam hilaritatem, et ad quædam hominis officia splendide præstanda. In his decoris ratio habenda est, respectu operantis, et fa-

cultatum. Non est magnificus, qui plura quam habeat profundit: qui aere alieno se et suos gravat; ut magnificentiae laudem consequatur. Verè liberalis et magnificus ille est, qui quod donat et expendit, detrahit sibi.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
CAPUT XXVIII.

DE FORTITUDINE. QUÆ SINT EJUS OFFICIA. MORTEM A VIRO
FORTI CONTEMNENDAM ESSE.

1. Molles sunt hominum animi, debilisque natura; quam idcirco fortitudine armare oportet, ne periculis deterriti ab honestate recedamus. Duplex ejus officium est: unum, idque præcipuum, labores atque pericula sustinere; alterum, eadem aggredi cum oportet. Vir fortis non se temerè malis ingerit, sed adventientia constanter fert: non appetit formidabilia; sed spernit: ibi extollitur, ubi cæteri deprimuntur: ibi stat, ubi alii jacent: non illum subigit dedecus, non repulsa, non exilium, non injuriæ: non eum carcer, non tormenta, non ipsa mors exterrent: omnem luctum, omnem ægritudinem, omnes molestias magnitudine suâ elidit: non se minis aut precibus à recto detorqueri permittit: non despondet animum, etsi plura benè ceptis obsistant impedimenta: non cedit oneri, nec cum officio semel suscepto luctatur; sed persistit, donec perficiat: stat rectus sub quolibet pondere: nulla illum vis, nulla potentia, nullus terror minorem facit: periculis undique imminentibus non allidit virtutem,

nec abscondit. Quò tendat, semper attendit, non quid patiatur.

2. Sicut secundo navigans vento variis se subsidiis munit, quibus tempestatem excipiat: sic utile erit tibi, donec prospera est fortuna, quærere præsidia, quibus adversam fortiter feras. Finge tibi jam advenisse, quidquid sinistri contingere potest, orbitatem, naufragium, exilium, vulnera, tormenta, morbos, calumniam, contumeliam: atque ita te compara, ac si jam in discrimine versareris: ut hoc quasi præludio excitatus, dicere possis in omni eventu: Hæc jam animo præcipi, jam prævidi, et contempsi. Ab æterno constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magnâ varietate singulorum vita distingui videatur; summa in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid indignaris? quid quereris? etsi omnia tua pereant, nihil perit de tuo. Satius est dare, quod repetit Deus, quam cogi ad solvendum. Virum sapientem etiam in tormentis beatum fore ipsemet Epicurus edocuit. In Phalaridis, inquit, tauro si fuerit, dicet: Quam suave est hoc, quam hoc non curo! Magnum quidem effatum; sed nobis non incredibile, apud quos extant tot Martyrum exempla, quorum in pœnis constantia, in flammis alacritas tanta fuit, ut nullo modo sentire tormenta viderentur. Volenti, et Deum amanti omnes pœnæ deliciae sunt.

3. Nullibi clariùs fortitudinis præstantia elucet, quam in mortis discrimine. Difficile est animum perducere ad contemptum vitæ; cujus amore ita plerique tenentur, ut nihil eâ felicius, nihil pretiosius æstiment. Sed si sapiens es, ut te esse oportet

tet, desines inter mala numerare mortem, quæ finis malorum est, et initium vitæ. Æquo animo exire debes, rediturus. Mors invictam necessitatem habet; eam timere dementis est: dubia enim sunt quæ metuuntur, certa expectantur. Considera, nec pueros, nec mente lapsos timere mortem. Turpissimum est autem, si eam tibi securitatem ratio non præstat, ad quam stultitia perducit. Cum exceptione mortis data est vita: vivere noluit, qui mori non vult.

4. Gratificata est nobis natura, cum ad certum tempus usuram spectaculorum suorum concessit: jam exacto tempore discedendum est. Quis sapiens ad extremum spiritum redactus, si rursus ei vita concederetur, vellet iterum materni uteri ergastulum subire, resumere amentiam infantiae, metos puerilitatis, juventutis pericula, curas virilitatis, labores senectutis? Nemo tam feliciter vixit, cui placeret iterum nasci. Attende igitur quò properes, et à quibus discedas. Posses vitæ hujus exitum non timere, si alterius ingressum sperares. Hæc est causa timoris tui; quia inanis bonorum es, quorum incipis in fine vitæ desiderio laborare. Alioquin non trepidares in limine æternæ felicitatis. Viro justo supplicium esset nasci, nisi mors sequeretur.

5. Nemo mortem lætus exceptit, nisi qui ad illam se diu composuit. Effice eam tibi assiduâ cogitatione familiarem, ut venientem alacri animo excipias. Ut satis vixeris, non dies faciunt, non anni; sed animus exire gestiens, et ad originem suam revolare. Diu vixit, qui benè moritur. Benè mori-

tur, qui benè vixit. Vis mortem tibi tranquillam parere? Assuesce ex alto cuncta despiciere. Non potest mortem timere, qui jam plura sibi eripuit: quam rapiat mors. Vis tibi vitam jucundam facere? Omnem pro illa sollicitudinem deponere: ad omne genus mortis paratus esto; sive gladius vitam, sive febris abrumpat, nihil tua intersit: vitam sic institue, ut liceat tibi quotidie dicere, Vixi. Ille securus vivit, et lætus moritur, qui se singulis diebus effert; cui concessum est vivere vitâ peractâ. Non potes benè vivere, nisi quotidie moriaris.

CAPUT XXIX.

DE MAGNANIMITATE. VIRI MAGNANIMI DESCRIPTIO.

1. Magnum aliquid ipso nomine sonat Magnanimitas, excelsa virtus; cujus robustissima vis est, semperque tendens ad magna. Sine hac irritus cadet omnis conatus reliquarum virtutum: nam cum multæ in earum exercitatione occurrant difficultates, adversus eas mens erigi, et contra audientior ire debet: nec prius absistere, quam perruptis interpositis obicibus, ad boni sibi propositi adeptionem generosè pertingat. Hoc præstat homini Magnanimitas: quæ ad magna et heroica opera semper inclinat; Deique ope subnixâ, securè ac promptè res quasque difficiles aggreditur. Audendum est aliquid, si vis aliquid esse. Non potest parvo res magna constare. Magna res est homo, cum verè est homo.

2. Magnus animus ad magna semper aspirat, eaque omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus optat. Opera quidem efficit, quæ multo honore sint digna; sed ipsum honorem, et denegatum non ambit, et spernit oblatum, nisi aliter exigant Dei honor, et obedientia. Nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: recteque facti non ex populî sermone mercedem, sed ex facto petit. In edito stat semper, excelsus, insuperabilis, par sibi in omni rerum statu: nec locis altioribus se ingerit, contentus magnitudine suâ. Super omnia eminent omnium dominus; et ideò nulli se submittit, neminem rogat; quia extrâ se nullâ re indiget. Nihil est quod ipsum terreat, aut incurvet. Se profert, et spectari vult non vanitatis studio, sed attento gradu, in quo degit, et Dei donis, quibus refulget. Stat tamen cum his inconcussa humilitas summa coram Deo; quia omnia bona sua, omnemque gloriam in ipsum refundit, pro certo sciens, se ex se ipso nihil habere, nihil posse, nihil esse. Hoc est virtutis fines agnoscere, de se suisque rebus humillimè sentire; iisdem tamen habitos honores salvâ modestiâ non repudiare. Sequi debet gloria, non appeti.

3. Excipit adverso pectore omnia adversantium tela, nihil reluctans; ut ad summum virtutis fastigium perveniat. Cum viris mediocribus et infimis modestum se ac moderatum exhibet: coram Principibus et opulentis nec se projicit, nec adulatur, nec eorum potentiâ suam opprimi sinit libertatem. Quæ odio vel amore digna sunt, apertè odit, apertè amat: quæque palâm dici vel fieri debent, liberè

loquitur et operatur; quia nihil timet aut sperat. Facit eadem, quæ cæteri hominum, sed non eodem modo, atque ideò utitur dissimulatione in vulgus, nec se facillè populo miscet. Non meminit injuriarum; et in his, quæ necessariò perferenda sunt, nec querulus, nec supplicans est. Paucos laudat, nec ipse laudari optat, sed facere laude digna. Non vivit alterius nutu, nisi amici et Superioris: neque facillè admiratur, quia nihil illi magnum, vel novum videtur. In omni casu se ipso tutus, nullis rerum movetur eventibus. Motum habet tardum, vocem gravem, orationem stabilem ac sedatam: non enim festinat, qui paucis rebus studet; nec vehementer contendit, qui se ipso contentus est.

CAPUT XXX.

DE PATIENTIA. EJUS OCCASIONES, ET EFFECTUS. INDICIA VERE PATIENTIÆ. AD OMNIA MÅLA FERENDA PARENESIS ET DOCUMENTA. NECESSITAS PERSEVERANTIÆ.

4. Patientia est virtus, quâ mala hujus sæculi æquo animo sustinemus. Quia verò hæc mala plurima sunt; variâ sortitur nomina, pro varietate malorum, in quibus sustinendis versatur. *Patientia* propriè dicitur, cum injurias fortiter excipit: *Æquanimitas*, cum in ferendâ jacturâ bonorum exteriorum occupatur: *Longanimitas*, cum pectus munit adversus rei expectatæ dilationem: *Constantia*, cum firmat voluntatem ad alia quæcumque mala, propria et aliena, privata et publica toleranda.

Nulla est virtus, cujus exercendæ crebriores incidant occasiones. Tot enim irruunt malorum agmina, tot nos obsident adversarii; ut rectè dictum sit (1), Militiam esse vitam hominis super terram. Nullum penè momentum labitur, quo strenuè dimicandum non sit. Ut desint externi hostes, satis sibi quisque infestus est. Ex nobis, et in nobis nascuntur, quæ nos cruciant et exercent. A fletu auspiciamur vitam, rudes ad omnia, nisi ad lacrymas. Hoc primùm discimus; huic rei incumbimus usque ad mortem. Inveni plures sunt, qui non riserint: nemo, qui nunquam fleverit. Patientia itaque necessaria est, ut pectus muniat, spiritum roboret, virtutes perficiat. Nemo potest cognoscere quantum valeat, nisi tribulationibus exerceatur. Non est sapiens, qui non est patiens.

2. Malè est homini, qui nunquam adversam fortunam expertus est. Aiunt Medici, nihil magis metuendum, quàm nimis bonam habitudinem; sed et nautis nimia malacia suspecta est. Si te verberat et lacerat calamitas, non est sævitia sed certamen. Nisi dimices, non vinces; nisi viceris, non triumphabis. Quod si oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (2), tu præsumes alienæ felicitatis particeps fieri absque ulla tribulatione? Erras toto cœlo, si aliam tibi viam fingis, quàm migres ad Cœlum. Virtutis sacramenta hæc sunt, bona facere, et mala pati. Indicia verò jam adeptæ patientiæ sunt, aliena mala æquanimiter ferre, inter flagella Dei non murmurare, eorum qui mala inferunt consortium non fugere, inter contumelias ab

(1) Job., vii, 1. — (2) Luc., xxiv, 26.

odio custodiri, divinæ voluntati quæcumque nos angunt adscribere, in malis silere, mala inferentes diligere, ob illatas injurias soli Deo conqueri, seque illi paratum ad omnes ærumnas offerre cum gaudio et gratiarum actione. Denique verè patiens esse dignoscitur, qui erga proximi imperfectiones impatiens non est.

3. In bonorum externorum jacturâ magnum solatium est, infidam eorum conditionem perpendere. Quidquid possides, quidquid amas, naturalem retinet fugacitatem: apud te est, tuum non est. Noli tibi imaginariæ stabilitatis desiderio illudere. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum præter virtutem. Hoc unum contingit immortalibus: cætera suam mortem secum ferunt. Ergo quæcumque habes, eo loco pone, ut magnum sit inter te et illa intervallum. Viro bono nihil eripitur; quia nihil possidet tanquam suum. Cur gemis amisso nummulo, elato filio, successâ domo: perditâ autem modestiâ, verecundiâ, fortitudine, non ploras? Atqui hæc bona tua sunt, et tui juris: illa nec bona, nec tua sunt. Si doles, cum ea amittis; te dignum, qui amitteres, ostendis. Nihil te amississe putares, si nihil inordinatè diligeres. Externa sapientem non angunt, quia non tangunt.

4. Opus aliquod aggressurus, omnia ejus adjuncta considera: plura invenies, quibus turbari mens tua poterit, si non fuerint prævisa. Puerum vocas? fieri potest, ut præsto non sit, vel ut nihil agat ex animi tui sententia. Ad aliquem iturus es? fieri potest, ut inclusus sit, ut ocludantur tibi fores, ut ille te negligat. Hæc prævide, et omnia secunda

tibi accident. Ille me hodie non admisit, cum alios admitteret: sermonem meum adversatus est: me in imo collocavit: querelæ sunt nauseantis animi, in quas felices et delicati ac imprudentes incidunt. Non hæc observat, qui his non afficitur; qui scit, hæc omnia vitæ hujus tributa esse. Optimum autem est pati, quod emendare non potes. Si ejus malitiâ vel impudentiâ offenderis; cogita, an fieri possit, ut nulli sint in mundo improbi et impudentes. Quod si hoc fieri nequit; quid accidit novi, si vir malus et impudens more suo male agit? Vide, ne potiùs tu arguendus sis, qui non prævideris hunc ita peccaturum. Semper sibi constitit mundus: vitia sunt, ubi sunt homines.

5. Cum aliquâ afficeris pœnâ, attende, non quid patiaris, sed quid feceris. Si verum tibi dixeris, acrioribus flagellis te dignum fateberis. Deus est, quo auctore cuncta proveniunt. Ipse te castigat, ut sanet, ut exerceat, ut induret, et sibi præparet. Futuris malis reservat eos, quibus indulgere videtur. Undè possum scire, quantum animi tibi sit adversus paupertatem, si divitiis affluis. Undè dignoscam, quantum habeas constantiæ adversus ignominiam et odium populi, si inter plausus senescis? Audivi te, cum alios in tribulationibus consolareris: opto te audire, consolantem te ipsum, et tibi ipsi imperantem, ne doleas. Si medico urenti, et membra secanti et gratias habes, et mercedem persolvis; cur Dei medicinæ non acquiescis? Amentia est, putare damna, quæ sunt remedia. Si pauperlas, si ægritudo, et cætera, quæ mala vocas, possent tecum verbis contendere, insultarent tibi, et dicerent:

Quid mihi, homo, adversaris? Num aliquo bono meâ culpâ privaris? Prudentiâne, an justitiâ, an fortitudine? An non licet tecum læto animo esse? Bona erunt, quæ mala putas, si super ea inconcussus emineris. Magnum malum est, malum ferre non posse.

6. In alienis casibus potes aliquando constantiam dissimulare, nunquam autem in propriis. Sit tibi fletus communis cum miseris, non fletus causa. Descende, et inclina te afflictis, ut ipsos erigas. Nemo jacentem levabit, nisi se inflectat. Quia verò res omnes duplex manubrium habent, tolerabile unum, alterum intolerabile; si quis tibi injuriam fecerit, non eâ parte ipsum prehendere, quâ facit injuriam: hæc est enim ansa, quâ ferri non potest. Sed cogita, illum eodem Christi sanguine redemptum esse, ad eandem gloriam vocatum: sic eum prehendes, quâ parte tolerabilis est, et quia amicitia valde exili voce prædita est ad liberas reprehensiones; veritatem ab adversario audire semper studeas. Hic perpetuò vigilans, res tuas infensus explorat: teque facilius mala tua, quam ipsum fallent. Traducet te per vicus et plateas, animique tui morbum vel latentem, vel neglectum, ipse iratus commonstrabit. Ab hoc capere utilitatem satage, et consule salutis tuæ. Attentiùs se ipsum circumspicit, qui paratum sibi novit censorem, et adversarium.

7. Perseverantiâ virtutum omnium corona, et consummatio est. Inchoantibus præmium promittitur, sed datur perseverantibus. Ideò antè omnia hoc cura, ut constes tibi. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit: retrò relaberis, si ad ulteriora

non contendis : et si incipis stare, descendis. Constitue, quid velis, et in eo usque ad exitum persevera. Inconstantis animi est, novas quotidie exercitationes assumere, novas subinde sibi quærere sedes. Non alibi sis oportet, sed alius. Planta, quæ sæpius transfertur, tandem arescit : et remediorum crebra mutatio impedit sanitatem. Si Apostolos, vas electionis, non attendens quid antè fecisset, sed quid facere deberet, nequaquam se comprehendisse arbitratur : quid tibi faciendum erit, cui optabile foret, ut posses in fine tuo illius principio comparari? Ardor litterarum nullà ætate extinguitur : divitiarum amor insatiabilis est : expleri nescit honorum cupido. Res finem habituræ, sine fine quæruntur : divinam verò sapientiam, si vel leviter degustaveris, continuo te saturum esse putabis? Aliter te ad perfectionem invitat, qui dixit : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est* (1). Hæc meta tibi proponitur, ut locum semper superesse scias incremento virtutis tuæ.

CAPUT XXXI.

DE TEMPERANTIA. QUANTUM ILLI CONFERAT VERECUNDIA.
DE ABSTINENTIA ET CASTITATE.

1. Temperantia voluptatibus imperat, quæ ex gustu et tactu percipiuntur : adscititias et superfluas odit et abigit ; necessariis obsequitur, quan-

(1) Matth., v, 48.

tum recta ratio permittit. Ejus regula infallibilis est, solam necessitatem in his, quæ ad corpus spectant, pro mensura habere : nec unquam ad voluptates, propter ipsas, accedere. Hac virtute efficitur, ne ex homine in jumentum labaris. Ad eam plurimum confert Verecundia, frænum pravorum motuum, bonæ indolis index, custos puritatis, testis innocentiae. Si mentem tuam illa possideat, docebit te omnem timere turpitudinem, ab omni actu illicito abstinere, Dei præsentiam venerari, te ipsum ubique revereri, eamque semper diligere intelligibilem pulchritudinem, quæ in operibus temperantiæ maximè elucet. Porrò tunc verecundum te esse dignosces, cum vel ad ipsum intemperantiæ nomen expavesces, cum te parietes tui tegent, non abscondent, quos plerique circumdatos sibi credunt, non ut tutius vivant, sed ut peccent occultius. Quid autem prodest, recondere te, et oculos hominum auresque vitare? Tecum semper est Deus, qui ubique te videt : tecum conscientia, quæ ubique te accusat.

2. Usom cibi et potûs, Abstinencia et Sobrietas ; quæ verò ad tactum pertinent, Castitas et Pudicitia, moderantur. Et in usu quidem ciborum, difficillimum est, extrâ metas necessitatis non abripi. Venter præcepta non audit : poscit, appellat, et quotidianum tributum exigit. Sed quàm parvo dimitti possit, quàm modicâ stipe contentus sit, nemo recogitat. Cogimus vitis servire naturam ; famemque et sitim, quæ naturalibus remediis facile sedari possunt, variis eduliis et potionibus irritamus. Castitas quoque ardua est inter tot libidinis incentiva ; nisi ea compescat timor Dei, occasionum fuga, sen-

sum custodia, et maxima sui ipsius reverentia. Qui seipsum non veretur, nec alios vereri poterit. Vis castus esse? contine oculos; ne invitus ames, quæ incautè aspexisti. Quid fugacem et falsam creaturæ pulchritudinem admiraris? Expecta paulisper, et jam non erit. Serenam frontem squalentes arabunt rugæ, mœsta teget nubes oculorum faces, dentium ebur scaber obducat situs. Fuge etiam pravorum consortium, omnem mollitiem vita, carnem jejuniis doma, et durius tracta. Perit, qui nimium est amans sui sepulchri.

CAPUT XXXII.

DE MANSUETUDINE, ET CLEMENTIA. UTRIUSQUE OFFICIA ET PRÆSTANTIA.

1. Ut iræ impetum mitiges, necessaria est mansuetudo; ne citrà vel ultrà recti limites hæc in parte defectas. Telum naturæ est ira; quo uti licet, cum peccantes arguere et castigare ex officio teneris: cum dicat prudentia, tuam vel alienam injuriam debito modo repellendam esse; ne crescat ex impunitate reprobatorum licentia. Crudelis est, tam qui nulli, quam qui omnibus ignoscat. Cum verò, justitia exigente, puniendi sunt rei; mansuetudinis et clementiæ memor esto. Descende ad pœnas tanquam invitus; et talis esto ergà peccantes, qualis extitit ergà te Deus. Sicut ille sustinuit te, ut meliorem faceret: ita illos sustine, ut corrigantur. Despicias Medicum, si desperas ægrotum. Tam facilis est ægri

sanitas, quanta medici sapientia et benignitas. Vir mitis iracundiæ pelago velut scopulus supereminet, fluctusque impingentes dissolvit; nec pœnâ semper, sed sæpius pœnitentiâ contentus est. Clamat coacto cœtu humani generis, Salvator mundi, *Venite ad me omnes... et discite à me*: non curare infirmos, non leprosos mundare, non cæcis lumen, aut mortuis vitam reddere. Sed quid? *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum* (1). Ad hoc redegisse videtur omnes thesauros sapientiæ et scientiæ suæ; ut ab eo discamus mites esse. Tanta mansuetudinis præstantia est.

2. Ut mansuetudo iram, sic clementia punitiorem moderatur. Illa ad omnes, hæc ad Principes et Superiores pertinet. Ejus enim munus est, miltiorem pœnam, quam jura exigant, irrogare: non ex timore, lucro, amicitia, aliove motivo; sed ex animi lenitate. Non opus est, latera montium abscondere, et in arduo collis vertice arces construere: salvum Principem in aperto clementia præstabit. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit imperium. Malus Princeps invisus est: quia timetur: et timeri vult; quia invisus est. Quem verò metuunt subditi, oderunt; et quem quisque odit, perisse cupit. Vitæ regum dominus est, quisquis suam contempsit. Frustrà se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentia non est. Turpia sunt Principi multa supplicia, sicut Medico multa funera. Si rex continet vim suam, si omnes injurias et offensiones supernè despicit; si quosdam alienæ iræ, neminem impendit suæ: tunc verò se

(1) Matth., xi, 28, 29.

Regem ostendit. Magni animi est, placidum esse atque tranquillum.

CAPUT XXXIII.

DE MODESTIA. MUNUS DUPLEX STUDIOSTATIS. QUÆ REGULA IN USU EUTRAPELLE SERVANDA.

4. Modestia reliquas animi dotes mirabiliter exornat. Hæc forma honestatis est, et frænum vitiorum. Quamvis sermone taceas, habitu et gestu te prodis. Argumentum virtutis ex minimis licet capere. Vultus, risus, incessus, et flexus oculorum sæpè hominem ostendunt, qualis sit. Sic vive, ut omnes cognoscant, te ad consortium Angelorum pertinere. Serva decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce, et aspectu; ne quid in his effœminatum et molle sit, ne quid rusticum aut durum. Vera modestia ab animo in corpus, ex interna morum gravitate in superficiem emanat; ut quasi suppellectilem suam mens foris inspiciat. Vir modestus vivum Dei simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit. At hoc quàm bonum est, videri et prodesse! Spectat quoque ad modestiam, tui statûs conditionem in vestibus, suppellectili, ornatu domûs, et multitudine servorum non excedere. Animi tui impedimenta hæc sunt: quibus non tu, sed quæ sunt extra te, exornantur. Cur igitur gaudes malo tuo? cur inania miraris et impedimentorum multitudine gloriaris? Hanc servorum cohortem, quæ latus tuum cingit, rectè dixeris hos-

tilem exercitum, à quo satis cavere non potes. Quid agas nõsse volunt, non quid præcipias. Nihil humiliter eorum ingressu, nihil progressu insolentius, nihil odiosius egressu.

2. Studiositatis duo sunt munera: alterum, sciendi appetitum, qui plerumque justo major esse solet, temperare et moderari: alterum, torporem excutere, animique industriam ad necessaria ediscenda excitare. Curiosum homini ingenium dedit natura; artisquæ suæ ac pulchritudinis conscia, nos operum suorum spectatores genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta solitudini ostenderet. Sed abutimur naturæ bono, ea curiosè investigantes, quæ utilius ignorarentur. Non ille sapit, qui scit multa; sed qui sapit, quod facit ad rem. Ea primùm discenda, quæ pertinent ad salutem: cætera quò minùs legas non deterreo, dummodò quidquid legeris ad mores referas. Cave autem, ne lectio multorum librorum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari oportet et innutriri, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Lectio varia delectat, certa prodest.

3. Danda est aliquando remissio animo, et assiduo labori quies intermiscenda: non enim durabile est, quod caret alternâ requie. Legum conditores dies aliquot instituerunt, quibus ad hilaritatem publice homines cogerentur, viresque reciperent paululum resoluti et remissi. Animi verò relaxationem plurimæ actiones constituunt. Inambulatio, scilicet, in loco amœno, et aperto; ut celo libero attollat se mens, et membra vegetentur: subur-

bana ac rusticana secessio, procul ab urbium nidore et tumultu: acupium et venatio, quæ statum tuum non dedeant; et piscatio, quæ innocentior est: læta studia et mitiora, musicusque concentus, et ludus aliquis honestus: joci demum innoxii, et urbanitates, à quibus absit omnis injuria et indecentia. Sunt quidam nimium severi, osores hominum, suisque tenebris incubantes, à quibus hilaris sermo nunquam potest extorqueri. Alii jocis semper dediti, rebus seriis nunquam se applicant, nunquam se populo subducunt. Miscenda autem ista et alternanda sunt, nam solitudo desiderium hominum faciet, frequentia tedium, eritque altera alterius remedium. Odium item laboris sanabit remissio; tedium remissionis, labor. Sunt et nonnulli, qui vires suas dispensare nescientes, immoderatum in se imperium exercent. Modus illis deest. Nec intermittere studia sciunt, nec repetere. Cum se ad laborem concitant, junguntur dies noctibus; nec desinunt, nisi deficient. Rursus cum se in lusus dimittunt; se ita resolvunt, ut ad priorem consuetudinem vix retrahi possint. Sic igitur dandum animo intervalum, ut remittatur, non resolvatur. Ad hoc necessaria est Eutrapelia, quæ certos fines præscribat, quos prætergredi nefas sit. Optima quæque mala fiunt, cum quis modum excedit.

CAPUT XXXIV.

DE HUMILITATE. IN QUO CONSISTAT. DE COGNITIONE SUI. VERI HUMILIS CHARACTERISMUS.

1. A Christo venit humilitas. Ipse eam verbo promulgavit, docuit exemplo. Hæc, post virtutes Theologicas et intellectuales, inter cæteras primatum habet: removel enim superbiam, quæ est origo omnium malorum. Hæc nos amabiles Deo reddit; quia cum humilibus sermocinatio ejus. Sine hac, quæ virtutum fundamentum est, quidquid in spirituali ædificio superextruitur, nec solidum erit nec stabile. Quamvis autem ipso nomine quidpiam vile et exiguum præ se ferre videatur; virtus tamen magnorum est, quoniam est virtus perfectorum, animumque erigit ad altiora. Illustria aggreditur sine tumoris periculo, ardua sine metu difficultatis; excelsa, strenua, magnanima, eodem semper tenore subsistens. Non consistit humilitas, ut vulgus putat, in merâ sui despicientiâ et abjectione; sed in eâ moderatâ gloriæ et honoris appetitione, quæ et excessum devitet, et à defectu recedat. Appetit humilis gloriam, tanquam stipendium virtutis, animo directè in actionem intento; non propter ostentationem, sed ob solam virtutem, et quantum ipsa deposcit. Illegitimus est omnis honor, quem virtus non parit. Quia verò humilis, quæ pollet mentis perspicaciâ, æquus sui æstimator est, omnem propè honorem meritò aversatur: tum, quia novit, quam

sit exiguum, quod ipse de suo confert ad opera virtutis: tūm quia timet, ne ex debiti honoris appetitu ad indebitum captandum prolatur. Tutius est aspernari honorem, quem qui recusat, amplificat; qui spernit, auget.

2. Ideo humilis non es; quia te ipsum non cognoscis. Nulla est regio tam remota, de qua facilius credas falsa narranti. Quid est homo? Imbecille corpus et fragile, suapte naturā inerme, alienæ opis indigens, et ad omnem temporum contumeliā projectum. Massa luti, fœdum animal ad omnia mala proclive, adeo perverso, et depravato sensu, ut terrena cœlestibus, caduca æternis præferat. *Universa vanitas, omnis homo vivens* (1). Nulli animali vita fragilior, nulli rabies acrior, nulli confusior pavor, nulli major libido. Unde igitur tibi superbia, miserabilis creatura, et omnium infelicissima? Attende miseriam tuam, considera probra et dedecora tua, si qua in te superest rationis scintilla. Tunc perfectè humilis eris, cum te ipsum nosse didiceris.

3. Verus humilis se prorsus despicit: neque humilis, sed vilis vult reputari? honorem sibi debitum in Deum refert, et in omnibus de se diffidit: gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quod laudes spernit. Se ipsum considerat juxta ea, quæ ex se habet; alios verò secundum ea, quæ habent ex Deo; et sic aliis se conferens, se omnibus deteriorem arbitrat: hoc est enim ingenium humilitatis, propria mala aliorum bonis comparare; ex quo vel quilibet perfectissimus potest sine mendacio se cæteris im-

(1) Ps., xxxviii, 6.

perfectiorem existimare. Ad hæc verus humilis omni obedientiâ se subdit majori, propria desideria non perficit, defectus suos libenter delegit, omnem injuriam patienter sustinet, abjectiora quæque cum gaudio amplectitur, omnem fugit singularitatem, abstinet à multiloquio, latere desiderat et nesciri; infra se omnia ponit; se infra omnia, sequē totum intra nihilum claudit. Verecundus est et circumspectus: non loquitur, nisi cogat necessitas, idque modestè et sine risu, flere potius optans quam ridere. Cordis humilitatem corpore ostendit, defixis in terram oculis, gravi et modesto incessu cernuo vultu, ad instar rei, qui jam debeat tremendo Dei judicio præsentari. Conscius flagitiorum quæ commisit, incertasque de gratia, et dubius de salute, non audet oculos in cælum attollere; sed cum Publicano à longè stans, ferventi oratione peccatorum veniam deprecatur. Omnia denique opera sua veretur, omnia terræ bona despicit, omnem calcat mundi pompam: totum enim mundum nihil putat, qui se credit nihil esse.

CAPUT XXXV.

DE STATU PERFECTORUM. IMAGO VIRI PERFECTI. FINIS VITÆ PERFECTÆ, UNIO CUM DEO.

4. Perfectus ille dicitur, cui nihil deest. Quid autem potest illi deesse, qui purgatus à peccatis, emundatus à vitiiis, ac virtutibus exornatus, Deo suo intimè adhæret, et unus cum eo efficitur spiritus in


aeternum? Hic est apex Christianæ perfectionis: hic finis ultimus, ad quem tendere debes. Cum enim quælibet res tunc perfecta censeatur, cum fini suo copulatur, finis autem tuus Deus sit; tunc demum te perfici necesse est, cum perfectè Deo adhærens ad eum redis, a quo existi. Perfectus autem sine speciali Dei auxilio nemo est. Et quia pauci inter mortales ad singularem Dei illapsam recipiendum mentis apicem disponunt; ideo paucorum perfectio est. Paucos singula sæcula protulerunt.

2. Virum perfectum illum esse dices, quem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in ignominia beatum, in mediis tempestatibus placidum, quidquid cæteri timent optantque ridentem, omnia tanquam minora transeuntem, nullo hono nisi suo nitentem, semper liberum, sibi semper constantem, sui semper similem, erectum, excelsum, vacuum sui, et plenum Deo: cui bona sua nulla vis exculit, qui mala in bonum vertit, qui nulla re frustratur, nullo læditur casu: qui pretia rebus non ex opinione, sed ex natura imponit: qui super omnia eminens, toti mundo se infert, et in omnes ejus actus contemplationem suam extendit, semper tranquillus et inconcussus: qui majore sui parte illic perpetuò commoratur, unde descendit. Sicut radii solis, quamvis terram contingant, illic tamen sunt, unde mittuntur; sic vir perfectus nobiscum quidem conversatur, sed optimâ sui parte abest, et fini suo semper adhæret. Talis est animus ejus, qualis mundi status supra lunam: semper illic serenum est. Rerum defectus ignorat, varium animum nescit, omnia sæcula illi

serviunt, æqualiter tanquam sol universa perlustrat, atque omni multiplicitate rejectâ in simplicissima unitate quiescit. Nihil optat, nihil quærit extra se, non habens necesse longiùs accessere felicitatem, quam corde inclusam gerit. Soli Deo operatur, soli Deo vivit, semper abire paratus. Hanc amussim adhibe vitæ tuæ: et intelliges, quàm procul absis à perfectione.

3. Res ista major altiorque est, quàm ut possis ad eam pertingere, nisi ille te sursùm trahat, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* (1). Sed et præviæ dispositiones necessariæ sunt. Finis vitæ perfectæ, intima cum Deo unio est: et quia ille habitat lucem inaccessibleem, ad eum nunquam accedes, nisi tenebras creaturarum à te expellas. Non potest homo divinæ consors naturæ fieri, nisi se ipsum, et omnia creata, mente et affectu transcendat. Omnis vel minima cuicumque rei adhæsiō, echeneidi exiguo pisciculo similis est; qui si navim mordeat, eam sistit et detinet in medio cursu. Non aliter plerisque animabus contingit; quæ velut naves, cœlestibus divitiis onustæ, beatæ unionis portum feliciter attingerent, nisi aliquâ vitiosa affectione detinerentur. Deus unus et simplicissimus est: nunquam poterit anima unioni apta esse, nisi una et simplicissima efficiatur. ®

(1) Joan., xv, 5.



VIA COMPENDII AD DEUM,
PER MOTUS ANAGOGICOS, ET ORATIONES
JACULATORIAS.

LIBER ISAGOGICUS AD MYSTICAM THEOLOGIAM.

AUCTORE

D. JOANNE BONA,

ROMANÆ ECCLESIE TIT. S. BERNARDI AD THERMAS PRESEBYTERO,
CARDINALI ORDINIS CISTERCIENSIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. S. DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VII.

SUMMO PONTIFICI

JOANNES BONA F.

Exiguum hoc munus, Beatissime Pater, pedibus tuis advolvere demississima veneratione ausus sum, post diuturnam fluctuantis animi trepidationem. Ut enim me allaciebat sanctitatis tue dudum nota benignitas; ita multum deterruit augustissimæ dignitatis, qua proxime ad Deum accedis, veneranda Majestas. Vicit tandem incertum quid concilii caperem incomparabilis clementia tua: nam me prorsus immerentem et nihil tale cogitantem e celsissimi throni fastigio respicere ad conspectum tuum evocare et honoribus augere dignatus es; ut jam ambigere nefas sit, quin ea humanitate, qua me excipere voluisti et hunc minimum ingenii mei sætum prosequaris. Accedit argumenti sanctitas, ob quam futurum confido, ne tibi prorsus displiceat hæc qualiscunque lucubratio. Viam enim describo quam tu feliciter ecurristi, quam e specula Apostolici culminis toti orbi christiano demonstras, quam te auspice arripient omnes qui Divinitatis illapsu digni fuerint. Et quia Isagogen hic trado ad mysticam Theologiam, felicitatis mee erit, si tuo præsidio munita in lucem prodeat. Paucis siquidem nota mysteria à profanorum criminacionibus tuâ auctoritate tueberis: eisque fidem, quam imperiti abuegant, tuâ experientia conciliabis. Deus Optimus Maximus diu te servet incolumem, Sanctissime Pater: et Pontificium tuum omni honore et virtute locupletet.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Multum luctatus sum, Christiane Lector, mecum cogitans, et animo volvens, quidam potissimum in hoc vestibulo tecum colloquerer. Diu tamen cogitanti nihil occurrit, nisi ut plurimam tibi salutem ex imis sensibus optem; quæ utinam per hunc librum vera et æterna tibi contingat. In hoc voto sistere satius est, quam te proluxâ præfatione gravare? quidquid enim addidero, quid erit? An favores tuos et laudes captem? Parce, ista non ambio. An tuam saltem benevolentiam exquisitis verborum flosculis conciliem? Hoc non fit verbis, sed mutuis officiis, et beneficiis. An de usu et praxi hujus opusculi documenta præscribam? Congererem inutiliter, quæ infra suis locis utilius leges. An materiae utilitatem, et præstantiam extollam? Jam ex titulo et prospectu intellexisti, nihil melius fore, quam citò ad Deum pervenire. An formam, stylum, et dicendi characterem, quod plerique solent, excusum? Neglexi hæc lenocinia, Manilii versum sequutus, *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri*. An studium meum prædicem, et laborem, qui multus fuit? Pietati scripsi, non pompæ. An te de scopo instituti operis præmoneam? Frustrâ, quia in limine primi capituli descriptus est. An adversus maledicos et obtractatores tuum implorem patrocinium? Non est necesse, nam sperno, et fugio hoc genus hominum; quod si non effugio, causa Dei hic agitur, ipse tuebitur, et judicabit. An pro

terminis, et phrasibus mysticis præmittam Apologeticon? Nec quidquam, à vocibus enim obscuris abstinui, vel si quas, materiâ exigente, intermiscui, non mea, sed rerum hæc culpa est, quæ non aliter tractari possunt. An objectiones præoccupem, quibus convelli studium meum potest et audacia reprehendi? Non admittunt hæc paginæ talem lectorem, qui velit contentionibus deservire, et clarescere inimicitis. Tum ultro ipse fateor, me rem sublimem, non meâ, sed alienâ experientiâ edoctum scripsisse; sicut scriptum est (1): *Credidi propter quod locutus sum*. Addo solatium meum esse de perfectione disserere, instar languentium, qui, cum vacent à sanitate, de bonis ejus tacere non norunt. Denique generosa res est in altum conari. Quæ causa igitur mihi est, ut te sine fructu hic morer? Nulla nisi ut Deum ames, et ad eum properes, ejusque gratiam mihi concilies, ne in semita immobilis hæream, dum aliis ad metam festinantibus viam ostendo. Vale.

(1) Psal. cxv, 10.

VIA COMPENDII AD DEUM,
PER MOTUS ANAGOGICOS, ET ORATIONES
JACULATORIAS.

LIBER ISAGOGICUS AD MYSTICAM THEOLOGIAM.

CAPUT I.

SCOPUS, ET USUS LIBRI. PRO SCRIPTIIONE, ET FINE AD DEUM ORATIO. DUPLEX VIA, QUÆ ITUR AD DEUM. UTRIUSQUE DISCRIMINA.

1. Vitæ sanctioris viam nosse volentibus brevi compendio indicare propositum mihi est, non meis, sed veterum Patrum monitis, ac documentis. Usus erit hujus libelli, uti spero, non inutilis, nec injucundus. Nam cum plerisque longum iter ad Deum, plenumque sentibus videatur; haurient fortasse animo non modicam voluptatem, cum viam sibi facillimam, sed vulgò ignotam, proponi animadvertent, à qua labor absit, et longitudo. Nec erit hæc via scandalum mihi docenti, et non facienti: nam, ut quidam vir sapiens (1) scribit, *Docens aliquis plus disci, et dicens, sæpè unâ audit cum iis, qui ipsum*

(1) Clem. Alexand. 1. Strom.

audiunt : unus est enim magister, et ejus qui discit, et ejus qui audit, qui et mentem irrigat, et rationem. Dirigens ergo pedes aliorum in viam pacis, et ipse incipiam ab omni via mala prohibere pedes meos : et cum perfecero gressus audientium me in semitis Dei ; sequar ego, et exultabo sicut gigas ad currendam viam, quæ me ad verticem montis, ad tertium cælum, ad caliginem, in quâ Deus habitat, recto itinere vel pertrahat, vel perducatur.

2. Sed quia socioriâ depressus, et mundi hujus simulacra circumferens assurgere ad eum, qui posuit tenebras latibulum suum, sine ipso non possum : orationem præmittere par est, ut scientiarum Domini ductorque viæ ad supernaturalem illapsam, lumenque arcanum cor meum aperire, et mentem elevare dignetur.

Tu Domine, qui corda nostri omnium, dirige me (1) ad mysticorum oraculorum lucidissimum, indemonstrabile, et summum fastigium : ubi simplicia et immutabilia Theologiæ mysteria aperiuntur in caligine splendidissima silentii arcana docentis, quæ in summè tenebrosâ obscuritate clarissimè superelucet, et pulcherrimis splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hic enim est scopus, hæc meta votorum meorum ad te pervenire principium, et finem meum, et optatissimum centrum animæ meæ.

3. Duplex autem est via, per quam ititur ad Deum, ut summi viri (2) asseverant. Unam vocant scho-

(1) Ex Dionysio Areopag. c. 1. myst. Theol. — (2) Harph. l. 1. pag. 2. c. 1. p. 48. et l. 2. p. 3. c. 30. et p. 5. collat. 1. mystic. Theol. Victor. Gelenius in Summ. practicâ mystic. Theolog. part. 1. decis. 1. art. 3.

lasticam, et communem : alteram mysticam, et secretam. Utraque est donum cœlestē desorsum descendens à patre luminum, sed multiplex inter utramque intercedit discrimen. Illa humanum stadium, et inquisitionem requirit, paucisque convenit altiori præditi litteraturâ : hæc ubique semper, et ab omnibus haberi potest. Illa speculativa, hæc practica : illa propriè in intellectu, hæc in voluntate sita est. Illa exposita illusionibus, superbæ, et curiositati, habet unde timeat : hæc tutò ac simpliciter ambulat, nihil quærens præter Deum. Illa naturaliter cum phantasia et discursu deatur : hæc supernaturaliter cum purâ et simplici intelligentiâ. Illa à scientiâ acquisita, hæc à donis infusis Spiritus sancti procedit. Illa angusta est limites non excedens humanæ speculationis : hæc cor dilatata ad infinita, et omnem modum naturalis cognitionis transcendit. Illa longa, laboriosa, et difficilis : hæc brevis, expedita, et facillima est. Illa ab infimis incipiens, à pravorum scilicet habituum extirpatione, et tumultuantium affectionum moderatione, per studium virtutum, et vitæ activæ officia ad apicem perfectionis ascendit : hæc admirabili circulo ab amore incipiens ad amorem progreditur, et desinit in amore per motus anagogicos, et flammigeras aspirationes. Est enim amor, ut Plato (1) etiam cognovit, *circulus à bono in bonum perpetuò revolutus*. Illam alibi (2), Deo duce, edocui : hanc breviter hic tradere animus est. Sed iterum ad Deum preces mitto, ut mentem, et manum dirigat, et cor amore inflam-

(1) Plato in Convivio, ubi doctè et fusè de Amore. — (2) In meâ ad Cœlum Manuductione.

met; occulta enim ipsius melius amando, quam ratiocinando intelliguntur, et explicantur (1).

Spiritus superum decus
 Sancta sidereae domus
 Aura labere coelitus,
 Aura sacra, ter optimi
 Dia flaminis aura.
 Spiritus radians veni,
 Terror agminis inferri,
 Efficax hominum salus,
 Aura sacra, ter optimi
 Dia flaminis aura.
 Alma lux sapientiae,
 Dulcis hospita mentium,
 Cordis ardor amabilis,
 Inna pectoris occupa,
 Igne pectus adure.
 Fausta nuntia gaudii,
 Flamma pronuba gratiae,
 Sancta lux animi veni,
 Aura sacra, ter optimi
 Dia flaminis aura.

CAPUT II.

VIAM MYSTICAM DUPLICEM ESSE, ACTIVAM ET PASSIVAM.
 QUID UTROQUE SIT. CUPIENTI AD APICEM MYSTICAE THEOLOGICAE
 PERVENIRE OMNIA RELINQUENDA.

Omissa igitur via Scholastica de sola mystica agendum est. Haec, ut docet Dionysius Carthusianus (2) doctor extaticus, duplex est, activa et passiva. Colligitur haec divisio ex Magno Dionysio

(1) Ex hymno elegantissimo Urbani VIII ad Spiritum Sanctum. — (2) Dion. Carth. l. de fonte lucis art. 14.

Areopagita (1) qui ad Timotheum sic scribit: *Tu vero, care Timothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, et sensus relinque, et intellectuales operationes, et sensibilia, et intelligibilia, omnia, et ea quae sunt, et quae non sunt universa, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam et scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam et absolutam, et puram tui ipsius à rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illum caliginis divinae radium detractis omnibus, et à cunctis expeditus eveheris.* Et alibi ita loquitur (2): *Est item divinissima Dei notitia, quae per nescientiam accipitur, secundum illam, quae supra intellectum est, unionem, quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsum deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiae profundo collustratur.* Quibus verbis utramque viam attingit, activam, quae in nostra sita est voluntate, non tamen sine divini auxilii infuso lumine, dum monet Timotheum, ut se disponat ad unionem per omnimodam abstractionem à rebus omnibus, sensus relinquendo, quia non percipitur quae sunt spiritus Dei, et omnia objecta sensibilia ac intelligibilia, principia scilicet scientiarum et ratiocinationum; et ea quae sunt, essentias videlicet rerum immutabiles: et ea quae non sunt, res nimirum temporales, quae propter continuam mutationem merito dicuntur non esse. Sic autem expedito ab omnibus impedimentis futurum pollicetur,

(1) Dion. Areop. mystic. Theol. c. 1. — (2) Idem de divin. nom. c. 7.

ut ad supernaturalem divinæ caliginis radium anagogicè sublimetur, et à Deo trahatur : quia tunc anima divinitus rapitur, et absorbetur, quæ est via passiva, supponens præviã viæ activæ dispositionem.

2. D. Bernardus hanc duplicem viam tendendi ad divinam unionem his verbis (1) exponit. *Quidam trahuntur, qui dicere possunt: Trahe me post te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cælum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas. Secundi feliciores, qui ex voluntate suâ consistunt Domino. Tertii felicissimi, qui in profundissimâ Dei misericordiâ, quasi sepullâ arbitrii libertate, in divitiis gloriæ, in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto ac suppresso adminiculo rerum ac sensuum, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem.* Hæc Doctor mellifluus, qui duos priores dispositioni activæ deputat, tertios passivæ. *Deus itaque sublimis, verba sunt Excellentissimi magistri Dionysii Carthusiani (2): Cùm viderit mentem hominis spiritualis Zelo justitiæ penetratam, charitate flammigeram, puritate ac omni virtute fultam, ad divina fortiter aspirantem, mox dignantissimè, exuberantissimè, amorosè, ac frequentissimè ei occurrit, succurrit, cooperatur, seque ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intra se rapit, deosculatur, amplectitur, atque se ei inveniendum, gustandum, fru-*

(1) Ber. ser. 2. de Ascens. — (2) Carthus. de fonte lucis a. 16.

dum offert, ac exhibet, habetque complacentiam magnam in eâ, et tanquam amicam ac sponsam apprehendit, fœcundat, et sibi adstringit.

3. Tunc verò animæ nostræ supræ portio ad Dei receptionem parata erit, ut in speculo æternæ salutis summus rerum divinarum contemplator Rusbrochius (1) admonet, cùm fuerit prorsus nuda, et formis, seu imaginibus vacua, in suum semper principium intuens. Sed quia ad hoc, teste D. Bonaventura (2), nihil potest natura, modicum potest industria, parum dandum est inquisitioni, multum unctioni; parum verbo et scripto, totum Dei dono. Moriamur ergo, et ingrediamur caliginem, imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis, et phantasmatibus: transeamus cum Christo crucifixò ex hoc mundo ad Patrem, ut eo viso dicamus cum Philippo (3): *Sufficit nobis. Hæc est vera vita*, ita Plotinus (4) *fuga solius ad solum*. Sed melius de nostris præpono. *Relinque hominem, Angelum, cælum*, inquit Taulerus (5), *et ipsum essentiale bonum, ipsam essentialem veritatem cape nudè in se ipsâ; nam quidquid apposueris, hoc ipsum tegit et excludit unitatem*. Platonici, quos phrasibus et verbis Dionysii Areopagitæ sæpissimè, uti S. Maximus (6) affirmat, nihil frequentius docent, quàm nos debere omnia relinquere, ut ad Deum ascendamus. Hinc Plato in Phædone Philosophiam esse docet animi à corpore avulsionem, à corporeis scilicet af-

(1) Jo. Rusbroc. in speculo æternæ sal. c. 8. — (2) Bonavent. Itinerar. mentis c. ult. — (3) Joan., xiv, 8. — (4) Plot. infin. lib. ult. ennead. ult. — (5) Joan. Tauler. serm. 3. pasch. — (6) Max. in prologo in-opera Dionysii.

fectionibus separationem. Eandem veritatem cognoverunt Pythagorici, quorum unus, cujus magisterio se subdidit Justinus Martyr (1) sic ipsum hortabatur: *An putas te percepturum quicquid ad felicitatem pertinens, nisi prius animam à rebus sensibilibus ad intelligibiles tractatam reddas aptam virtuti, ipsiusque summi boni contemplationi.*

4. Hæc est vera sapientia à fonte omnium bonorum beatissima emanatione procedens, ac mentibus Sanctorum divinitus illapsa; qua perfusa anima, non Dei dona, sed ipsum largitorem scintillantibus affectionibus, insatiabilibus votis, unitivis aspirationibus desiderat; et ad eum suspirat, donec obtineat. Huc suspirabat Propheta (2), cum dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Quod si quæras, ubi vera sit requies, subjungit: *Ecce elongavi fugiens, mansi in solitudine.* Verbum namque sempiternum non nisi in solitudine profertur, in eâ inquam solitudine, ubi homo et à seipso, et ab omni multiplicitate relictus desertus et exul effectus est. Propria sanctorum est hæc solitudo, quorum hæc sunt verba apud Tertullianum (3): *Ego nihil foro, nihil campo, nihil eurivæ debeo: nihil officio advigilo, nulla nostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro, non judico, non milito, non regno. Secessi de populo: imò unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quàm ne curem. Erat olim ista sententia: Nemo alii nascitur,*

(1) Inst. Martyr. init. Colloq. cum Triphon. — (2) Psal. lrv, 7. — (3) Tert. de Pallio.

moriturus sibi. Certè ad Epicuros et Zenones ventum est: sapientes vocas totum quietis magisterium, qui eam summæ atque unicæ voluptatis nomine conservare.

CAPUT III.

MYSTICA THEOLOGIA QUID SIT? QUOMODO DIFFERAT AB ALIIS SCIENTIIS? AN COGNITA FUERIT ANTIQVIS PLATONICIS? EIUS PRINCIPIUM ET SCOPUS.

1. Hæc viâ quietis, secessus, et abstractionis pervenitur ad mysticam Theologiam, ad illam videlicet indoctam sapientiam omni sapientiâ humanâ superiorem, quâ mens Deum suum sine discursibus agnoscit, et quasi contrectat, et sine ratiocinationibus gustat. Est autem mystica Theologia secretissima mentis cum Deo locutio (1). Est animi extensio in Deum per amoris desiderium (2). Est motio anagogica in Deum per purum et fervidum anorem (3). Est cœlestis quædam Dei nolitia per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cœlitus immisso producta (4). Est sapientia experimentalis, Dei affectiva divinitus infusa, quæ mentem ab omni inordinatione puram per actus supernaturales, Fidei, Spei et Charitatis, cum Deo intimè conjungit (5). Alias alii definitiones tradunt, quæ cum prædictis coincidunt. Res enim abstrusa et difficilis, ac prorsus

(1) Dion. Carth. super Dionys. mystic. Theol. — (2) Jo. Gerson de myst. Theol. specul. Consid. 28. — (3) Idem Gers. ibid. — (4) Jo. à Jesu Maria myst. Theol. c. 1. — (5) Balt. Corder. Isag. ad mystic. Theolog. Dion. Areop. c. 2.

divina certis finibus circumscribi nequit, et Dialecticorum regulis concludi.

2. Liquet ex his, Theologiam mysticam non esse propriè scientiam, pro ut scientia est habitus acquisitus: sed si accipiatur pro actu? nihil aliud est, quàm ipsa mentis in Deum defixio, admiratio majestatis, suspensio animi in lumen immensum, ac æternale, ferventissima, quietissima, ac transformativa inspectio Deitatis; si verò sumatur pro habitu, realiter idem est, ac præstantissimum donum Spiritus Sancti quod sapientia nuncupatur, secundum altissimum ejus gradum (1).

3. Differt à Theologiâ scholasticâ et symbolicâ, quia scholastica è caliginosis fidei orthodoxæ principiis sua deducit asserta: symbolica figuratas de Deo locutiones explanat: hæc puris quibusdam et tranquillis obtutibus sine rationis satagentis excursibus divinæ sapientiæ arcana dignoscit. Per scholasticam discit homo rectè uti intelligibilibus, per symbolicam sensibilibus, per hanc rapitur ad supernaturales excessus. Scientiæ humanæ in valle phantasiæ discuntur, hæc in apice mentis. Illæ multis egent discursibus, et erroribus subjectæ sunt: hæc unico et simplici verbo docetur et discitur, et est merè supernaturalis, tam in substantiâ, quàm modo procedendi.

4. Multa quidem de Platonicis legimus, quæ primo aspectu persuadere videntur, eos mysticæ Theologiæ non omninò expertes fuisse: Eunapius enim in vitâ Jamblichi scribit, eum aliquando decem cubitis à terrâ elevatum fuisse: et Porphyrius in vitâ

(1) Dion. Cartus. sup. mystic. Theolog. Dion. q. 3. art. 5.

Plotini mira de ipsius contemplatione scribit: Proclus quoque in libris de Theologia Platonis, et ipse Plotinus passim multa tradunt de mentis excessu, et de abstractione à rebus sensibilibus sapientiæ nostræ placitis haud dissentanea. Auctor item divinæ sapientiæ secundum Ægyptios sic de seipso loquitur (1): *Ego sæpius animo contemplans relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili*. Sed, ut Taulerus observat (2), quidquid isti fecerint vel dixerint, nunquam terminos naturæ transcendunt. Magna enim et subtilissima ingenia ita phantasmata extenuare potuerunt, ut species intelligibiles, quæ indè abstraherentur, vix cum aliquâ tenui umbrâ sensibilitatis sua objecta repræsentarent. Quod si acuto ipsorum intellectui in rerum sublimium contemplatione occupato phantasmata se ingerebant, ipse intellectus se altius elevabat, et phantasmatum nubes, ut ita dicam, infra se despiciebat. Hoc autem quomodo fiat, res admodum obscura est. Fromundus Liberius (3) qui de hac re acutè, ut solet, disputat in suâ philosophiâ christianâ, fieri hoc autumat beneficio cujusdam lucis interioris, de quâ Valerianus Magnus Fromundo non visus doctè, sed obscure disserit duplici libello de lucè mentium. Verum de hæc quid sentiendum sit, alibi nos fusiùs Deo favente. Nam de Platonicis posterioris ævi certissimum est, quod Augustinus scribit (4), eos rerum magicarum cu-

(1) Auct. div. sap. secund. Ægyptios l. 1. c. 3. — (2) Tauler. ser. 2. de S. Joanne Baptista. — (3) Fromund. philos. Christ. de anima l. 2. c. 4. art. 6. 7. et seqq. — (4) Aug. ep. 56. et Confess. l. 10. c. 42.

riositate depravatos fuisse. Antiquiores autem spiritu superbiæ inflati, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, frigidi speculatores facti, sine fide et charitate.

5. Porrò mysticæ Theologiæ principium est ipsa essentia bonitatis, rerumque omnium causa super-essentialis Trinitatis, à quâ per bonitatis redundantiâ in nos effluxit, cum inæquali tamen participatione ob diversam hominum aptitudinem, et multorum repugnantiam, cum divinis illustrationibus. Dicimus itaque cum sanctissimo Dionysio (1) : *Dei principalem beatitudinem, naturam Divinitatis, principium Deificationis ex quo Deificandi deificantur, mysticam Theologiam in salutem et deificationem hominum concessisse, modo scilicet magis immateriato, et spiritaliori, non extrinsecus ad divina movendo, sed intelligibili ratione, atque intrinsecus purâ liquidâque illustratione divinissimam iis voluntatem irradiando.* Et hic scopus hujus sapientiæ est erga Deum et res divinas continua dilectio, cognitio Dei perfectissima, et simplicis perfectionis ejus divina participatio atque fructio, quæ Dei contemplatorem spiritali modo reficit, ejusque animam modo prorsus ineffabili aretissimè cum Deo unit, et deificat. In ipso siquidem vis quædam superhumana reperitur et operatio Divinitatis, à quâ mens deificanda sacris mysticis initiatur, et theodidactis mystagogiis eruditur. Sed videndum, quomodo possit mortalis homo ad hæc sublimia et divina mysteria propriis actibus disponi.

(1) Dion. Eccles. Hierar. cap. 1.

CAPUT IV.

QUÆ SINT DISPOSITIONES AD MYSTICAM THEOLOGIAM? QUÆ EJUS IMPEDIMENTA? QUI AD IPSAM DISCENDAM INCAPACES, QUI MAGIS IDONEI? ORATIO, ET GRATIARUM ACTIO.

1. Axioma certissimum est apud scholasticos, debere dispositionem ejusdem ordinis esse cum formâ, ad quam disponit: quare cum supra dictum sit, mysticam Theologiam esse omninò supernaturalem, hinc evidentissimâ consecutione deducitur, prærequiri ad ipsam statum quemdam supernaturalem ipsi proportionatum. Neque enim fas est, teste Dionysio (1), mysticis Theologis quidquam operari, quod divinis inspirationibus, vel minimùm repugnet, imò nec iisdem dissentire, si divinam appetant claritatem, et ad hanc sanctè, sicut decet, aspirent. Continua igitur in rebus omnibus mortificatione opus est, ut secum ipse non dissideat, nec divisus sit, qui ad unum colligi cupit. Propterea pauci sunt viri spirituales et religiosi, qui hujus mysticæ sapientiæ notitiam habeant; quia, ut optimè observat Jacobus Alvarez (2), paucissimi sunt, qui se ipsos fortiter abnegent, et perfectè mortificent.

2. Actus deinde supernaturales prærequiruntur Fidei, Spei et Charitatis, quibus mens immediatè Deum attingit: et Fides quidem intellectum, Spes memoriam, Charitas voluntatem mysticè perficit et

(1) Dion. c. 8. cœl. Hierar. — (2) Jacob Alvarez tom. 2. de vita spir. l. 2. par. 1. c. 11.

informat, uti pulchrè ac diffusè exponit Ven. Pater Joannis à Cruce in suis divinissimis libris de Ascensu montis Carmeli, de nocte obscurâ, et de vivâ amoris flammâ. His accedat necesse est magnum, fervens et insatiabile desiderium assequendæ perfectionis, sicut dicit Sapiens (1): *Hanc amavi, et exquisivi à juventute meâ, et quæsvi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. Absque dubio enim*, ait Richardus (2), *sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio ad perfectam scientiæ hujus altitudinem mens non sublevatur.*

3. Joannes Taulerus (3) rerum mysticarum expertissimus sex homini observanda præscribit, ut ad culmen perfectionis pertingat. Tria quò ad exteriora, totidem quoad interiora: nempe ut vestes, et omnia exteriora illius simplicia sint, quibus nemini placere appetat, nisi Deo: ut verba illius sint succincta, necessaria, et de rebus divinis: ut in omni ejus externâ actione nihil appareat, quod possit offendere intuentes. Deinde quoad interna necessarium est, ut Deum solum purissimâ intentione quærat: ut quidquid illi eveniat, imperturbabilem animi pacem retineat. Antonius Monelia (4) Ordinis Minorum, vir magnus inter Mysticos, sed ferè incognitus, sex esse catenas docet quibus ligatur anima, ne ad mysticam Theologiam ascendat. Prima est, negligentia circâ spiritualia, quia homo non vult se exercere et mortificare: secunda, evagatio sensuum:

(1) Sap. viii, v. 2. — (2) Richard. de præpar. ad contempl. c. 79. — (3) Taulerus ep. 29. — (4) Ant. Monelia in myst. Theolog. Dionys. c. 1.

tertia, curiositas intellectûs circâ scientias: quarta, inordinatus amor erga temporalia: quinta, impuritas in operationibus: sexta, occupatio circâ exteriora. D. Bernardus (1) quatuor enumerat hujus ascensûs impedimenta his verbis: *In hoc arcanum, in hoc sanctuarium Dei, si quem fortè vestrum aliquâ horâ sic rapi, et sic abscondi contigerit, ut minimè avocet, aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficilius amoveantur irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari et dicere: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Est autem sensus egens nimis exigens sensualitas, quæ inordinatis affectuum motibus nos exagitat: cura pungens, rerum temporalium sollicitudo: culpa mordens, pravæ conscientiæ stimulus: irruentia denique phantasmata sunt rerum sensibilium et corporearum imagines, quas vocat Augustinus (2) animæ nostræ plagas per sensus inflictas. Hæc omnia abdicanda et extirpanda prorsus sunt, ut Deum inveniamus. *Quamdiu enim*, ait Richardus (3), *consolationem ab aliquâ creaturâ accipimus, nondum Dilectum perfectè tenemus.* Quando autem tales fuerimus, ut nihil prorsus terrenorum nos delectet, eodem momento, eodem puncto temporis videbimus quod cupimus, ut promittit Augustinus (4).

4. Cum tot igitur dispositiones ad mysticam Theologiam sint necessariae, libet hîc veteri ritu procla-

(1) Bern. serm. 23. in Cant. — (2) Aug. epist. 72. — (3) Rich. lib. 4. de Contemp. c. 16. — (4) Aug. l. 1. Solil. de cogn. Dei et animæ c. 14.

mare : Procul hinc, procul este profani. Nam et Dionysius (1) monet Timotheum, ut caveat, ne quis eorum hæc audiat mysteria, qui rebus adhærescunt, et nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginantur : qui materialibus rebus immersi nondum per studium mortificationis, et exercitium virtutum animi candorem acquisiverunt : qui ambulantes in mirabilibus super se arcana Dei sua cognitione se posse percipere arbitrantur. His merito occinimus cum Christiano Poëta (2) :

En adest Deus, impios
Hinc procul procul arceo,
Invisum superis genus,
Hinc abite profani,
Fumus ut fugit : obviis :
Cera cedit ut ignibus :
Sic, intrante Deo, procul
Hinc, abite profani.

Cæterum hæc sapientia citius ac sublimius Idiotis simplicibus, qui nihil aliud quam salutem in timore et tremore curant, quam magnis et eruditis Theologis conferri solet, nisi et ipsi toto mentis affectu studeant humilitati. Ita scribit vir eximius Bartholomæus de martyribus Bracharensis Archiepiscopus (3). Et Bernardus de hac re sermonem habens sic exclamat (4) : *O quisquis curiosus es scire quid sit hoc Verbo frui, parâ illi non aurem, sed mentem : non docet hoc lingua, sed gratia : absconditur à sapientibus et prudentibus, et revelatur à parvulis.* Simiha docent alii plures sapientissimi

(1) Dion. c. 1. myst. Theol. — (2) Fra. Montmorent, in Paraphrasi ps. 67. — (3) Bart. de Mart. Compen. doc. spir. par. 2. c. 13. § 3. — (4) Bern. ser. 85. in Cant.

viri (1) Bonaventura, Gerson, Victor Gelenius, Constantinus de Barbanson, Franciscus Suarez. Atque idem confirmant scriptis suis, et exemplo sanctæ ac Theodidactæ mulieres, tres Catharinæ Senensis, Genevensis, et Bononiensis ; Angela de Fulgineo, Gertruda, Mechilidis, Brigidda, Baptista Vernacia, Teresia à Jesu, et aliæ plures.

5. Ita nimirum, æterne Deus, rex cœli et terræ, ita fuit placitum antè te. Tu enim superbis resistis, et humilibus das gratiam, et cum simplicibus sermocinatio tua. Confiteor tibi, Domine, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Non sic illuxisti inflatis cordibus sapientum hujus sæculi, sicut lucis in mente parvulorum, et humilium humum deserentium. Verè tu es Deus absconditus, et lucem habitas inaccessiblelem, sed lucem tuam copiosè illis et amanter communicas, qui Jesum crucifixum corde et corpore exprimentes animam expurgârunt ab omni labe ac sorde voluptatum. Penetrâsti animam illorum profundius et vitalius quam soleas, cum solam mentem ignotus irradias, jejuna voluntate. Penetrâsti intimè, et intelligibili tui contactu experti sunt quam suaviter mulces, et mirabiliter impleas hanc immensam mentis nostræ capacitatem. Tum ex abundantia cordis eruclârunt verba, verba utique bona, dulciora super mel et favum ; ex quibus didici veram sapientiam, quæ non reperitur in siccis

(1) Bon. de process. Relig. Gerson de myst. Theolog. specul. Gelen. in praxi mystic. Theol. p. 1. decis. 1. art. 6. et dec. 10. art. 2. Barbans. in semitis occultis divini amoris. Suarez tom. 2. de Relig. l. 2. de orat. c. 10.

et insulsis libris inanium Philosophorum, qui nar-
rant mihi fabulationes, sed non ut lex tua. Ita,
Pater, quoniam sic fuit placitum antè te.

CAPUT V.

QUID SIT UNIO MYSTICA? QUOMODO FIAT? QUI EJUS EFFEC-
TUS? QUID INCAPACIBUS, ET IGNARIS CONFERAT LECTIO
MYSTICÆ THEOLOGIE. TRANSITUS AD ASPIRATIONES.

1. Eò tendunt omnia, quæ de mysticâ Theologiâ
scribuntur, ut animam perducant ad intimam cum
Deo unionem, in quâ medulla hujus sapientiæ, et
summum ejus arcantum consistit. Non est autem hæc
unio localis, sive præsentia, quâ Deus ubique est,
nihil se vacuum relinquens propter suam immensi-
tatem. Non est unio per gratiam sanctificantem,
quâ anima à peccatis emaculata in Dei amicitiam
restituatur, fitque divinæ consors naturæ. Non est
unio per charitatem, de quâ scriptum est (1): *Qui
manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*
Prima enim harum unionem convenit etiam rebus
inanimatis: secunda omnium justorum est, et pue-
rorum antè usum rationis: fiuntque istæ in sub-
stantiâ animæ: tertiâ, communis est omnibus probis
qui Deum quidem ardentissimè diligunt, sed dono
contemplationis, et mystica unione carent. Est igitur
alia unio felicissima et arcana, inexpertis im-
pervia, et difficilis explicatu, quæ fit in potentiis
animæ, intellectu scilicet et voluntate; istæ enim

(1) I. Joan. iv, 16.

Deum attingunt, et illi conjunguntur actionibus
propriis vitalibus: atque in istâ unione summa fe-
licitas vitæ hujus consistit, et quædam futuræ
gloriæ prægustatio. De hac unione non est meæ
imbecillitatis fusiùs disserere: immundis enim et
impuris divina attingere nefas. Legat, qui dignus
fuerit, uberrimè de illa disserentem virum doctissi-
mum, et quasi alterum Hierotheum divina patien-
tem, Thomam à Jesu (1) qui sanctorum Patrum
de eâ, omniumque Mysticorum doctrinam affert,
multa addens ex propriâ experienciâ.

2. In hac unione clarissima luce sapientiæ per-
fusus intellectus Deum respicit, ut quoddam lotum,
in quo est omne bonum, ita ut ab eo in aliud di-
verti nequeat: voluntas autem ardentissimo amore
constringitur, qui instar ignis erumpens omnia
quodammodo absumit, ita ut anima jam in se non
vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed
toto affectu in eum transeat, cui arctissimo amplexu
conjungitur. Ambæ verò potentiæ in vastissimam
Divinitatis solitudinem, ut ita dicam, introducuntur,
ubi Pater cunctis imaginibus nudans intellectum
suprà rationem nos evehit. Filius verò vacuum in-
tellectum infinita claritate profundit: sanctus autem
Spiritus immenso ardore inflammans volentem,
omnes affectus nostros secum conglutinat, quia
nimirum id, quod mortale in nobis est, à vita im-
mortali absorbetur. Hic dicit anima: *Bonum est
nos hic esse* (2), hic introducitur in cellam vinariam,
ubi læta bibit sobriam ebrietatem spiritus: hic canit

(1) Thomas à Jesu l. 4. de divina oratione per tot. — (2) Marc.,
ix, 4.

et insulsis libris inanium Philosophorum, qui nar-
rant mihi fabulationes, sed non ut lex tua. Ita,
Pater, quoniam sic fuit placitum antè te.

CAPUT V.

QUID SIT UNIO MYSTICA? QUOMODO FIAT? QUI EJUS EFFEC-
TUS? QUID INCAPACIBUS, ET IGNARIS CONFERAT LECTIO
MYSTICÆ THEOLOGIE. TRANSITUS AD ASPIRATIONES.

1. Eò tendunt omnia, quæ de mysticâ Theologiâ
scribuntur, ut animam perducant ad intimam cum
Deo unionem, in quâ medulla hujus sapientiæ, et
summum ejus arcantum consistit. Non est autem hæc
unio localis, sive præsentia, quâ Deus ubique est,
nihil se vacuum relinquens propter suam immensi-
tatem. Non est unio per gratiam sanctificantem,
quâ anima à peccatis emaculata in Dei amicitiam
restituatur, sitque divinæ consors naturæ. Non est
unio per charitatem, de quâ scriptum est (1): *Qui
manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*
Prima enim harum unionem convenit etiam rebus
inanimatis: secunda omnium justorum est, et pue-
rorum antè usum rationis: fiuntque istæ in sub-
stantiâ animæ: tertiâ, communis est omnibus probis
qui Deum quidem ardentissimè diligunt, sed dono
contemplationis, et mystica unione carent. Est igitur
alia unio felicissima et arcana, inexpertis im-
pervia, et difficilis explicatu, quæ fit in potentiis
animæ, intellectu scilicet et voluntate; istæ enim

(1) I. Joan. iv, 16.

Deum attingunt, et illi conjunguntur actionibus
propriis vitalibus: atque in istâ unione summa fe-
licitas vitæ hujus consistit, et quædam futuræ
gloriæ prægustatio. De hac unione non est meæ
imbecillitatis fusiùs disserere: immundis enim et
impuris divina attingere nefas. Legat, qui dignus
fuerit, uberrimè de illa disserentem virum doctissi-
mum, et quasi alterum Hierotheum divina patien-
tem, Thomam à Jesu (1) qui sanctorum Patrum
de eâ, omniumque Mysticorum doctrinam affert,
multa addens ex propriâ experienciâ.

2. In hac unione clarissima luce sapientiæ per-
fusus intellectus Deum respicit, ut quoddam lotum,
in quo est omne bonum, ita ut ab eo in aliud di-
verti nequeat: voluntas autem ardentissimo amore
constringitur, qui instar ignis erumpens omnia
quodammodo absumit, ita ut anima jam in se non
vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed
toto affectu in eum transeat, cui arctissimo amplexu
conjungitur. Ambæ verò potentia in vastissimam
Divinitatis solitudinem, ut ita dicam, introducuntur,
ubi Pater cunctis imaginibus nudans intellectum
suprà rationem nos evehit. Filius verò vacuum in-
tellectum infinita claritate profundit: sanctus autem
Spiritus immenso ardore inflammans voluntatem,
omnes affectus nostros secum conglutinat, quia
nimirum id, quod mortale in nobis est, à vita im-
mortali absorbetur. Hic dicit anima: *Bonum est
nos hic esse* (2), hic introducitur in cellam vinariam,
ubi læta bibit sobriam ebrietatem spiritus: hic canit

(1) Thomas à Jesu l. 4. de divina oratione per tot. — (2) Marc.,
ix, 4.

epithalamium, dicens (1): *Dilectus meus mihi, et ego illi. Vivo autem ego (2) jam non ego: vivit verò in me Christus.* Defluit hic amans anima, deficitque à seipsa, et velut ad nihilum redacta in abyssum æterni amoris collabitur: ubi sibi mortua vivit in Deo, nihil sciens, nihil sentiens præter amorem. Perdit enim se in divina caligine, sed sic se perdere invenire est.

3. O sanctam illam animam, quæ à Deo singulariter visitata, et supra omnia creata, supraque omnem operationem elevata, mediante mystica unione in Deum transformatur! Quàm benè illi conveniunt verba illa Sapientis (3): *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa?* Cùm enim felicissima unio sit amplexus, et degustatio summi boni; omnia bona ab ipsa, quasi rivuli à fonte, in animam derivantur. Hinc (4) decor et pulchritudo, et Spiritus Sancti charismata, quibus mirabiliter exornatur. Hinc splendor lucis et præfulgida illustratio, ardorque amoris, et suavitas ineffabilis. Hinc contemptus rerum omnium terrenarum, et insatiabile cœlestium desiderium. Hinc perfecta Christi imitatio, et ex redundantia spiritus exultatio sensuum, et corporis admirabilis transmutatio. Hinc animæ annihilatio coram Deo, et mystica mors: hinc fervor, languor, liquefactio, ebrietas spiritualis, silentium internum, osculum Verbi, ecstasis, raptus, suspensio et alia multa, quæ libens prætermitto, quia de his sola unctio illos docet, qui digni sunt experiri.

(1) Cant. II, 16. — (2) Gal. II, 20. — (3) Sap. VII, 11. — (4) De his omnibus diffusè Harphius, Rusbrochius, Tauler. Carthus. Ludovic. Blosius, et alii mystici.

4. Altissima quidem sunt hæc mysteria, et super communem hominum captum; sed ut optimè ait Plato (1): *De rebus divinis credendum est filiis Dei, etiamsi nullas afferant rationes.* Res sublimes et arcanas, quod sibi notæ non sint, quasi falsas aspernari, fidemque abnegare spectatissimæ probitalis viris, cùm de divinis perceptionibus ex propria loquuntur experientia, stultorum est et impiorum. Nec ideo inutiles æstimandi sunt, aut prorsus abjiciendi Mysticorum libri, quod sublimia tractent, et mirabilia super nos; nam hoc saltem ex illis discimus, quàm longè adhuc versumur à culmine Christianæ perfectionis, nondum digni, qui cum Moyse in caliginem ingrediamur. Narrat Gulielmus Abbas S. Theodorici (2), sibi infirmo in Monasterio Clarevallensi S. Bernardum etiam infirmum moraliter exposuisse Canticum Canticorum: *In quo, inquit, cùm benignè et sine invidiâ exponeret mihi, et communicaret sententias intelligentiæ, et sensus experientiæ suæ, et multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo discuntur; et si intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi; plus tamen solitò intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deesset mihi.*

5. Hic sisto. Voces enim audio plenas querelarum, quibus à legentibus interpellor. Et ubi, inquit, Via compendii ad Deum, quam te initio hujus tractatus ostensurum promisisti? Hactenus de mysticâ Theologiâ, et de unione cum Deo disseruisti, opus proponens difficillimum, iter arduum, et altissimum fastigium humanis viribus inaccessible.

(1) Plato in Timæo. — (2) Gulielm. in vita S. Bern. I. 1. c. 12.

Unde meritò illud Psalmographi (1) quisque nostrum usurpare potest : *Mirabilis facta est scientia tua ex me... et non potero ad eam*. Quomodo enim terrenus homo terram despiciere poterit, cælum conscendere, Angelorum choros transcendere, ad Dei solium accedere, quidquid est humanum exuere, Deo intimè uniri? Libenter quidem ista legimus et audimus; sed tam arduo operi nos accingere, humana fragilitate vires denegante, non audemus. Rectè ista : si sola hominum imbecillitas attendatur : malè, si divinæ gratiæ efficaciam adjuvantem respiciamus. Adest hæc omnibus, qui à Deo præventi iter ad ipsum aggrediuntur. Aderit et mihi viam docenti, datamque fidem liberanti.

6. Dico igitur, Viam compendii ad Deum, ad culmen mysticæ Theologiæ, ad intimam cum Verbo unionem esse motus Anagogicos, et exercitium aspirationum. Testes hujus dicti assero omni exceptione majores. Primus est Joannes à Jesu Maria Carmelita exalceatus, qui ita scribit (2) : *Concors omnium, quos legerim, sententia est, ad altissimam Dei cognitionem et sensum, sive experimentum, aspirationum exercitio ita anima erigi, ut, si hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum frequentet, plurimum proficiat. Habet enim tam egregiam vim exstimulandi, et divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, et studio virtutum armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem et puritatem corda nostra perducatur.*

(1) Psal. cxxxviii, 6. — (2) Joan. à Jesu Maria mystic. Theol. c. 9

Quamvis enim dona Dei sint unio, raptus, fruitio, revelatio, et illa indulgentissimi Dei interna blandimenta, et solis conatibus nostris quantumvis nervosis, illa non producamus, ac certè animæ sese idoneæ ad eas nuptias ornanti et comparanti munificentius, quàm cogitare valeat, indulgentur. Hæc Joannes, cui alterum adjungo ejusdem instituti Thomam à Jesu (1) : *Si Sanctorum Patrum, inquit, aliorumque Mysticorum, qui hanc viam experti sunt, sententiæ credendum est, nullam compendiosiore viam, nullumve alium in Deum assurgendi modum faciliorem ac nobiliorem eo invenies, quam sapientiam unitivam, sive amorem unitivum Mystici appellant, qui in motibus anagogicis, sive aspirationibus, quibus cor enititur ad Deum assurgere, ac illi avidissimè adherere, consistit.* Possem paginas latè implere aliorum testimoniiis hanc veritatem confirmantium, præsertim Bonaventuræ (2), Henrici Harphii (3), Joannis Gersonis (4), Dionysii Carthusiani (5), Constantini de Barbanson (6); sed pro indicta mihi brevitate duo proposita sufficient.

(1) Thom. à Jesu de div. orat. l. 4. c. 20. — (2) Bon. c. 3. myst. Theol. ipsi adscriptæ, quæ est Henrici de Palmâ. — (3) Harphius mystic. Theol. l. 2. init. p. 5. — (4) Gers. in myst. Theol. — (5) Cart. l. de fonte lucis. — (6) Barbanson in semitis occultis p. 1. c. 5. et p. 2. c. 3. et Joan. Lansper. init. pharetræ. ®

CAPUT VI.

ASPIRATIONES, MOTUS ANAGOGICI, ORATIONES JACULATORIE QUID SINT? SENTENTIAS, ET EXEMPLIS SANCTORUM PATRUM APPROBANTUR. DE ILLARUM PRESTANTIA, ET UTILITATE.

4. Abaridem Hyperboreum Pythagoræ ævo nobilem, et famosum habuisse ferunt aureum telum quo vectus, ut pœtico Pegaso, celeriter per aërem volitabat, unde dictus est Æthrobates, scandens per æthera, ut refert Iamblicus in vita Pythagoræ (1). Sed quod genus aurei teli potentius est, quàm alatae et ignitæ Aspiraciones, quæ devotam animam momento in cœlum efferunt, et penetrant usque ad thronum Divinitatis? *Anima in qua habitavit ignis Dei*, ait Magnus Antonius Abbas (2), *similis est avi duabus præditæ alis, quibus volat, et sursum per cœli aëra elevatur. Etenim avi præ omnibus creaturis alæ peculiare sunt: alæ verò animæ Domino obsequentis sunt virtus ignis Dei, quibus ad cœlum sursum volare valet. Si autem his caruerit alis, minimè sursum elevari in aëra poterit, cum sit illius ignis expers: similisque erit avi suis spoliatae, quæ volare nequit.* Hæc Antonius, qui supra jam dixerat causam ascensionis Sanctorum ad Cœlum fuisse ignem invisibilem, calorem scilicet accensum in cordibus eorum. Hoc

(1) Jamblic. de vita Pythagor. c. 28. — (2) Ant. Abbas ep. 18.

enim igne deficiente, nemo ad cœlum aspirare, nee dum ascendere valet.

2. Sunt autem aspirationes brevissimæ quædam Orationes, sive mente solâ, sive mente simul ac ore conceptæ, atque prolatae, quibus debet fidelis anima in quovis loco et tempore assuescere, et frequenter incumbere, cor suum et voluntatem ad Deum erigens die ac nocte, domi et foris, sedens et ambulans, in quovis negotio, in quavis actione, et occupatione. Scriptum est enim (1) oportere semper orare, et nunquam delicere; sed quia instabilitas naturæ nostræ, corporis cura, et aliæ occupationes sæpè nos distrahunt, hæc angelica aspirationum exercitatio perpetuitatem orationis compensat. Fiunt quidem in momento, et transeunt, sed jugiter permanet earum fructus, et continuatur oratio continuatione boni desiderii in charitate fundati: bonum autem desiderium semper orat, quia semper ciamat antè Deum sinceri amoris affectus. Beati in cœlo nunquam cessant ab actuali amore, et cogitatione Dei: nos verò hanc felicitatem continuis aspirationibus æmulamur, dicentes cum apostolo (2): *Nostri conversatio in cœlis est.* Oratio enim est ascensus spiritus ad Deum (3): *Per quem ascensum*, ait S. Joannes Chrysostomus (4), *societatem effugimus, quam cum brutis animantibus habemus, et cum Angelis copulamur.* Vocantur aspirationes, quia illis aspiramus ad Deum; et per eas verò aspirat Deus conatibus nostris: dum verò ad Deum aspiramus, nil nisi Deum spiramus; et per easdem

(1) Luc. xviii, 1. — (2) Ad Philip. iii, 29. — (3) Damascen. l. 1. de fide orth. c. 14. — (4) Chrysost. de orando Deum l. 1.

fervor charitatis, non minùs quàm vita corporis aëris aspiratione, sustinetur. Motus quoque anagogici, id est, sursum ducentes, nuncupantur, quia illis à rebus terrenis abducimur, et ad superna levamur, ac tandem ad beatam cum Deo unionem evehimur. Dicuntur orationes jaculatoriæ, quia instar jaculorum et sagittarum velocissimè transeuntium in cor divinum tanquam in scopum jaciuntur, ut ab eo dona cœlestia oblineamus. Affectus denique appellantur, quia sunt affectiones cordis et desideria, ac proposita voluntatis: nihilque aliud est aspiratio, ut eam Gelenius (1) definit, præterquam expeditus affectus erga Deum, ut summum bonum.

3. De his plura Sanctorum Patrum documenta habemus, et exempla. Augustinus ad Probam (2): *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per produciōnes moras evanescat, atque hebetetur intentio.* Cassianus instituta Monachorum describens (3): *Utilius censent breves orationes, sed creberrimas fieri. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentiâ delectantur.* Et in collationibus (4): *Frequenter, sed breviter orandum est, ne immorantibus nobis inserere aliquid cordi nostro insidiator possit inimicus.* Chrysostomus ad populum Antiochenum (5): *Breves et frequentes orationes fieri Christus, et Paulus præceperunt*

(1) Gelen. p. 1. dec. 6. a. 1. — (2) Aug. ep. 121. — (3) Cassian. l. 2. Inst. c. 10 et 11. — (4) Idem. coll. 9. c. ult. — (5) Chrys. hom. 79. ad pop.

parvis ex intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus multam diabolo subrependi facultatem dederis, et supplantandi, et abducendi cogitationem ab his quæ dicuntur. Si verò continuas et crebras orationes facias, totumque tempus interpolans frequentiâ, facile poteris modestiam exhibere, et ipsas orationes cum multâ facies solertiâ. Ælredus Abbas (1): *Hæc devota suspiria jam gratiosa sunt in oculis ejus, qui scrutatur renes et corda, quod non possit diu abscondere multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit timentibus, et diligentibus se.* Guilielmus Abbas S. Theodorici (2): *Hauriendus est sæpè de lectionis serie affectus, et formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, et non tam impediatur interrumpendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Hujusmodi oratiunculas rectè appellat Tertullianus (3): *Orationes sine agmine verborum:* et Abbas Isaac apud Cassianum (4) eas commendat tanquam verum sacrificium, pingues hostias, pura libamina, holocaustomata medullata. *Sunt enim, teste B. Laurentio Justiniano (5), opus spiritualis arcus, sagittæ contra adversarios directæ, ignita vota, quæ à Christi militibus in cælum corde tacito destinantur; eminùs feriunt, celeriter emittuntur, hostem non sinunt propius accedere, et ascensorem frequenter unico prosternunt ictu. Rur-*

(1) Ælred. hom. de duob. discipul. — (2) Guill. Abbas S. Theodor. in ep. ad Fr. de monte Dei inter opera D. Bernardi c. 10. — (3) Tert. de orat. c. 1. — (4) Cass. Collat. 9. c. ult. — (5) Laur. Justin. de inter conflict. c. 10.

sum Chrysostomus (1): *Dic in mente miserere mei Deus, et absolvisti precationem; qui enim dicit: Miserere, confessionem offert, et peccatum suum agnoscit, qui lapsorum est misericordiam requirere. Qui dicit: Miserere mei, remissionem delictorum accepit: qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit: Miserere mei, regnum cælorum obtinuit: quem enim Deus miseratur, non à pœnâ solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur.*

4. Porrò hunc orandi modum exemplo suo Christus Salvator edocuit. In horto enim iterabat hæc verba (2): *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Et in Cruce magnos sustinens cruciatus aliquam interdum ex his aspirationibus ardentissimo fervore jaculabatur, dicens (3): *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Deindè (4): *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Ac postea (5): *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Nehemias (6) interrogatus à Rege, priusquam responderet, mentem ad Deum sustulit, ad solium Divinitatis animi sui nuntio celerrimè amandato. Judith (7) Holofernem percussura apprehendit comam capitis ejus, et ex corde ignitam protulit, et brevissimam orationem, dicens: *Confirma me, Domine Deus, in hæc hora.* Sancti in cælo requiem non habent, die ac nocte dicentes (8): *Sanctus, Sanctus,*

(1) Chris. hom. 4. de Annat. 1. (2) — Matth., xxvi, 39. et Luc., xxii, 42. — (3) Luc., xxiii, 34. — (4) Matth., xxvii, 46. — (5) Luc., xxiii, 46. — (6) Esdr. ii, 4 — (7) Judith. xiii, 9. — (8) Apoc. iv, 8.

Sanctus. Basilus (1) suadet peccatori, ut ad imitationem Chananææ identidem inclamet illud: *Miserere mei, Domine fili David* (2). De S. Marcella scribit Hieronymus (3), eam semper cantasse illud Psalmi: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* S. Malachias, teste Bernardo in ejus vitâ, raptim quodammodò, et velut jaculum emittebat orationem. Thais olim meretrix edocta à Paphnutio Abbate, sic orabat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Cassianus (4) usum multiplicem hujus versiculi: *Deus in adjutorium meum intende,* elegantissimè commendat in collationibus. Ex vitis Patrum multa hic referri possunt (5). Abbas Isaïas vidit cujusdam Monachi orationem, dum manducaret, ascendere instar ignis in conspectum Dei. Alius quidam, dum colloqueretur cum aliis, facit centum et tres orationes. Abbas Macarius de modo orandi à quibusdam interrogatus dixit: Non est opus multum loqui in oratione, sed extendere manus frequenter, et dicere: *Domine, sicut vis, et scis, miserere mei.* Moyses Æthiops (6), olim princeps latronum, quinquaginta quotidie orationes peragebat: Paulus Monachus trecentas: quædam Virgo septingentas. Narrat Theodoretus (7) Simeonem Stylitam innumeras quotidie adorationes peregrisse, adeò ut unus numeraverit aliquando mille ducentas quadraginta quatuor, alias omittens, quia lapsus destitit numerare. Quidam Christophorus Monachus (8) centies in nocte orabat. Beata Clara de Monte Falco millies

(1) Basil. exhort. ad Baptismum. — (2) Math., xv, 22. — (3) Hier. ep. 16. ad Princip. — (4) Cass. coll. 10. — (5) Vitæ Patrum Rosvey. l. 5. libello 12. — (6) Ibid. libell. 8. — (7) Ib. l. 9. — (8) Ib. l. 10.

quotidiè Deum adorabat genua flectens, et totidem fundens jaculatorias orationes, ut testatur in ejus vita Baptista Pergilius (1). S. Franciscus tota nocte orabat, hæc sola verba repetens: *Deus meus et omnia*. Pater Didacus Martinez Peruani Regni dictus Apostolus, dicebat sexcentis quandoque vicibus, *Deo gratias*; et ad hoc alios hortabatur, dicens, nullam orationem breviorē esse, nullam Deo magis acceptam (2). Alius quidam è Societate Jesu Jacobus Cerrutus nomine innumerabiles actus amoris, et gratiarum actionis singulis diebus eliciebat, qui pervenerunt aliquando ad viginti quatuor milia: vota verò ter millies quotidiè renovabat (3). Sub regimine P. Consalvi Sylveriae erant qui brevi orationūculā decies millies in die divinum auxilium invocarent (4). Similem orandi frequentiam æmulabantur ex eadem Societate suis scriptis notissimi viri Sebastianus Barrada, et Franciscus Suarez (5), ut alios omittam. Non erit finis exemplorum, si omnium Religiosorum Ordinum percurrere historias velim, et gesta omnium Sanctorum. Recentiora quædam habet Joannes Rho in Historia Virtutum (6).

5. Tanti momenti est ad assequendam brevi tempore perfectionem hoc exercitium, ut illud semper plurimi æstimarint quotquot fuerunt viri doctrinā et sanctitate conspicui. Hoc enim tanquam igne in cordibus nostris accenso consumuntur omnia peccata, vitia omnia destruuntur. Tollit id à nobis, quid-

(1) Perg. in vita B. Clarae p. 1. c. 8. — (2) Nicol. Lancic. opusc. spirit. undec. c. 30. — (3) Ibid. — (4) Nicol. Godignus in vita P. Consalvi lib. 3. c. 10. — (5) Joan. Rho in hist. virtutum l. 3. c. 8. — (6) Ibid.

quid est terrenæ adhesionis, quidquid deformitatis, quidquid dissimiles nos facit Deo, et sanctam cum illo unionem impedit. Eo mediante vincuntur tentationes, acquiruntur virtutes, perficiuntur operationes, cœlesti lumine imbuitur intellectus, exercentur actus supernaturales, purificatur intentio, erigitur affectus, inflammatur voluntas, disponitur mens ad contemplationem, et totus homo in Deum transfunditur. *Preces tacitæ nullum habent acuminis*, ait Abbas Gillebertus (1), *privatim sunt, sed privata non petunt; submissior est vox, sed mens intensior, Verbis non eget, nec utitur oratio, quæ puro et pleno fertur affectu*. Divinus homo, et in scholâ amoris versatissimus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis studium orationis, et usum aspirationum unum et idem esse cum mysticâ Theologiâ doctè, et luculenter ostendit (2). Quia sicut Scholastica Theologia habet Deum pro objecto, mystica etiam non nisi de Deo loquitur, sed cum triplici discrimine. Illa disserit de Deo, ut Deus est: hæc ut summè amabilis est. Illa de Deo loquitur cum hominibus, et inter homines: hæc de Deo cum eodem Deo ac in ipso Deo. Illa tendit ad Dei cognitionem, facitque nos doctos et Theologos: hæc tendit ad amorem, et nos ardentē reddidit, ac Theophilos. Principale itaque hujus exercitium est cum Deo loqui, et ipsum Deum in fundo cordis loquentem audire secretis aspirationibus et alloquiis, quæ à nemine, nisi ab ipso dicente, et à Deo intelliguntur. Optimè de hac re pius Poëta (3):

(1) Gilb. serm. 23. in Cant. — (2) Franc. Sales. de amore Dei. l. 6. c. 1. — (3) Hermann. Hugo Piorum desid. elegia provinciali.

Ille meos gemitus, mea scit suspiria solus,
 Quem fugit humani nulla latebra sinus.
 Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt,
 Non nisi nos soli novimus, ille et ego.
 Nemo meos gemitus, vota, aut suspiria novit,
 Nemo, duo nisi nos, et duo sufficimus.

CAPUT VII.

VARIA DOCUMENTA PRO USU, ET PRAXI ASPIRATIONUM.

4. Ut qui domum moliantur à fundamentis, ita nos documenta scripturi pro usu et praxi aspirationum à fulcro, et veluti basi ipsarum, à Dei scilicet præsentiâ, ordiri debemus. Ab hac omnino pendet hæc Angelica exercitatio, neque enim ad absentem aspiramus, aut preces fundimus, qui nos audire et exaudire non possit. Præsens est ille omnibus, et ubique : atque ut canit quidam Religiosus Poëta (1) :

Cuncta Deus replet, Deus est suprâ, Deus infrâ,
 Ethereos orbes habitat, sub Sole, sub aurâ,
 Sub tellure latens, sub Dite, sub æquoris undâ.
 Omnia plena Deo.

Romanus sapiens ad suum Lucilium scribit (2) : *Non sunt ad cælum elevandæ manus, neque exorandus ædituus, ut nos ad aures simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico (Lucilli) sacer intrâ nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, et custos : hic pro ut à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo*

f. (1) Bapt. Mantua. s. sylvarum. — (2) Seneca ep. 41.

nemo est. Præsentiâ itaque divina per se considerata facillima est : nam quid facilius quàm illum intueri, qui ubique est, in quo vivimus, movemur, et sumus? Sed attentâ naturæ nostræ corruptione, quæ per inepta et corpori jucunda vagari consuevit, cœcutimus plerique, et lucem ubique fulgentem non videmus. Sicut homini cæco præsens est sol, sed ipse soli absens est : sic omnis stultus et impius præcûl à Deo est, non quia Deus illi sit absens, sed quia ipse, utpotè cæcus, præsentem non videt. *Magna hæc miseria est, ut scribit Augustinus (1), cum illo non esse hominem, sine quo non potest esse : in quo enim est, sine dubio, sine illo non est, et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, et diligit, cum illo non est.* Ut ergò cum illo simus, semper ad illum respiciamus, ejusque amorem assiduis aspirationibus excitemus, et augeamus. Amor enim oculum mentis ita afficit, ut non nisi amatum videre libeat. De illo quem amat, semper cogitat homo, semper loquitur, semper ad ipsum aspirat : et muò ista fiunt, præsentiâ Dei studium aspirandi gignit, ipsisque aspirationibus eadem fovetur, et nutritur.

2. Cùm autem varii sint modi à diversis scriptoribus (2) traditi, quibus Deum præsentem habere et concipere possumus ; ille cæteris præferendus, qui nec caput lædat, aut imaginationem, nec stolidos,

(1) Aug. l. 14. de Trin. c. 12. — (2) Scripserunt de præsentia Dei ex professo Virg. Ceparius, Joan. ab Angelis, Ant. Gaudier, Nicol. Laneic. Fran. Arias, Alphons. Rodrig. t. 1. Jacob. Alvarez t. 3. Lud. de Poute in Duce spirit. Thomas Massut. l. 2. de cœlesti convers. Ludov. Parisiensis Capucin. in Palatio divini Amor. cap. 130. usque ad 150, et alii passim.

Ille meos gemitus, mea scit suspiria solus,
 Quem fugit humani nulla latebra sinus.
 Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt,
 Non nisi nos soli novimus, ille et ego.
 Nemo meos gemitus, vota, aut suspiria novit,
 Nemo, duo nisi nos, et duo sufficimus.

CAPUT VII.

VARIA DOCUMENTA PRO USU, ET PRAXI ASPIRATIONUM.

4. Ut qui domum moliantur à fundamentis, ita nos documenta scripturi pro usu et praxi aspirationum à fulcro, et veluti basi ipsarum, à Dei scilicet præsentiâ, ordiri debemus. Ab hac omnino pendet hæc Angelica exercitatio, neque enim ad absentem aspiramus, aut preces fundimus, qui nos audire et exaudire non possit. Præsens est ille omnibus, et ubique : atque ut canit quidam Religiosus Poëta (1) :

Cuncta Deus replet, Deus est suprâ, Deus infrâ,
 Ethereos orbes habitat, sub Sole, sub aurâ,
 Sub tellure latens, sub Dite, sub æquoris undâ.
 Omnia plena Deo.

Romanus sapiens ad suum Lucilium scribit (2) : *Non sunt ad cælum elevandæ manus, neque exorandus ædituus, ut nos ad aures simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico (Lucilli) sacer intrâ nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, et custos : hic pro ut à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo*

f. (1) Bapt. Mantua. s. sylvarum. — (2) Seneca ep. 41.

nemo est. Præsentiâ itaque divina per se considerata facillima est : nam quid facilius quàm illum intueri, qui ubique est, in quo vivimus, movemur, et sumus? Sed attentâ naturæ nostræ corruptione, quæ per inepta et corpori jucunda vagari consuevit, cœcutimus plerique, et lucem ubique fulgentem non videmus. Sicut homini cæco præsens est sol, sed ipse soli absens est : sic omnis stultus et impius præcûl à Deo est, non quia Deus illi sit absens, sed quia ipse, utpotè cæcus, præsentem non videt. *Magna hæc miseria est, ut scribit Augustinus (1), cum illo non esse hominem, sine quo non potest esse : in quo enim est, sine dubio, sine illo non est, et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, et diligit, cum illo non est.* Ut ergò cum illo simus, semper ad illum respiciamus, ejusque amorem assiduis aspirationibus excitemus, et augeamus. Amor enim oculum mentis ita afficit, ut non nisi amatum videre libeat. De illo quem amat, semper cogitat homo, semper loquitur, semper ad ipsum aspirat : et muò ista fiunt, præsentiâ Dei studium aspirandi gignit, ipsisque aspirationibus eadem fovetur, et nutritur.

2. Cùm autem varii sint modi à diversis scriptoribus (2) traditi, quibus Deum præsentem habere et concipere possumus ; ille cæteris præferendus, qui nec caput lædat, aut imaginationem, nec stolidos,

(1) Aug. l. 14. de Trin. c. 12. — (2) Scripserunt de præsentia Dei ex professo Virg. Ceparius, Joan. ab Angelis, Ant. Gaudier, Nicol. Laneic. Fran. Arias, Alphons. Rodrig. t. 1. Jacob. Alvarez t. 3. Lud. de Poute in Duce spirit. Thomas Massut. l. 2. de cœlesti convers. Ludov. Parisiensis Capucin. in Palatio divini Amor. cap. 130. usque ad 150, et alii passim.

et quasi abstractos in peragendis ordinariis actionibus nos reddat, sed potius adjuvet ad solita exercitia perfectius obeunda. Hic duplex est. Primus consistit in actuali fidei exercitio circa tria, circa ejus immensitatem, quâ cœlum et terram implet, circa scientiam infinitam, quâ omnia videt et penetrat, etiam intimas cogitationes; circa ejus concursum ad omnes nostras actiones. Per simplicem enim istarum veritatum apprehensionem Dei assidue recordari facillimum erit: cumque hinc phantasmata absint, et actus imaginationis, non erit hic modus illusionibus subjectus, et capitis fatigationi. Secundus multo isto perfectior ille est, quo Deum non jam extrâ nos, sed in abdito cordis, et in intimo spiritus nostri præsentem, et in nos sua bona effundentem purissimo mentis oculo intuemur. *Nescitis*, ait Apostolus (1), *quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis?* Magna cæcitas multorum est, et non modica ignorantia, Deum semper extrâ se quærentium, ac si procul ab illis esset. Nam si est in omnibus rebus (ut fides docet) procul dubio etiam in nobis est, magis intimus nobis quàm anima corpori, quâ de causâ à Platonicis (2): *Anima mundi* dicitur, non quasi pars, et forma ipsius, sed tanquam perfectissima causâ tribuens omnibus esse et operari. Tutius est autem Deum intrâ nos ipsos, quàm in aliis creaturis quærare, et aspicere: species enim

(1) 1. Cor. in, 16. — (2) Variæ sunt Platonicorum sententiæ de Anima mundi. v. Proclum. et ex recentioribus Foxium in Timæum. Alcinoium c. 12. ac ib. Comment. Jacob. Carpentarii. Plotinum l. 2. 3. s. enn. 2. ac ibid. Ficium, qui item legendus l. 4. Platonice Theolog.

externa creaturarum ita nos sæpè detinet, et rapit, ut non sinat ad Creatorem in illis habitantem intrare. Ideò querebatur Augustinus (1), se foris Deum quæsisse, qui intrâ ipsum erat. *Mecum eras*, inquit, *et tecum non eram*. Hæc Dei præsentia Sanctæ Catharinæ Senensi usui erat, quæ (teste Raymundo) in ejus vitâ, cellulam sibi secretam intrâ se ipsam fabricavit, in quâ jugiter cum Deo morabatur. Felix planè cubiculum, in quo anima seipsam abscondit à tumultu creaturarum, et cum magnâ tranquillitate Deo creatori intendit. Sententia Salvatoris est (2): Regnum Dei intrâ nos esse: Regnum verò Dei est ipsemet Deus cum universis divitiis suis. Ad ipsum igitur intrâ nos habitantem in fundo et essentiâ animæ ignitis aspirationibus introvertere nos debemus, semper de illo cogitando, ut ad ejus amplexum, et felicem cum eo unionem tandem pervenire, seu perducì mereamur.

3. Semper debet anima sancta, et veri sponsi amica (ut docet Richardus) (3) ad dilectum suum summo cum desiderio inhiare, parata semper et vocanti occurrere, et pulsanti aperire. Sed in hac introversione et praxi aspirationum, sicut et in reliquis exercitiis, vulgatum illud attendere debet, *Ne quid nimis*: ne videlicet ultrâ vires assumantur, ita ut caput gravetur ex nimia attentione, vel intentione affectus. Cavendum quoque, ne nimis extendat intellectum, ne si altius, quàm oporteat, volare tentaverit, à simplicitate aberrans internis tenebris involvatur: ex quibus intolerabiles miseriæ et anxie-

(1) Aug. lib. 10. Conf. c. 27. — (2) Luc. xvii, 21. — (3) Rich. lib. 4. de contemp. c. 13.

tates oriri solent. Discretio hinc necessaria est, et simplicitas cum suavitate conjuncta, sicut dicit Scriptura (1), *Mel invenisti, comede quod sufficit.*

4. Eliciendæ sunt aspirationes, non perfunctoriè, et festinanter, sed cum maturâ serenitate spiritus, et interiori harmoniâ; ita ut reverâ sentiat anima se Deum quærere, et ipsum velle in mente suâ invenire, non alia de causâ, nisi ut ipsum diligit toto corde, totis viribus, tota virtute. Proderit aliquando, ex doctrinâ Seraphici Bonaventuræ (2), puras manus ad cælum levare, et suam interdum audire vocem: proderit ad sublevandam intentionem in cælum suspicere; sed cavendum ne extrâ se vegetur spiritus, et ne ipsæ Aspirationes sola voce prolatae steriles fiant, et sine fructu. Spiritus enim fertur in Deum per anagogicos excessus, oculo intellectus ferè clauso, ac sopitis ejus discursibus, cum sancto silentio, ac ferventissimo affectu. Quare minima pars intellectui, maxima voluntati tribuenda est.

5. Convenit hoc exercitium illis præsertim, qui animam jam à vitis expurgarunt, et aliquid in viâ illuminativâ, studioque virtutum, et exercitio meditationis profecerunt. Postquam enim anima ab affectu sæculi mentalis orationis exercitatione abducta fuerit, ita ut sentiat divinum in se ignem succensum, relicto statu meditationis ad statum transit aspirationis, post quem demùm ad contemplationem, et ad mysticam Theologiam pertingit. Rectè S. Nilus (3): *Si es Theologus, verè orabis; et si eris*

(1) Prov. xxv, 16. — (2) Bon. spec. discipl. p. 1. part. 2. c. 6.

— (3) Nilus de orat. c. 57.

Theologus, et verè orabis, Theologus verè eris. Et B. Joan. Climacus (1): *Statum tuum oratio tua manifestat tibi, hanc enim Monachi esse speculum tradunt Theologi rectissimè.* Sententia hæc est omnium Mysticorum post orationem vocalem, et meditationem poni aspirationes, tanquam modum orandi perfectiorem, per quem fit transitus ad orationem internam, et divinitus infusam. De quâ re legendi sunt duo viri eximii ex Ordine Capucinorum: Benedictus Anglus in Regulâ perfectionis (2), et Victor Gelenius (3) in Praxi mysticæ Theologiæ. An verò deserendus sit status meditationis, tribus indicis cognosces, quæ tradit Joannes à Cruce (4) in Ascensu montis Carmeli. Primum est, si jam non possis meditari, neque imaginationis operâ uti, nec ullam ab hac re mentis refectionem, sed potius ariditatem percipias. Secundum, si nec placeat, nec gratum sit animæ tuæ ex industriâ occupare imaginationem, et desigere in aliquo objecto. Tertium, quando libet et placet animæ solam manere cum amorosa ad Deum attentione in quadam interiori pace, et quiete, absque actu saltem discursivo potentiarum. Tria hæc indicia simul sumpta in te animadvertere debes, quicumque optas à statu meditationis tutò ad alium sublimiorem progredi.

6. Requiritur alia quædam ad hoc exercitium, puritas cordis, rectitudo intentionis; perfecta abnegatio et nuditas ab omnibus imaginibus, et idolis creaturarum; fuga curiositatum, inutilium ser-

(1) Clim. gradu 28. — (2) Bened. Anglus Reg. perf. 1. pag. c. 19. — (3) Gelen. 1. dec. 4. a. 10. et dec. 6. per totam. —

(4) Jo. à Cruce Ascens. montis Carmeli 1. 2. c. 13.

monum, humanarum consolationum, et vanarum occupationum, desiderium semper proficendi, humilitas, mens libera, et expedita ab omni terrenâ delectatione: lectio spiritualis, collocutio de rebus divinis; internum, externumque silentium, sicut scriptum est (1): *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet*. Quælibet vel minima inordinatio, quicumque tenuissimus affectus ergâ aliquam creaturam, quævis levior offensa, aut exterior distractio, moram injiciunt animæ ad unionem cum Deo properanti. *Quantumcumque enim* (ait quidem vir Sanctus) (2) *profecisse videamur ad extrâ in bonis spiritualibus, et apparentiis, seu in reputatione sanctitatis, totum inane, et parvum est; nisi interior homo fuerit reformatus, et Deo conformis*. Constat autem ex his, non exigi ad hanc sapientiam acumen ingenii, et multiplicem cognitionem; sed simplicitatem, et purum atque ardentem affectum, cum assistentiâ Spiritus sancti, qui super humiles et parvulos requiescit. Quare multum lugendi sunt illi, qui solis externis exercitiis contenti, et interiorum animæ fundum negligunt, et sanctam cum Deo unionem. Numquam enim satiari anima poterit, et si omnibus spiritualibus divitiis abundet, nisi per amoris contactum, et intimam unionem Deum consequatur. *Fecisti nos Domine ad te*, inquit Augustinus (3), *et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: donec scilicet ærissimo tecum amoris vinculo conjungatur.

7. Solet praxis aspirandi dura admodum, et dif-

(1) Eccl. xxxviii, 25. — (2) Gerlacus in solil. c. 25. — (3) Aug. l. 1. Confess. c. 1.

ficillis nondum exercitatis apparere. Natura enim instabilis, et libera, variisque cogitationibus, et desiderii assueta, frenum divini amoris pertinaciter fugit: et quia statim fructum non videt, tanquam laborem nullius momenti contemnit. Sed hoc commune est omnibus exercitiis, quorum initia semper sunt difficilia: labor autem assiduus omnia vincit, et eum laudabilis consuetudo firmiter in animâ stabilita fuerit, quasi in naturam transibit, rebusque divinis tam facile intendet, quam facile spirat ac vivit. Accedit gratiæ auxilium, quod assidue implorare oportet: nam, ut ait Chrysostomus (1), *Suprà vires hominis est serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis, et actus Spiritus sancti*. Unde sicut ad calorem nulla propinquior dispositio invenitur, quam ipsemet calor; ita nulla ad orationem convenientior præparatio ipsâ oratione. Quod si anima interdum langueat, ita ut ægrè aspirationes producat, aliqua pia meditatione utendum est, donec cor meditando incalescat, et mox ad aspirationes redeundum. Docet Gelenius (2), et addit, debere unumquemque in hunc finem sibi ipsi instituire colloquia plangentia sui ipsius vilitatem, et infidelitatem circa mortificationem, et virtutes: quæ si desint, petenda erunt ex meditationibus, et soliloquiis S. Augustini. Si verò nec meditatione, nec hujusmodi colloquiis cor excitetur, non propterea abjicienda spes est, sed constanter perseverandum difficulter agendo, et varias aspirationes quantumvis frigidè et aridè eliciendo, quoad usque, probata fide, victoria à Domino misericorditer concedatur. Tale est argumentum sanc-

(1) Chrys. lib. 2. de orat. — (2) Gelen. 1. p. dec. 6. art. 5.

tarum exercitationum, quale et plantarum; quotidie crescunt, quamvis id non appareat: processu vero temporis crevisse videbis, licet ipsum non videris incrementum.

8. Cum eliciuntur aspirationes, extendenda intentio est ad finem ipsarum, qui est animam purificare, et disponere, aptamque reddere ad contemplationem, et unionem cum Deo. Qui gressum mentis in ipsis figit, nihil agit; quia juxta SS. Patrum vulgatissimum proloquium, non progredi in via Domini retrogredi est; et qui non ascendit, descendit. Omnis fructus et finis orationis, ex sententia Bonaventuræ (1) est Deo adherere, et unum cum eo spiritum fieri per liquefactionem purissimi amoris, et speculationem serenissimæ cognitionis, et absconsonem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu, per excessum quietissimæ fruitionis; ubi omnes vires animæ et potentiæ à suis dispersionibus simul collectæ, et in unum verum, et simplicissimum, ac summum bonum fixæ, in quandam divinæ conformationis, et æternæ stabilitatis similitudinem transformantur. Ad hunc finem datæ sunt nobis à creatore vires animæ nostræ, non ut eas rebus terrenis mergamus, sed ut eas sanctis aspirationibus ad ipsum Deum efferamus, ad quem possidendum conditi sumus, et his quasi brachiis bonum nostrum, nostramque felicitatem amplectamur.

9. Qui ex hac saluberrimâ exercitatione uberes fructus percipere cupit, nulla unquam die, imò nulla hora, si fieri possit, eam intermittere debet. Cum enim non sit opus continuum, sed moralis discre-

(1) Bon. de process. Relig. proc. 7. c. 14.

tum, omnibus ferè actibus interseri potest, seu quis mente perspicax, seu tardus ingenio sit. Præclare Sanctus Ephrem (1): *Bonum fuerit semper orare, et numquam deficere, quemadmodum ait Dominus, Quare sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Sive in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro: et si oves pascas, et ædificia construas, et si in symposio verseris, ab oratione cave desistas.* Olim præcepit Deus (2), ut ignis in altari suo semper arderet, quem nutrit, inquit, Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies. Altare autem Dei, ut magnus Gregorius interpretatur (3), est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere. Sunt qui certum quotidie pensum aspirationum à se exigunt, quod vix probarim, nisi discretio adsit, et magistri spiritualis consilium: affectum enim sequi in his oportet, et impulsum Spiritus sancti, qui certæ regulæ non subjicitur. Quidam cum legisset, S. Bartholomæum Apostolum centies in die orasse, ut eum imitaretur, centies quotidie aspirabat ad Deum factis sibi quibusdam Litanis ex Dei nominibus et attributis: quod qualiter fieri debeat, scribit Jacobus Alvarez (4). Usus et uncio plura docebunt.

10. Concludo hoc caput aliquot documentis, ab his specialiter observandis, quibus gratia aspirationum à Deo concessa est. Et primò quidem ne hujus

(1) Ephrem c. 1. hom. de orando Deum. — (2) Levit. vi, 16. — (3) Gregor. l. 25. moral. c. 7. 3. — (4) Alvar. t. 3. lib. 4. p. 3. c. 10.

doni *ja*cturam faciant, se illo prorsus indignos fateantur, nec propterea insolescant, sed vilius de se sentiant, et gratiam Dei humilitatis velo occultent. Secundo caveant, ne eos contemnant, qui ejusmodi dono carent; fieri enim potest ut majorem illi charitatem habeant, et gratiores Deo sint in sua simplicitate. Tertiò advertant, ne aliquá prævienti consolatione, ac dulcedine spirituali, nimium erga illam afficiantur, sicut ait Psalmista (1), *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Satis enim, et tutius est gloriari cum Apostolo in cruce Domini nostri Jesu Christi, quam in sensibili devotione, et delitiis spiritualibus. Cessante autem operatione divinâ, recurrant ad propriam, et gratiæ subtractionem patienter ferant. Quartò ita influxui divinæ gratiæ satisfacere curent, ut vires corporales minimè lædantur: magno etenim periculo subjecta est spiritualis ingluvies, quâ quis percepta gratiæ suavitate spiritum urget indiscretè ad majorem fervorem, quam corpus ferat. Quintò divinæ gratiæ abundantiam ad sui mortificationem dirigant, et ad virtutum exercitationem; nec ita sinant se devotione absorberi, ut opera misericordiæ, et vitæ activæ officia negligant. Hæc monita Thomas à Jesu in libris de divinâ oratione tradit; exercitatis autem plura suggeret Spiritus sanctus.

(1) *Psal.* LXXI, 11.

CAPUT VIII.

QUI SINT FONTES ASPIRATIONUM, QUÆ MATERIA, QUIS ORDO?
DE TRIPLICI STATU INCIPIENTIUM, PROFICIENTIUM, ET
PERFECTORUM.

1. Fontes copiosissimi, è quibus elici et hauriri possunt quam plurimæ aspirationes, hi ferè sunt. Consideratio cœlestis patriæ, tædium hujus miseræ vitæ, desiderium videndi Deum, divinæ bonitatis, et misericordiæ magnitudo, Dei sapientia, potentia, justitia, et cætera attributa, dolor de peccatis, affectus gratitudinis erga Deum, amor in Deum, zelus animarum, passio Salvatoris, amor Dei erga nos, divinæ providentiæ admiratio, et desiderium patiendi pro Christo. His accedunt actus abnegationis, pœnitentiæ, charitatis, humilitatis, et cæterarum omnium virtutum. Quorum omnium materia desumi potest vel ex proprio cujusque affectu et devotione; vel ex verbis sacræ Scripturæ, vel ex Sanctis Patribus, aliisque piis Scriptoribus. Sacra Scriptura, maxime verò in Psalmis, hujusmodi affectuum feracissima est: et hi cæteris præferendi, quia nihil Deo gratius esse potest, quam si verbis à Spiritu sancto dictatis eum alloquamur. Sequuntur opuscula Sanctorum Patrum, et mysticorum Theologorum, quæ uberrimam aspirationum materiam suppeditant; præsertim confessiones S. Augustini, et ejusdem Soliloquia, Manuale, et Meditationes: opera item S. Laurentii Justiniani, Dionysii Carthu-

siani, Joannis Lanspergii, Thomæ à Kempis, et Ludovici Blosii, aliorumque recentiorum (1).

2. Thomas Massutius (2) triplicem librum describit, unde materia aspirationum desumi potest. Primus liber magnus est valdè, semper apertus, omnibus visibilis. Secundus parvus, occultus, omninò invisibilis, et à paucis tantummodo intelligibilis. Tertius magnus, et parvus; apertus, et clausus; visibilis, et invisibilis, et ex se intelligibilis. Primus est Mundus, qui, ut ait Basilius (3), perinde est ac liber litteris exaratus, palam contestans et prædicans gloriam Dei. Hujus quatuor sunt paginæ evolvendæ, a quo factus sit, ad quid, quâ ratione, et quantâ rerum varietate exornatus. Hunc verò nonnulli inutiliter legunt, vani scilicet et curiosi mundi sapientes, quales fuerunt infideles, qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis: alii perniciosè qui tanquam pueri analphabeti solam externam speciem creaturarum respicientes, indè sumunt occasionem recedendi à Creatore, ut adhæreant creaturæ: quidam utiliter et cum fructu spirituali, qui Deum in creaturis contemplantur, et in singulis operibus conditoris sapientiam, bonitatem, potentiam, et reliqua attributa laudant, prædicant, admirantur. Secundus est conscientia, sive cor nostrum pravum, profundum, et inscrutabile. In eo legere oportet, quid fuit homo, quid est, quid erit: quid potuit, quid possit, quid poterit:

(1) Vide Jacobum Alvarez. et viam vitæ æternæ Antonii Suetet. — (2) Massutius initio l. 2. de cæl. convers. — (3) Basil. hom. 11 exam.

quid fecit: quid nunc faciat, quid facturus sit. Deinde observandum, à quo sit scriptus, quæ sint in eo scripta, et ad quem finem. Scriptus est autem à Deo, et à nobis, sed stylo valdè diverso: à Deo litteris aureis inspirationum, admonitionum, legum, et dictaminis r. etæ rationis: à nobis atramento culparum, et imperfectionum. Tertius est sacra Scriptura, cujus sunt libri historici, prophetici, morales, et mixti: in quibus quot apices, tot mysteria; quot verba, tot sunt incentiva nostri erga Deum amoris: si tamen legatur eo spiritu, quo scripta est.

3. Quod verò spectat ad ordinem aspirationum, ille in praxi omninò promiscuus est. Nimia enim amoris fecunditas est, nec attendit quo ordine, quâ lege, quâ ve serie erumpat. Interdum nec verba requirit, nec voces omninò ulla, solis ad hoc contentus suspiriis: tunc præcipuè, quando voluntas accensa est, quia tunc, ut monet Seraphica Virgo Teresia (1), tollendi sunt discursus intellectus, et strepitus verborum, ne his tanquam lignis amoris scintilla opprimatur et suffocetur. Aliæ quidem aspirationes incipientibus, aliæ proficientibus, aliæ perfectis conveniunt: sed quandoque incipiens proficientium et perfectorum orationes assumit, ut discat ad altiora cor suum erigere: et isti vice versâ incipientium aliquandò induunt affectus, ne perdant humilitatem, dum semper habitant in excelsis. Porro affectus incipientium sunt horror inferni, detestatio peccati, timor judiciorum et justitiæ Dei contritio, petitio veniæ, odium et contemptus sui, suæ vili-

(1) Teresia vitæ suæ c. 15.

tatis cognitio et erubescencia. Proficientium, imitatio Christi et Sanctorum, gratitudo, perfecta abnegatio, amor virtutum, et desiderium eas acquirendi. Perfectorum, gaudium spirituale, admiratio divinæ majestatis, amor Dei, ingens desiderium sanctificationis nominis ejus, et adventus regni ipsius.

4. Triplex igitur est status vitæ spiritualis: quia, ut dicit D. Gregorius (1), aliud sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. In primo statu sunt Incipientes, quasi tyronum agmen; in secundo proficientes, quasi tyrocinium prætergressi; in tertio perfecti, quasi milites veterani. Sanctus Maximus martyr (2) primos servis, medios mercenariis, postremos filiis comparat. Angelicus Doctor (3) tribus ætatibus hunc triplicem statum assimilat, infantia, juventuti, et virilitati: ut enim docet Augustinus (4), *Nascitur Charitas divinâ operante misericordiâ; cum nata fuerit, crescit, et roboratur, roborata demique perficitur*. Primus status purgat, secundus illuminat, tertius perficit: qui sunt tres actus Angelicæ et humanæ Hierarchiæ à Dionysio Areopagita descripti. S. Bonaventura (5) tres assignat operationes, quas juxta hanc triplicem viam charitas in anima exercet. Primam vocat virtutis vigorem, quia mediante vigore gratiæ anima purgatur à peccatis: secundam veritatis splendorem, quia studio mortificationis divinatorum cognitione anima illustratur: tertiam charitatis ardorem, quia

(1) Greg. hom. 15. in Ezech. — (2) Maximus Mar. de eccl. mystagogia c. 24. — (3) D. Thom. 2. 2. q. 24. n. 9. — (4) Aug. tract. 5. in epist. Joannis. — (5) Bonav. p. 5. brevilogii c. 10.

vi amoris anima in Deum transformatur. Via purgativa purgat ac perficit sensus, illuminativa rationem, unitiva spiritum sive mentem, quæ est animæ superior pars. Purgativa Deo Patri appropriatur, cui potentia attribui solet: illuminativa Deo Filio, tum quia est sapientia Patris, tum quia hæc via in Christi imitatione consistit: unitiva Spiritui sancto, cujus proprius effectus est unio per amorem. In prima cognoscit homo seipsum, in secunda Deum, in tertia studet unioni, et transformationi in ipsum: quia omnis vitæ spiritualis substantia ad hæc tria puncta refertur, quid sit homo, quid sit Deus, et qualiter hæc duo unum per amorem efficiantur. Sicut ignis cum in lignum viride operatur, primo frigus et humiditatem tanquam obstacula sua expellit; deinde calorem et siccitatem immittit, veluti qualitates ad aditum suum necessarias; ac tandem intimè illi unitur: sic ad unionem animæ cum Deo primùm amoliri oportet omnia impedimenta; postea requisitas dispositiones adferre: quibus peractis infallibiliter unio subsequetur.

5. In primo purgantium statu sunt peccatores post conversionem, qui præterita peccata puniunt, et pugnant ne iterum labantur in ea; qui pravyos habitus exsecant, et passiones interimunt. Et ideo carnem castigant jejuniis, vigiliis, laboribus, aliisque austeritatibus, lacrymisque, et contritioni operam dant: In secundo proficientium illi degunt, qui terrenorum affectum deponentes puritati student, et virtutum acquisitioni: virtus enim est proprium ac verum animæ lumen. Crebris idcirco meditationibus de Christi virtutibus et doctrina

urgent semetipsos; et accendunt ad imitationem. In tertio demum illi quiescunt, qui purgata jam mentis acie arcano nexu Deo uniri merentur, et eâ pace fruuntur, quæ exsuperat omnem sensum. Una sanè est charitas, cui omnes isti incumbunt, sed gradus et incrementa diversa sunt. Contingit autem nonnunquam, Deo sic disponente, ut tyrones perfectorum prærogativis locupletentur, et ad divinæ contemplationis altitudinem (quamvis brevi mora) eleventur: ne fortè objecta virtutis difficultate, ac tentationum pressura territi, ab incepto itinere resiliant. Sicut è contrario acerrimis tentationibus perfectiores animæ aliquando infestantur, Deo permittente; ne, sicut de ipso testatur Apostolus, magnitudine revelationum extollantur. Gustata enim à poenitentibus suavitate spiritus, desipiunt illis mundus et caro: et cum perfectus incipientium molestias patitur, despicit se ipsum, et impensius laborat, ac si ab apice perfectionis longo admodum itinere distaret.

6. Sunt autem hic tria advertenda, quæ ex dictis colliguntur. Primum, quod, cum vita spiritalis duplex sit, activa, ac contemplativa: ad activam duo priores status pertinent, tertius ad contemplativam. Secundum, quod amor, de quo loquimur, et in quo sita est Christiana perfectio, non est amor afficiens, sive affectuosus, ut ajunt, sed efficiens, practicus, et obediens, qui à proprio bono voluntatem omninò abducit, Deoque subjicit, ejusque voluntati tam imperanti, quam consulenti conformem facit. Affectus quidam teneri et molles, ignavi sunt, et otiosi, et lacryma nihil

cilius arescit. Si quis Dominus servum habeat, qui domi otiosus sedeat, magnificentiam ejus et opes semper contemplans, et nihil aliud obsequi præstet, is certè hunc servum tanquam muneri suo ineptum arguet, et à servitio amovebit. Ideò Christus observantiam mandatorum præcipit, et Sancti Patres studium bonorum operum super omnia commendant. Ad hunc amorem practicum omnes aspirationes dirigi debent; ex illo quippe oritur vera et solida devotio, purum gaudium, atque acquisitio virtutum. Tertium, quod licèt distinxerimus tres supradictos status penes tria officia et exercitia, puritatis scilicet, lucis, et amoris; non id tamen eo sensu intelligendum est, ac si purgatio ad cæteros status, illuminatio ad primum et tertium, et perfectio ad duos priores non extendatur. In unoquoque enim omnes actus hierarchici reperiuntur; et in purgativa non solum emundatio à peccatis, sed etiam notitia veritatis, et Dei amor vigens, et sic de reliquis; tantoque excellentius isti actus fiunt, quanto status est sublimior. Ideirò tamen unicuique statui proprium destinatur officium, quia illi congruentius, magisque essentielle est, et ad ipsum duo reliqua dirigere oportet: in primo nimirum, lucem et amorem ad purgationem, in secundo purgationem et amorem ad illuminationem, in tertio puritatem et lucem ad amorem. Hæc (1) autem actuum communicatione fit, ut et dolor ex amore dulcior sit, et amor ex causis ritè perpensis justis doloris securior, et incitator: cumque commiscerentur actus unius viæ cum actibus et exercitiis

(1) Henric. Morus in Methodo exercitiorum S. Ignatii § 1.

alterius; incipientes ad majora jugiter aspirant: proficientes verò et perfecti memoriam retinent et affectum earum rerum, quæ sunt fundamenta perfectionis, et prima principia sanctitatis.

CAPUT IX.

TRANSITUS AB ASPIRATIONIBUS AD CONTEMPLATIONEM. AD-
DITA QUEDAM DE ASPIRATIONE PASSIVA. QUID SIT CON-
TEMPLATIO. EJUS OBJECTUM ET CAUSÆ.

1. Aspirationibus tanquam alis evehitur Anima ad felicissimas cum Deo nuptias; earum enim mediante usu id evenire potest, quod dixit Abbas Alois (1): *Quia si vult homo, in unâ die usque ad Vesperam pervenit ad mensuram Divinitatis. Sed hoc ratum, difficillimum, et vix intelligibile est: et nos infra de duratione statûs aspirationum disseremus. Nunc videndum, quo pacto ab illis ad contemplationem fiat transitus. Revocata siquidem ad interiora sua, mediante aspirationum activitate, inferioris hominis capacitate, et elevatâ ad Deum mente motibus anagogicis, affectuque succenso, spiritus rationalis à vinculis passionum, et fallaciis sæculi expeditus ad cœlestia perlustranda lumen internum dirigit, et ad statum transit altissimæ ac divinæ contemplationis. Illuxerunt, inquit Psalmographus (2), *coruscationes tuæ orbî terræ: commota est terra. Sunt enim aspirationes quasi**

(1) *Vitas Patrum*. lib. 5. libello 11. — (2) *Psal.* lxxvi, 19. et xcvi, 4.

subitanæ illustrationes, quibus subinde coruscantibus, terra humani cordis admiratione cœlestium excitata, terrena relinquens ad superna elevatur. Quia verò celerrimè motiones istæ anagogicæ peraguntur, nisi aspirans cogitationes impertinentes, quæ animo sese ingerunt, rejiciat, aliamque protinus substituât aspirationem, cujus additione distractio cohibeatur, haud fieri poterit, quin mens prona ad evagationem statim ad externa dilabatur, quæ sensibus objiciuntur. Hanc calamitatem in seipso experiebatur, et sic deplorabat Augustinus (1): *Aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem: quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosa ponderibus, et resorbeor solitiis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miser utrobique. Sategendum est itaque, ut spiritus in se ipso conclusus, atque à distractionibus, affectuque inordinato liber exardescat sicut ignis; et suspiriis ac desideriiis piè scintillantibus seipsum benè afficiat et Deo conjugat.*

2. In hoc statu respirationis vix ultra annum devotus exercitator detinebitur, ut Gelenius observat (2): solet enim eo spatio emenso ad firmum intuitum contemplationis transire, ut ignem amoris intus clausum ab instantaneo motu anagogico ad ampliora spiritualis magnitudinis spatia extendat. Si

(1) *August.* lib. 10. *confess.* c. 40. — (2) *Gelenius* p. 1. dec. 6. art. 7. et *Candfelt* de voluntate Dei p. 1. c. 13.

alterius; incipientes ad majora jugiter aspirant: proficientes verò et perfecti memoriam retinent et affectum earum rerum, quæ sunt fundamenta perfectionis, et prima principia sanctitatis.

CAPUT IX.

TRANSITUS AB ASPIRATIONIBUS AD CONTEMPLATIONEM. AD-
DITA QUEDAM DE ASPIRATIONE PASSIVA. QUID SIT CON-
TEMPLATIO. EJUS OBJECTUM ET CAUSÆ.

1. Aspirationibus tanquam alis evehitur Anima ad felicissimas cum Deo nuptias; earum enim mediante usu id evenire potest, quod dixit Abbas Alois (1): *Quia si vult homo, in unâ die usque ad Vesperam pervenit ad mensuram Divinitatis. Sed hoc ratum, difficillimum, et vix intelligibile est: et nos infra de duratione statûs aspirationum disseremus. Nunc videndum, quo pacto ab illis ad contemplationem fiat transitus. Revocata siquidem ad interiora sua, mediante aspirationum activitate, inferioris hominis capacitate, et elevatâ ad Deum mente motibus anagogicis, affectuque succenso, spiritus rationalis à vinculis passionum, et fallaciis sæculi expeditus ad cœlestia perlustranda lumen internum dirigit, et ad statum transit altissimæ ac divinæ contemplationis. Illuxerunt, inquit Psalmographus (2), coruscationes tuæ orbî terræ: commota est terra. Sunt enim aspirationes quasi*

(1) *Vitas Patrum*. lib. 5. libello 11. — (2) *Psal.* lxxvi, 19. et xcvi, 4.

subitanæ illustrationes, quibus subinde coruscantibus, terra humani cordis admiratione cœlestium excitata, terrena relinquens ad superna elevatur. Quia verò celerrimè motiones istæ anagogicæ peraguntur, nisi aspirans cogitationes impertinentes, quæ animo sese ingerunt, rejiciat, aliamque protinus substituât aspirationem, cujus additione distractio cohibeatur, haud fieri poterit, quin mens prona ad evagationem statim ad externa dilabatur, quæ sensibus objiciuntur. Hanc calamitatem in seipso experiebatur, et sic deplorabat Augustinus (1): *Aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem: quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosa ponderibus, et resorbeor solitiis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miser utrobique. Sategendum est itaque, ut spiritus in se ipso conclusus, atque à distractionibus, affectuque inordinato liber exardescat sicut ignis; et suspiriis ac desideriiis piè scintillantibus seipsum benè afficiat et Deo conjugat.*

2. In hoc statu respirationis vix ultra annum devotus exercitator detinebitur, ut Gelenius observat (2): solet enim eo spatio emenso ad firmum intuitum contemplationis transire, ut ignem amoris intus clausum ab instantaneo motu anagogico ad ampliora spiritualis magnitudinis spatia extendat. Si

(1) *August.* lib. 10. *confess.* c. 40. — (2) *Gelenius* p. 1. dec. 6. art. 7. et *Candfelt* de voluntate Dei p. 1. c. 13.

quis tamen gratia abundantiori à Deo praeventus et illustratus fuerit, brevissimo tempore, et ut Mystici nonnulli asseverant, intra duos menses ad magnam perveniet contemplationem. Utrum verò transire quis debeat ab aspiratione ad contemplationem, hoc indicio cognoscet: si constet experientia, orationes jaculatorias solito ardore destitui, et internam dispositionem ad intuitum et inhaesiones spirituales inclinare, quasi ad quietem mentalem, non per gustum et intuitum transeuntem, sed qui permanens sit, et perseverans. Sunt quidam spiritu uteri sui coactati quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit, qui parùm memores vicissitudinis humanae, ac inconstantis naturae, impatientissimo desiderio ad Deum feruntur, quasi velint omnia divina quodammodo deglutire: Hi miserè decipiunt se ipsos, quia mox fatigati deficiunt, et internam animi serenitatem adeò necessariam ad contemplationem obscurant, et perdunt. Alii inconsulto statum aspirationum deserunt, ne minus proficere videantur, quàm cæteri, quos legunt, vel audiunt in altiori statu versari: et hi consilio ac humilitate carentes praecipitio proximi sunt et ruinæ, quia sine duce viæ, sine ope scilicet divinae gratiae, per ignotas sibi semitas iter difficillimum arripiunt. Alii denique subtilioris ingenii nudis discursibus et speculationibus intellectus contenti, posse se illis Deum possidere existimant sine amore, qui nos similes Deo facit: et hi similes sunt antiquis Philosophis, evanescentes in cogitationibus suis, et colentes pro Deo suo phantasmata sua. Quælibet enim speculatio intellectus est quid humanum, quod nos in proprio

carcere vincetos detinet: amor autem est quid divinum, quod nos elevat, et rapit extra nos, atque in Deum transformat. Quare Dionysius (1) Timotheum monet: ut omnia intelligibilia transcendat; et ad Cajum scribens ait: *Divinae tenebrae omnem abscondunt cognitionem, et si quis viso Deo, cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid è rebus ejus, quæ existunt et cognoscuntur.* Cui consonans Maximus Martyr (2): *Unus, inquit, Deus sine principio, incomprehensibilis, totam vim ut sit habens per totum, notionem quandò et quomodò sit penitus repellens, utpotè nulli eorum qui sunt ex representatione naturali cognitus.* Qui putant aliter se posse Deum intelligere, et contemplari, parùm tutà gradiuntur viâ; solido enim fundamento pietatis destituti, cum naturalis de Deo oblectatio disparuerit, ad fallaces sæculi voluptates miserando lapsu, revertentur.

3. Non est hoc loco omittendum, quod Joannes à Cruce in flammâ Amoris vivâ (3) scriptum reliquit, præter aspirationes, de quibus hactenus disseruimus, esse aliam aspirationem arcanam, occultam et passivam, quam Deus in anima mirabiliter producit aspirans illi Spiritum sanctum, qui profundissimè illam absorbet, et amore sui inflammat super omnem gloriam et sensum. In centro enim animæ, quæcumque illa sit, latenter moratur Deus, sed cum discrimine. In quibusdam manet velut extraneus in aliena domo, nihil imperans, aut efficiens.

(1) Dionys. c. 1. myst. Theolog. et ep. 1. ad Cajum. — (2) Maxi, mart. com. 1. cap. 1. — (3) Joan. à Cruce in flamma amoris cantu 3.

In aliis libenter habitat, quasi in propria domo, regens illam et gubernans. Talis est anima, in qua nullus jam appetitus, nullae imagines, aut formae creaturarum reperiuntur: huic enim se intimè Deus communicat, hanc amplectitur, in eà quiescit, eique se ipsum revelat, eam excitando, et ad proportionem notitiæ Divinitatis ipsi concessæ eidem aspirat, illam replens Spiritu sancto, ejusque gloria et bonitate. Cæterum hæc Aspiratio passiva ineffabilis est, et ab illis vix intelligitur, qui eà felicissimè perfruuntur. Hac igitur prætermissa, quædam breviter de Contemplatione, quæ statum aspirationis subsequitur, pertractanda sunt.

4. Contemplatio propria Mysticorum functio, et optima pars humanæ vitæ, habet pro scõpo suo et objecto ipsummet Deum, ut D. Thomas (1) testatur: consistit autem in visione quadam suavi, quieta et amabili veritatis æternæ, quam sine discursuum varietate sincerè aspicit et penetrat, ingenti amore atque admiratione, tantaque certitudine et claritate, ut facie ad faciem, sicut de Moyse dicit Scriptura (2), Deum intueri dicatur: non quemadmodum Beati in gloria, sed minori quodam lumine, caliginoso et fidei innixo, quæ ab eo valdè perficitur et clarificatur. Ex cognitione verò accenditur amor, et vicissim ex amore ipsa crescit cognitio. Amor enim ignis est ardens et lucens, et ardens in voluntate illuminat intellectum; impellitque nos ad ibi figendos oculos, ubi est thesaurus, quem diligit cor nostrum, cujus bonitas et pulchritudo, cum sit immensa et infinita, acriores iterum amoris flammæ in corde succendit,

(1) D. Th. 2. 2. q. 180. art. 3. et 4. — (2) Exod. xxxiii, 41.

ex quibus crescit videndi desiderium; nec ullus est finis, donec anima Dilecto adhæreat, et unus fiat cum eo spiritus in æternum. Optimè Clemens Alexandrinus (1): *Non cessabit qui quærit, donec inveniat; cum autem invenerit, admirabitur, admirans regnabit, regnans conquiescet.* Est igitur contemplatio, si latinæ vocis notionem respiciamus (2), rerum occultarum consideratio, seu veritatis investigatio: Theologicè verò accepta, est terminus meditationis, sive considerationis, qui est veritatis quæsitæ, et inventæ intuitio. Auctor libri de spiritu et animâ inter opera D. Augustini (3) sic eam definit: *Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio.* Consonat Bernardus (4): *Contemplatio est verus, certusque intuitus animi de quacumque re; sive Apprehensio veri non dubia.* Aliter Richardus (5), aliter alii (6). Brevissimè D. Thomas (7): *Contemplatio est divinæ veritatis simplex intuitus.* Fusiùs et clariùs Jacobus Alvarez (8): *Est liber perspicuæ, et certus intuitus Dei, ac rerum cælestium admirationem inferens, in amorem desinens, et ex amore procedens.* Dicitur intuitus, quia non est opus rationis discurrentis, et inquirentis veritatem, sicut Meditatio, sed opus intelligentiæ veritatem simpliciter absque discursu inspicientis. Liber autem vocatur ex parte hominis,

(1) Clem. Alexand. 5 strom. — (2) Cicero 1. Acad. et 4. de finibus. — (3) Auctor libri de spiritu et anima apud August. c. 32. — (4) Bern. lib. 2. de Consid. cap. 2. — (5) Richard. lib. 1. de Contemp. cap. 4. — (6) V. Maximi. Sandæum myst. Theolog. lib. 1. comment. 8. Suarez, tom. 2. de Relig. 1. 2. c. 9. — (7) D. Tho. 2. 2. q. 180. art. 1. et 3. — (8) Alvarez. to. 3. lib. 5. p. 2. c. 1.

quia liber esse debet à peccatis, ab affectibus inordinatis, et à curis superfluis: ex parte actus, quia animus à rebus terrenis expeditus, quasi avis in aëre, liberrimo motu vagatur, quocumque Deus illum fert: ex parte objecti, quia illud nudum ab imaginibus sensibilibus, vel in ipsis sibi patefactum contemplatur. Est etiam perspicax, id est clarus, apertus et conspicuus non in lumine gloriæ, sicut in patriâ: sed in lumine fidei, quam lux sapientiæ perficit et exacuit. Certus præterea est, licet non excludat fidei obscuritatem, quia de rebus divinis eò certiores reddimur, quò clariùs eas perspicimus. Hic verò intuitus admirationem maximam infert, quia licet objecta, quæ contemplamur, jam nobis cognita et perspecta sint, tam novo tamen et insolito modo proponuntur, ut stupenda et mirabilia videantur. Tandem contemplatio ab amore Dei incipit, et in amorem desinit: tametsi enim essentialiter sit actus intellectus, principium nihilominus habet in voluntate, quia ex charitate Dei ad ejus contemplationem incitatur, et quia finis correspondet principio, finis quoque ejus est in affectu, dum in visione rei amatæ delectamur, et ipsa delectatio magis excitat amorem.

5. Multiplex est objectum, circa quod versatur contemplatio, Deus inprimis optimus maximus, ut jam supra dictum est, ejusque infinitæ perfectiones. Deinde Christus Redemptor noster, et quidquid ad illum spectat: B. Virgo, Angeli et Sancti, eorumque dotes, et beatitudo: status Ecclesiæ militantis, et ejusdem persecutiones et triumphus: mundus iste visibilis; et omnes creaturæ, quatenus perducunt

nos ad Dei cogitationem et amorem: atque ut uno verbo omnia complectar, quidquid ad meditandum assumitur, materia est quoque contemplationis, nisi quod meditatio investigat, contemplatio degustat: illa discurrit circà objectum, hæc simpliciter intuetur. Causa proxima, unde oritur, est Spiritus sanctus mediantibus donis suis, sapientiâ præsertim et intellectu. Sapientia enim confert intellectui cognitionem altissimam et simplicissimam rerum divinarum, cum quâdam mirabili suavitate, sapore, atque dulcedine. Intellectus intellectui nostro superadditur, ut res fidei intimiùs penetret, et subtiliùs apprehendat. Scientia fidei veritates manifestat rationibus capacitati nostræ accommodatis, elevatque spiritum nostrum à creaturis ad Creatorem, et ab eis cor nostrum avellit, docens nos aspicere ea, quæ habent à Deo, et bonum quod per illas nobis confert. Consilium perficit mentem nostram, ut se mobilem præbeat ad dictamina Dei, et ut discernat in quâvis occasione quid faciendum aut fugiendum sit. Pietas voluntatem exornat, et excitat in eâ piam affectionem ad opera divini cultus, et misericordiæ erga proximos. Neque enim otiosa est contemplatio, sed practica esse debet, et dirigere non solum ad cognitionem et amorem, verum etiam ad operandum et exequendum, quod Deus jubet. Fortitudo corroborat ad opera difficillima, vires naturæ excedentia, ita ut exeamus ab ipsâ contemplatione quasi leones Dæmoni formidabiles. Timor denique imprimat cordi magnam erga Deum reverentiam, et in prosperis atque adversis nos divinæ voluntati perfectissimè subdit. Plura de his Scriptores Mys-

lici (1). Dionysius Richelius (2) post dona Spiritus sancti tres adhuc causas contemplationis enumerat: fervidum scilicet amorem Dei, abstractionem mentis ab omni operatione circa res creatas, et conatum mentis ad extensionem, ac defectionem suam in Deo. Et amor quidem admirabili circulo causa simul est et effectus contemplationis, ut supra in ejus definitione notatum est. Abstractio autem pertinet ad præparationem ipsius, ut idem Dionysius alibi (3) scribit. Quod verò de conata dicit, prudenter intelligendum est: nam contemplatio donum Dei est, quæ neque industriâ nostrâ, neque labore comparari potest; quia tamen dispositivè (ut aiunt) nos circa eam aliquid agimus, ad hoc applicare conatum nostrum debemus, ut præviis dispositionibus ad eam præparemur; abnegatione nimirum, mortificatione, puritate vitæ, meditatione, jugi præsentia Dei, et exercitio Aspirationum. *Status enim divinus*, teste Hesychio (4), *nascitur in animo nostro, ex continuâ Dei memoriâ, et assiduâ ejus invocatione*. Per vitam verò practicam, sive activam, ut ait Olympiodorus (5), quæ est veluti prævia introductio ad theoreticam, pervenimus ad contemplandam divinarum rerum sublimitatem. Ut enim tutum non est cum veste nalare, ita nec cum passione aliquâ Theologiam attingere, ut sapienter Climacus (6) scribit. His

(1) Agunt de donis Spiritus sancti Rasbrochius in regno Deum amantium, Harphius lib. 3, p. 1. c. 10. et 11. Massut. de cœl. conv. 1. 4. Alvarez to. 3. l. 5. p. 2. c. 4. Ponte in Duce spirit. tract. 2. c. 3. § 1. Bonav. in tr. de ipsis. — (2) Dionys. Cartus. tr. de contemplatione. — (3) Idem de fonte lucis. c. 9. inf. — (4) Hesychius Centur. 1. c. 96. — (5) Olympiodor. in eccle. c. 7. v. 12. — (6) Joan. Climacus gr. 27.

igitur præparationibus ritè præmissis, ad fores diviniæ sapientiæ cum magnâ longanimitate et constantiâ pulsare oportet quousque ad contemplationem ipsius, ipsâ auspice, introducatur; ac tandem ad arcanum cum Deo unionem elevemur, quæ est finis contemplationis, et hujus mortalis vitæ suprema beatitudo.

CAPUT X.

INDICANTUR AUCTORES, QUI DE CONTEMPLATIONE SCRIPSERUNT. QUOTIUPLEX EA SIT. QUI EJUS GRADUS ET STATUS? EXEMPLA DIVINE PROBATIONIS, ET PATIENTIE IN DESOLATIONE. DIVISIO ANIME, ET POTENTIARUM EJUS SECUNDUM MYSTICOS. HYMNUS AD DEUM.

1. Quæ de contemplatione dicenda forent, paucis verbis perstringo. Quid enim opus pluribus? Patent fontes. Omnes Mystici Scriptores, et qui de eâ ex professo agunt, Richardus Victorinus libris quinque, Dionysius Carthusianus libris tribus, et aliis opusculis, Jacobus Alvarez libro quinto tertii tomi de viâ spirituali, Ludovicus à Ponte in suo Duce spirituali, et optime libris sex Thomas à Jesu; quibus addo eximiam Christi Heroïnæ S. Teresiam. Ad his petenda quæ hic desunt. Quòd si aliquis cupit Mystico-rum effata scholastico rigore examinare, Franciscum Suarez consulat, in utràque Theologiâ versatissimum, libro secundo de oratione; et Maximilianum Sandæum in sua Mystica Theologia, et in ejusdem Clavi sive Onomastico.

2. Inter Ethnicos sapientes plures fuisse divino-

lici (1). Dionysius Richelius (2) post dona Spiritus sancti tres adhuc causas contemplationis enumerat: fervidum scilicet amorem Dei, abstractionem mentis ab omni operatione circa res creatas, et conatum mentis ad extensionem, ac defectionem suam in Deo. Et amor quidem admirabili circulo causa simul est et effectus contemplationis, ut supra in ejus definitione notatum est. Abstractio autem pertinet ad præparationem ipsius, ut idem Dionysius alibi (3) scribit. Quod verò de conatu dicit, prudenter intelligendum est: nam contemplatio donum Dei est, quæ neque industriâ nostrâ, neque labore comparari potest; quia tamen dispositivè (ut aiunt) nos circa eam aliquid agimus, ad hoc applicare conatum nostrum debemus, ut præviis dispositionibus ad eam præparemur; abnegatione nimirum, mortificatione, puritate vitæ, meditatione, jugi præsentia Dei, et exercitio Aspirationum. *Status enim divinus*, teste Hesychio (4), *nascitur in animo nostro, ex continuâ Dei memoriâ, et assiduâ ejus invocatione*. Per vitam verò practicam, sive activam, ut ait Olympiodorus (5), quæ est veluti prævia introductio ad theoreticam, pervenimus ad contemplandam divinarum rerum sublimitatem. Ut enim tutum non est cum veste nalare, ita nec cum passione aliquâ Theologiam attingere, ut sapienter Climacus (6) scribit. His

(1) Agunt de donis Spiritus sancti Rasbrochius in regno Deum amantium, Harphius lib. 3, p. 1. c. 10. et 11. Massut. de cœl. conv. 1. 4. Alvarez to. 3. l. 5. p. 2. c. 4. Ponte in Duce spirit. tract. 2. c. 3. § 1. Bonav. in tr. de ipsis. — (2) Dionys. Cartus. tr. de contemplatione. — (3) Idem de fonte lucis. c. 9. inf. — (4) Hesychius Centur. 1. c. 96. — (5) Olympiodor. in eccle. c. 7. v. 12. — (6) Joan. Climacus gr. 27.

igitur præparationibus ritè præmissis, ad fores diviniæ sapientiæ cum magnâ longanimitate et constantiâ pulsare oportet quousque ad contemplationem ipsius, ipsâ auspice, introducatur; ac tandem ad arcanum cum Deo unionem elevemur, quæ est finis contemplationis, et hujus mortalis vitæ suprema beatitudo.

CAPUT X.

INDICANTUR AUCTORES, QUI DE CONTEMPLATIONE SCRIPSERUNT. QUOTIUPLEX EA SIT. QUI EJUS GRADUS ET STATUS? EXEMPLA DIVINE PROBATIONIS, ET PATIENTIE IN DESOLATIONE. DIVISIO ANIME, ET POTENTIARUM EJUS SECUNDUM MYSTICOS. HYMNUS AD DEUM.

1. Quæ de contemplatione dicenda forent, paucis verbis perstringo. Quid enim opus pluribus? Patent fontes. Omnes Mystici Scriptores, et qui de eâ ex professo agunt, Richardus Victorinus libris quinque, Dionysius Carthusianus libris tribus, et aliis opusculis, Jacobus Alvarez libro quinto tertii tomi de viâ spirituali, Ludovicus à Ponte in suo Duce spirituali, et optime libris sex Thomas à Jesu; quibus addo eximiam Christi Heroïnâ S. Teresiam. Ad his petenda quæ hic desunt. Quòd si aliquis cupit Mystico-rum effata scholastico rigore examinare, Franciscum Suarez consulat, in utrâque Theologiâ versatissimum, libro secundo de oratione; et Maximilianum Sandæum in sua Mystica Theologia, et in ejusdem Clavi sive Onomastico.

2. Inter Ethnicos sapientes plures fuisse divino-

rum contemplationi intentos, ex scriptis Platonico-
rum liquet, et ex historiis. Sed, ut notat Albertus
verè Magnus (1), illorum contemplatio ob contem-
plantium perfectionem erat, et ideò extrà intellectum
minimè procedebat, cujus solius illustratione posse
se ad unionem cum summo bono pervenire neglecta
cura voluntatis, falsò existimabant. Nostra verò
propter amorem Dei est, et idcirco ab intellectu
transit ad affectum per amorem. Hæc dividitur in
acquisitam et infusam. Acquisitam voco, quam pro-
pria industria et exercitatione, sed non sine divina
cooperatione et gratia, acquirimus. Infusam, quæ
ex sola gratia sive inspiratione divina promanat.
Illa ab habitu fidei, aliisque virtutibus Theologicis
et moralibus procedit: hæc à dono Spiritus sancti.
Illa longa, et difficilis: hæc facilis, prompta, et sua-
vis. Illa ratiocinativa dicitur, ista experimentalis.
Qui primam habent, optimè de ea, ejusque regulis
discurrunt, experientia destituti: qui secundam,
minus periti in sermone sunt, sed in usu et expe-
rientia excellentissimi.

Dividitur hæc etiã in puram et mixtam. Mixta
nuncupatur, quando intellectus contemplans ab
operatione phantasie dependet. Pura, cum sine
interventu phantasmatum exercetur. Hæc difficilis
est, et admodum rara, et communiter à Scholasti-
cis negatur; admittitur tamen à Sanctis et Mysticis
Scriptoribus, ut diffusissimè probant Sandæus (2)
et Thomas à Jesu (3).

(1) Albert. Magn. lib. de adhaerendo Deo c. 1. — (2) Sandæus
Theolog. myst. l. 1. comm. 12. — (3) Thomas à Jesu de Con-
templ. lib. 5. e. 1. et seqq.

Alia divisio est in affirmativam et negativam. Ap-
probant hanc duplicem viam Deum contemplandi
plerique veterum (1), et Scholastici (2) docentes
alia nomina dici de Deo negativè, alia affirmativè.
Cum enim Deus sit infinitus, illi attribuimus quid-
quid perfectionis reperitur in creaturis, sed quia
creatis perfectionibus aliqua semper adhæret im-
perfectio, hanc removentes in Dei notitiam per ne-
gationes assurgimus. Uterque hic modus aptè ex-
plicatur duplici symbolo, pictoris et sculptoris. Qui
enim imaginem pingit, eam in tabula multorum co-
lorum adjectione delineat: qui sculpsit, segmenta
marmoris aut ligni paulatim demit, donec simula-
crum perfectum reddat. Sic cum asserimus, Deum
esse sapientem, bonum, potentem, justum, miseri-
cordem; perfectiones ei creaturarum, velut colores
iconi, adjicimus. Cum verò dicimus Deum non esse
ens, neque vitam, neque sapientiam, neque poten-
tiam, neque aliquid cæterorum, eo scilicet modo,
quo à nobis concipiuntur, quasi statuat dedolamus:
et hoc est Deum per nescientiam scire, ut S. Maxi-
mus observat (3), quod est proprium Mysticæ Theo-
logiæ. Utitur prædicta similitudine S. Dionysius (4)
cui aliam non dissimilem corporis vestiti et spoliati
assert Maximus Tyrius (5) philosophus Platonicius.

Rursum dividitur contemplatio in claram, et ca-
liginosam. Clara est Beatorum in patria. Caliginosa

(1) Dionys. Basil. Magn. Joan. Cyparissiot. August. Bonav.
et alii relati à Sandæo lib. cit. comment. 11. — (2) Scholastici.
1. p. qu. 13. et ubi agunt de attributis in genere. — (3) S.
Maximus in c. 3. myst. Theolog. — (4) Dionysius ib. — (5) Maxi-
mus Tyrius ser. 1.

Viatorum, quæ sublimior est, quàm contemplatio pura, et ab eâ differt per majorem approximationem ad divinam unionem (1). Caligo autem divina, ut scribit primus Mysticorum magister (2), est lumen inaccessibile, in quo Deus habitare dicitur, quod nec cerni potest propter excellentem claritatem, et inaccessibile est ob excessivam supersubstantialis lucis effusionem. Quare hæc contemplatio nihil aliud esse videtur, quàm defixio mentis in hujusmodi lucem intelligentiæ oculum reverberantem, et suâ immensitate seipsam abscondentem.

Alia denique est contemplatio supereminens, altior quàm caliginosa, in quâ Deus, non per dona Spiritus sancti, sed per se solus rapit, ac elevat mentem ad divina, quæ sic elevata Deum attingit, et non per ænigmata similitudinum corporalium, sed altiori, atque ineffabili modo. Talem fuisse existimo Sanctissimi Patris nostri Benedicti raptum (3), quando extrâ mundum elevatus, quasi sub uno Solis radio universum mundum collectum conspexit. Dissertunt de hæc profundissimè Thomas à Jesu (4), et late Sandæus (5), atque hanc existimo elegantissimè describi ab Augustino libro nono suarum Confessionum, in colloquio habito cum Matre de Regno cælorum.

3. Plures itaque, et diversi sunt gradus contemplationis, quamvis ipsa una sit, nec facile possunt certo numero comprehendi. Multis enim modis animæ contemplanti se communicat Deus, et spiritus ejus ubi vult spirat, et quando vult, et quomodo

(1) Th. à Jesu de Contempl. l. 5. c. 4. — (2) Dionys. epist. 5. ad Dorotheum. — (3) Greg. 2. Dialog. c. 35. — (4) Th. à Jesu de contemp. 6. — (5) Sandæus myst. Th. l. 1. com. 14.

vult. Et quis poterit sensum ejus assequi, aut quis audebit terminum ponere ejus admirandis operationibus? Ideò à viris Theodidactis horum sublimium mysteriorum explicatio petenda est, quibus Deus, mirabilis in Sanctis suis, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit.

Richardus Victorinus (1) sex genera contemplationis enumerat, quæ doctè, copiosè, et eleganter explanat toto opere de gratiâ Contemplationis Primum, inquit, est in imaginatione, secundùm solam imaginationem. Secundum in imaginatione, secundùm rationem. Tertium in ratione, secundùm imaginationem. Quartum in ratione, secundùm rationem. Quintum est suprâ, sed non præter rationem. Sextum suprâ rationem, et præter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentiâ. Ubi notandum, rationem distingui ab intelligentiâ, quod, qualiter intelligendum sit, infrâ explicabitur. Hos gradus aliter ordnat Auctor libri de spiritu et anima, et post eum Seraphicus Bonaventura (2).

D. Thomas (3) secutus Dionysium (4) tres gradus contemplationis distinguit juxta triplicem differentiam motûs localis, circularis scilicet, recti, et obliqui. Anima enim quasi circulariter movetur contemplando sensibilia, et ex his ad seipsam perveniendo. Movetur rectè, ascendendo à se ad substantiam separatam. Obliquè cum ad divinam veritatem contemplandam elevatur.

(1) Rich. l. 1. de gratiâ contemp. cap. 6. — (2) Bonav. itin. 3. æterni. dist. 4. art. 3. — (3) D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 6. — (4) Dion. c. 4. de div. nominib.

Jacobus Alvarez (1) omnia complectens, quæ Sancti Patres, et viri spirituales de hac re tradiderunt, quindecim nomina ad contemplationem pertinentia, quasi totidem ejus gradus explanat, et Sanctorum sententiis confirmat. Nomina do, explicatio apud ipsum melius legetur. Sunt autem ista: Intuitio veritatis, secessus animæ ad interiora, silentium spirituale, quies, unio, auditio loquelæ Dei, somnus spiritualis, ecstasis, raptus, Christi et Sanctorum apparitio corporalis, eorundem apparitio imaginaria, visio intellectualis, visio Dei in caligine, admirabilis visio Dei, disjectâ caligine, visio clara et intuitiva Dei, quæ licet propria sit Beatorum in cœlo, fuit tamen, ut probabiliter quidam Theologi docent, quibusdam sanctissimis viris etiam in hac vitâ concessa.

Thomas à Jesu, Angelorum immixtus choris, tres eorum Hierarchias et ejusque Hierarchiæ triplicem ordinem menti humanæ applicans, tres contemplantium Hierarchias in novem gradus distinctas constituit. Prima in imaginatione potissimum residet, secunda in intellectu, tertia in apice mentis. Prima à rerum sensibilibus cognitione ad invisibilium contemplationem nos ducit. Primus ejus gradus in mundi hujus visibilis speculatione et admiratione consistit. Secundus Scripturæ sacræ intimos sensus profundè scrutatur. Tertius circâ Verbi incarnationem et omnia Christi mysteria occupatur; in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Secunda Hierarchia rerum invisibilium intuitu ad superna elevat mentem, ipsumque Deum

(1) Alvarez to. 3. lib. 5. p. 5.

ut unum, et trinum intuetur. Primus gradus docet nos ad Deum ascendere per suæ imaginis, animæ scilicet rationalis, contemplationem, secundum dona naturalia et gratuita, et finem ejus, qui est gloria cœlestis, ac felicitas Beatorum. Secundus relictis creaturis ipsum Deum, ejusque attributa contemplatur. Tertius transit ab unitate Dei ad sanctissimam Trinitatem. Tertia Hierarchia per negationes ad Deum assurgit, et divinam caliginem ingreditur. Primus ipsius gradus est pura contemplatio sine phantasmatum admixtione. Secundus contemplatio Dei in caligine. Tertius unio mystica cum Deo.

Victor Gelenius Trevirensis summam practicam mysticæ Theologiæ in duas partes digestam conscripsit, ediditque Coloniz anno hujus sæculi quadragesimo sexto: in qua septem mysticos status accuratissimè describit, per quos successivè transit anima, antequam perveniat ad culmen sanctitatis. Primus est status meditationis. Secundus aspiratio. Tertius contemplationis modi affirmativi et negativi. Et hi tres modo activo, humano, et naturali procedunt, quamvis principio supernaturali inniantur, nec careant aliquando divinis perceptionibus. Reliqui verò status ad modum operandi supernaturalem spectant, nec debet aliquis à Deo non vocatus temere ad eos transire: sunt enim hæc mystica et secretissima Dei dona, quæ nemo novit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat; nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti inflamat. Est igitur quartus status privationis rigorosæ, quo disponitur anima ad status supernaturales, et ideo medius censetur esse inter status naturales, et su-

pernaturales, tanquam dispositio necessaria ad modum operandi supernaturaliter. In eo cessant discursus et conversio ad phantasmata: anima omnino expeditur, et deputatur, à modo operandi humano et naturali: spoliatur omni solatio, omnibus externis exercitiis, omni sensibili consolatione: omnes potentiae in fundo animae commorantur languentes, ac desolatæ: deficit et obscuratur vivacitas intellectus: actus virtutum essentiali modo exercentur: nulla hic lætitia, sed tormentum inexplicabile. Dicant quid sit, qui experti sunt. Doctor mellifluus (1) comparat hunc statum morti spiritali, quam vocat mortem Angelorum. Rusbrochius (2) divini spiritus et nostri concertationem appellat, et quamdam desperationem: Taulerus (3) pressuram internam: Harpius (4) languorem infernalem, et divisionem animæ ac spiritus: Barbansonius (5) item divisionem naturæ ac spiritus: Maria Vela sanctimonialis Cisterciensis (6) terribile martyrium: B. Catharina Genuensis (7) horribile et indicibile tormentum. Joannes à Cruce (8) sub noctis obscuræ symbolo eumpingit, et purgatorio assimilat. Thomas à Jesu (9) purgatorium quoque esse dicit in viâ contingens. B. Angela de Fulgineo (10) maluisset in inferno esse, quam talem privationem sustinere, quæ in ipsa mi-

(1) Bern. ser. 32. in Cant. 6. — (2) Rusbroch. de orn. spirit. nupt. l. 2. c. 59. et seq. — (3) Tauler. ser. 1. Domin. 13. post. Pentec. — (4) Harpius l. 3. c. 13. — (5) Barbanson. semit. occult. p. 2. c. 10. et 11. — (6) Vitæ Mariæ Vela p. 2. c. 43. — (7) Catharina Genuen. Dialogi c. 2. — (8) Joan. à Cruce passim in Ascen. mont. Carm. — (9) Th. à Jesu de orat. inf. l. 4. c. 18. — (10) Angela de Fulgineo vitæ c. 19.

rabilis fuit. Seraphica Virgo Teresia (1) quid pate-retur in hâc pressurâ constituta, ipsa enarrat in vitâ, et scriptis suis. Alia aliorum effata præter-mitto, et transeo ad alium statum. Hic est quintus, et dicitur status mysticæ unionis, quandò à pres-surâ rigidæ privationis respirans anima incipit re-viviscere, et spe interioris perceptionis erecta lu-men et amorem suscipit, in libertatem spiritus paulatim transit; et quantò ampliùs ascendit, tantò faciliùs capacitatem spiritus erigit ad superiora, donec à Deo sursum tracta perveniat ad felicissimam cum ipso unionem. Sextus est status Transformat-ionis per donum Sapientiæ, per quam intelligimus, non substantialem transformationem. Absit, ut consentiamus errori jam pridem damnato, quòd quidam opinati sunt animam hominis à proprio esse desinere, et in ipsam Dei essentiam transire: sed artissimam unionem cum summo bono, qua Mysticus divinæ consors naturæ factus modò per-fectissimo, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu, ita ut in ejusmodi felicitate perfecta ratio mysticæ professionis inveniatur. Hujus Transformationis du-plex est modus: unus quo ex alto ad inferiora des-cendere dicitur; alter, quo ab inferioribus ad su-periora ascendit. *Charitas enim, ut verbis utar Sancti Bonaventuræ (2), ad superiora ascendit, ut in eis requiescat; ad inferiora tendit, ut ea ad se reducat; sursum movetur, ut illic maneat; deorsum, ut redeat.* Porrò hic anima silentii mystici quietam frui-

(1) Teresia vitæ c. 25. et mansionem 6. c. 1. — (2) Bonav. 4. itin. ætern. dist. 5. art. 3.

tionem adipiscitur, quousque spiritum suum supra se in alto videat. Licet enim in statu unionis supremas spiritus fruitiones experiatur, nondum tamen plenam requiem et appetitus satietatem consecuta est; quia frequenter reincidit in carentiam et cessationem unionis: in hoc autem statu nullam patitur distractionum molestiam; nullam passionum inordinationem, nullam gaudii spiritualis interruptionem. Septimus denique status est Sanctorum militantis Ecclesiae, quando anima abundantiori gratia, vitae eximia sanctitate, dona miraculorum, aliisque gratiis, quas gratis datas vocant, à Deo illustratur. Hujus autem status ecstases, raptus, et alias mirabiles operationes revereri oportet et admirari, non æmulari.

4. Hi sunt gradus et status vitae contemplativae, quos, Deo auspice, majori quàm potui claritate et brevitate explicare conatus sum: a suis enim Auctoribus fusius et obscurius describuntur. Quae verò ex praefatis divisionibus praeferrì debeat, non est meum diffinire. Hoc solum admoneo, quod Richardus gradus distinxit in ordine ad potentias; quarum ministerio Anima contemplatur. Angelicus doctor modum respexit operandi. Jacobus Alvarez non tam gradus recenset, quàm effectus et proprietates contemplationis. Thomas à Jesu in primam et mediàm Hierarchiam omnia objecta complectitur, circa quae versatur contemplatio: in tertiàm modum tradit, quo anima suum primarium objectum perfectius contemplando attingere potest. Tandem Victor Gelenius non gradus contemplationis, sed vitae mysticae et contemplativae varios status sibi invicem

succedentes describit, methodum servans et ordinem, quo solet Anima ab infimis ad suprema per media progredi. Legimus quidem, aliquem nonnumquam extitisse, qui ab infimo statu ad supremum sine medio pertractus fuit: sed haec privilegia singularia sunt, quae Deus omnipotens, quando vult, operator: quae nec trahere in consequentiam licet, nec curiosè perscrutari. Sapientia Dei infinita est, justissima providentia, judicia ejus abyssus multa. Aliquando imperfectis gratiam contemplationis largitur, quam perfectis negat: et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum. Dicam cum Augustino (1): *Nemo venit ad Deum, nisi tractus. Non traheris? ora ut traharis. Quare autem illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Si Dei beneficio ad sublimiora evehctus es, custodi thesaurum tuum cum humilitate, et gratiarum actione: si relictus es in gradu inferiori, cave tepiditatem, et negligentiam; et te perfectius semper exerce in meditatione et aspirationibus; nam, ut docet Joannes Abbas apud Cassianum (2): *Melius est devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus professionibus inveniri.*

5. Libet autem hic quærere, et obstupescere, unde proveniat, tam exiguum esse numerum incumbentium mysticae Theologiae et contemplationi, cum sint tamen innumeri viri pii et religiosi, divinae gratiae consortes, et donis Spiritus sancti praediti: crescitque admiratio expensa ratione habitus, qui quò nobilior est, eò majorem confert potentiae operandi facilitatem. Cum sit ergò in omnibus justis

(1) August. tr. 26. in Joan. — (2) Cassianus coll. 19. c. 3,

habitus sapientiæ, quæ est donum Spiritus sancti, cur è tot millibus vix unus reperitur rerum divinarum contemplator? Profectò mirum est hoc, et possumus cum Propheta (1) plorare et dicere, *Vix Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Hujus rei causas subtilius indagare, majoris otii, et voluminis foret. Nonnullas breviter attingam. Calaguritanus (2), qui hoc dubium proponit, causam potissimam esse putat, non serio vitare leviores culpas, nec perennem cordis alere puritatem: si enim hæc exquiretur, in cordibus puris facile divina cerneretur imago. Hæc ille verissimè, nam et sapientes Ethnici hanc veritatem cognoverunt. Hierocles (3) tunc hominem posse fieri divinum ait, cum exuerit quidquid humanum est. Musonius apud Aristidem (4), *Ejice*, inquit, *quod est in animâ mortuum, et Deum agnosces.* Plato mentem à corpore separandam asserit, ut Deo jungatur. Alii causam rejiciunt in naturalem corporis et temperamenti dispositionem, ratione cujus nonnulli ad mysticas functiones inepti sunt: nam teste Magno Gregorio (5) sunt quidam ita inquieti, ut sedere cum Maria ad pedes Christi minimè valeant. Sed ut observat sanctæ memoriæ Episcopus Genevensis (6), debent, qui sunt hujusmodi, naturam vincere ope divinæ gratiæ, quæ omnibus invocantibus adest, et volenti nihil difficile. Ludovicus à Ponte (7) aliam

(1) Thren. 1. 4. — (2) Joann. à Jesu Maria myst. Theo. c. 3. — (3) Hierocles initio Carminum Pytag. — (4) Aristides 6. sacerorum sermonum tom. 1. — (5) Greg. 6. moral. cap. 17. — (6) Sales de div. amore li. 12. c. 1. — (7) Ponte Ducis spirit. tr. 3. cap. 2.

assignat rationem, singularem Dei providentiam in Ecclesiæ gubernatione, in quâ diversa officia et gradus sunt. Quare debet unusquisque suam attendere vocationem, et invitantis vocem sequi, omnia removendo impedimenta. Præclarè Bernardus (1), *Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius forsitan ipsa sibi quæritur gratia deesse nonnullos. Nempe res cordis est gratia devotionis ista quam quærimus, et hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere.*

6. Quòd si loquamur non simpliciter de contemplatione, sed de transitu à modo operandi humano et naturali, ad divinum et supernaturalem; advertendum est, non nisi post longam et durissimam probationem, quam in statu privationis suprâ descripto anima experitur, à Deo concedi, quâ de re mysticum admonere placuit, ne diutino labore per-tæsus animum despondeat, et à cæpto itinere retrocedat. Et ne videat temerè loqui, adfero exempla. Ubertinus de Casali (2) quatuordecim annis laboravit, priusquam introduci ad intimam perfectionem mereretur. S. Teresia (3) octodecim annis intolerabiles angustias passa est. S. Franciscus (4) per biennium gravissimo mœrore tabescebat. B. Clara de Monte Falco (5) quindecim annos huic privationi impendit. B. Catharina Genuensis martyrium suum in suo dialogo ipsa describit. Altera Catharina Bononiensis (6) per quinque annos valdè desolata fuit,

(1) Bern. initio serm. de triplici custodia. — (2) Ubertinus de Casali Arb. vite prolog. 1. — (3) Teresia vite suæ c. 30. — (4) Chronic. Minor. p. lib. 1. c. 59. — (5) Harpius lib. 2. p. 5. collat. 3. in fine. — (6) Cathar. Bononien. l. 7. de armis.

et à Dæmonibus exagitata. Maria Ægyptiaca (1) septemdecim annis afflicta ad purum decoxit scoriam suam. B. Maria Magdalena de Pazio (2) per annos quinque, et deinde per alios sexdecim tantam ariditatem passa est, ut videretur à Deo derelicta. B. Henricus Suso (3) per decennium divinâ caruit consolatione. Balthasar Alvarez (4), vir eximiæ sanctitatis e Societate Jesu, non nisi post sexdecim annos in vitâ mysticâ cum tenebris et labore decursos divinâ lucis adeptus est illustrationem. Thomas à Jesu (5) annis plusquam viginti laborans percipere non potuit, quid sit unio animæ cum Deo, donec tandem divina bonitas ei revelavit. Quod si in viridi hæc facta sunt, in arido quid fiet? Animo igitur infracto in viâ Domini perseverare oportet, et ab ejus disciplina non deficere, quia, ut ait B. Laurentius Justinianus (6), in bono occupatos non derelinquit, illosque ex insperato, et in nesciente caligine visitare consuevit. D. Bernardus (7) usque ad finem vitæ hanc spem, et patientiam extendit, sic enim ait: *Multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt, et nunquam pertendunt: quibus tamen, si piè, et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vitâ dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos solâ gratiâ quò prius tendebant ipsi cum gratiâ, ut consummati in brevi, expleant tempora multa.*

(1) In vitis Patrum l. 1. — (2) In vita ipsius. — (3) Henr. Suso vitæ suæ cap. 23. et 32. — (4) Lud. à Ponte in vita Balth. Alvar. c. 2. et 13. — (5) Th. à Jesu in præf. lib. de orat. infusa. — (6) Laur. Justinianus de triumphali Christi agone cap. 17. — (7) Bern. sér. 3. de Circumsis.

7. Desino, si prius explicavero, quod ante promisi, animæ scilicet et potentiarum ejus divisionem secundum Mysticos. Marius Victorinus Afer (1) duas distinguit animas in homine, duas mentes, duplicem rationem, cœlestem et hylicam. Constat enim homo duplici natura corporali et spirituali, et ideo duplices debet habere operationes, corporales et spirituales; quarum ordinem et directionem in proprium finem respicientes Mystici hominem animalem et spiritualement distinguunt, non per substantiam, sed per meriti qualitatem, ut loquitur Paulinus Aquiliensis (2). Animæ autem vires sive potentias in Ordine ad contemplationem sex esse statuit Seraphicus Bonaventura (3), nempe sensum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, et apicem mentis, sive synderesis scintillam. Asserunt quidem Philosophi, rationem, intellectum, et intelligentiam non esse diversas potentias, non tamen negant esse diversos actus, sive gradus intellectus. Nam vis intellectiva, in quantum est discursiva, dicitur ratio: in quantum est simpliciter intuitiva, dicitur intellectus: in quantum est Divinitatis contemplativa per simplicem apprehensionem, dicitur intelligentia, quod optime Richardus (4) observat. Synderesis verò, quæ est habitus rationis practicæ animæ concretus, quo prima principia in operabilibus naturaliter cognoscit, meritò à Mysticis apex mentis nuncupatur, et scintilla rationis sive intelligentiæ, quia

(1) Mar. Victor. in 6. lib. 1. adv. Arium. — (2) Paulinus Aquilien. in libello adv. Felicem Urgelitanum, et Elipantum Tolosanum episcopos. — (3) Bonav. itinerar. mentis in Deum c. 1. — (4) Richard. 1. de Contempl. c. 9.

per eam sortitur anima quemdam respectum ad Deum immediatum, quo capax est ab ipso immediatè tangi et irradiari: et quia semper nata est in superioribus figi, et ad divina elevari: illustratque animam splendore cognitionis, et ardore inclinationis ad bonum eam succendit. Hæc ad mentem Bonaventuræ. Alii aliter procedunt. Animam vocant secundum operationes partis sensitivæ et appetitivæ: spiritum quoad vires rationales. Mens vel apex spiritus est nudus ac Deiformis animæ fundus, id est simplex animæ essentia imagine Dei insignita. Per fundum autem intelligo animæ nostræ *higemonicum*, seu principem partem, ut voce utar Stoicorum, aliter tamen quàm ipsi intelligant. Concipio enim animam tanquam vas quoddam lucidum, capax omnium illuminationum, et umbrarum à rebus quibuscunque provenientium. Sicut autem infimum vasis fundus vocatur, omnia superinfusa sustentans ac retinens: ita princeps nostri pars, seu apex mentis idem sortitur nomen. Et sicut fundus eò magis absconditur, quò magis repletur corporibus densis: ita anima eò minus divinam percipit irradiationem, quò crassiores species rerum terrenarum Dei illustrationi superinfundit. Cunctis verò imaginibus creaturarum evacuatis, simplex dumtaxat, et amabilis Dei vultus in fundo animæ apparebit. De hoc fundo plura Taulerus, et alii Mystici passim. Ejus quoque mentionem facit S. Diadochus Photicensis Episcopus (1), qui vixisse creditur circa finem quarti sæculi, quod notare volui, ne quis hanc vocem novitatis incuset.

(1) Diadoc. de perfect. c. 26. et 23.

8. Quoniam autem huc perveni, et hanc brevem, Isagogem mysticæ Theologiæ, Deo duce, conscripsi; jam ad praxim Aspirationum descendendum est, si priùs hymnum cecinero, quo et gratias primæ omnium causæ agam, et vires postulem ad ea quæ desunt perficienda.

O fons decori luminis (1),
 O lux serena siderum,
 Ignis Deus purissime,
 Vigor perennis cordium.
 Te voce semper, te prece,
 Te mente gratâ, vindicem
 Meæ salutis concinnam,
 A Sole Eo ad Hesperum.
 Tu spes mihi, tu præmium,
 Tu portus es fiduciæ?
 Te fretus uno pertuli
 Sortis procellam turbidæ.
 Inter labores asperos
 Lumen tuæ clementiæ,
 Repentè fulgens, vim procul
 Abesse jussit Tartari.
 Salve supernum incendium,
 Clarumque mentium jubar:
 Ad te revertor, supplicem
 Voca per ignes mysticos.
 Descende flamma, illabere
 Colorum ab arcæ fulgida,
 Infunde cæco pectori
 De fonte lucis lumina.
 Cor, ossa, fibras concrema,
 Venas, medullas, viscera,
 Ipsamque mentem, ac spiritum,
 Ut totus ardeam tibi.
 O sors beata, ô gaudium,
 Conjuncta cum mens Numini,

(1) Ex libello meorum Carminum nondum impresso.

Et immemor rerum omnium,
Te diliget perenniter.
Summo Parenti Cœlitum,
Natoque, et almo Flamini
Sit laus, decusque perpetim
Nunc et per omne sæculum.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS CAPUT XI.

GEMITUS ANIMÆ PŒNITENTIS PRO INCIPIENTIBUS.

Quamvis expertis difficile non sit, propriis motibus ad Deum assurgere, possitque unusquisque ex pharetrâ sui cordis sagittas orationum depromere; ne his tamen deficientibus pius Asceta aridus reperiatur, defectuque lignorum mysticus ignis in arâ cordis extingatur: ex Scriptura et Sanctis Patribus sylvulam Aspirationum collegi, pro triplici statu Incipientium, Proficientium, et Perfectorum; in quarum usu et praxi quid servandum sit, jam supra explicatum est. Habes hic eas in varias decades distributas, quò facilius valeant memoriæ mandari: cui studio aliquot dies tribuendi sunt. Quid enim prodest multas Aspirationes in libello descriptas habere, nisi etiam memoriæ inscriptæ, imò et inculptæ sint, ut in promptu habeantur omni horâ, et momento? Propono autem primo loco gemitus animæ pœnitentis, naturæ, et doctrinæ ordinem sequutus: quia, ut perveniamus ad id quod nondum sumus, purgare primò id quod sumus, et lacrymis eluere debemus.

DECAS I.

1. Domine Deus meus, ego vilissimus sum peccator; indignus planè, quem terra sustineat. Miserere mei, et salva me.

2. Domine, qui es summum bonum meum, quàm longè per peccatum recessi à te, et habito in regione hâc longinquâ miseriarum, ubi perdidisti me.

3. Pater amantissime, peccavi in cœlum et coram te, verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro sicut unum de mercenariis tuis.

4. O quàm pœnitet me peccasse, dulcissime Deus, quàm pœnitet me, quòd legem tuam transgressus sum: amplius lava me ab iniquitate meâ, et à peccato meo munda me.

5. Domine Deus meus, detestor peccata mea, abominor universa flagitia mea, confiteor ingratitude meam, et confugio ad aram misericordiæ tuæ.

6. Ablue me, Christe Jesu, pretioso sanguine tuo, et munda me ab omni peccato.

7. Sana, Domine, animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum, ne quæso despicias me.

8. Domine Deus piissime, ab hâc horâ nunquam transgrediar legem tuam, nunquam amplius consentire volo in aliquod peccatum: malo incurrere omnem pœnam, omnem infamiam, atque ipsam mortem, quàm deinceps peccare.

9. O Pater amantissime, da mihi ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, et puniam delicta mea debita castigatione.

Et immemor rerum omnium,
Te diliget perenniter.
Summo Parenti Cœlitum,
Natoque, et almo Flamini
Sit laus, decusque perpetim
Nunc et per omne sæculum.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS CAPUT XI.

GEMITUS ANIMÆ POENITENTIS PRO INCIPIENTIBUS.

Quamvis expertis difficile non sit, propriis motibus ad Deum assurgere, possitque unusquisque ex pharetrâ sui cordis sagittas orationum depromere; ne his tamen deficientibus pius Asceta aridus reperiatur, defectuve lignorum mysticus ignis in arâ cordis extingatur: ex Scriptura et Sanctis Patribus sylvulam Aspirationum collegi, pro triplici statu Incipientium, Proficientium, et Perfectorum; in quarum usu et praxi quid servandum sit, jam supra explicatum est. Habes hic eas in varias decades distributas, quò facilius valeant memoriæ mandari: cui studio aliquot dies tribuendi sunt. Quid enim prodest multas Aspiraciones in libello descriptas habere, nisi etiam memoriæ inscriptæ, imò et inculptæ sint, ut in promptu habeantur omni horâ, et momento? Propono autem primo loco gemitus animæ poenitentis, naturæ, et doctrinæ ordinem sequutus: quia, ut perveniamus ad id quod nondum sumus, purgare primò id quod sumus, et lacrymis eluere debemus.

DECAS I.

1. Domine Deus meus, ego vilissimus sum peccator; indignus planè, quem terra sustineat. Miserere mei, et salva me.

2. Domine, qui es summum bonum meum, quàm longè per peccatum recessi à te, et habito in regione hâc longinquâ miseriarum, ubi perdidisti me.

3. Pater amantissime, peccavi in cœlum et coram te, verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro sicut unum de mercenariis tuis.

4. O quàm poenitet me peccasse, dulcissime Deus, quàm poenitet me, quòd legem tuam transgressus sum: amplius lava me ab iniquitate meâ, et à peccato meo munda me.

5. Domine Deus meus, detestor peccata mea, abominor universa flagitia mea, confiteor ingratitude meam, et confugio ad aram misericordiæ tuæ.

6. Ablue me, Christe Jesu, pretioso sanguine tuo, et munda me ab omni peccato.

7. Sana, Domine, animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum, ne quæso despicias me.

8. Domine Deus piissime, ab hâc horâ nunquam transgrediar legem tuam, nunquam amplius consentire volo in aliquod peccatum: malo incurrere omnem pœnam, omnem infamiam, atque ipsam mortem, quàm deinceps peccare.

9. O Pater amantissime, da mihi ut faciam fructus dignos poenitentiae, et puniam delicta mea debita castigatione.

40. Erravi sicut ovis quæ perierat, audio tamen dulcissimam vocem tuam : Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen ad me revertere et ego suscipiam te.

DECAS II.

1. Nunc cœpi, Domine, nunc vivere incipio, non in fortitudine meâ, neque in virtute brachii mei, sed in multitudîne miserationum tuarum : confirma hoc tu, quod operatus es in me.

2. Tu, Domine, integros sensus et cor docile tribuisti mihi : sed heu me miserum et infelicem, quia omnibus bonis tuis abusus sum ! Tu verò Pater misericors peccantem revocasti, et à pœnis inferni liberasti.

3. Doleo et angor vehementer ob innumera peccata mea, quibus te benignissimum Redemptorem offendi, diaboli servum me feci, indignationem tuam provocavi.

4. O si nunquam, Amantissime Pater, præcepta tua transgressus essem ! ô si nunquam in tantam miseriam, et calamitatem incidissem ! ô si nunquam peccassem ? ô illos felices, qui innocentiam non perdiderunt, qui baptismatis gratiam illibatam custodierunt.

5. Statuo, summe Deus, in posterum non peccare : firmissimè propono tua sanctissima præcepta non transgredi : verè et ex corde decerno cum adjutorio gratiæ tuæ universam legem implere.

6. Respice in me, Domine, oculis misericordiæ tuæ, dele præterita peccata mea, concede mihi per bonitatem tuam gratiam emendationis.

7. O quanta fuit hactenus ignavia mea ! tempus ad pœnitentiam concessum perdididi, gratiam et auxilia rejeci, vocibus tuis, quibus me vocabas, obsurdui : et nunc, Domine, quid faciam ? Pœnitet me peccasse, miserere mei.

8. Eheu, Domine Deus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas, et pravitas mea, pro quibus sanandis crucifixus es et occisus.

9. Deus propitius esto mihi peccatori : Jesu filii Dei vivi, miserere mei.

10. Dominator vitæ meæ, ecce vides, quia non est in me bonum, nec sanitas animæ meæ : miser et cæcus sum, nihil possum, nihil sum sine te.

DECAS III.

1. O Salvator piissime, tu scis quot mala commisi, quot bona omisi : propitius esto mihi, et salva me.

2. O magna domus Dei, quàm vilis mihi fuisti, et quàm turpiter te pro nihilo contempsi !

3. O quàm justè me in infernum detrudere poteras, justissime judex, et mihi clementer pepercisti.

4. Confiteor, Domine, me omnium quos mundus habet vitiosissimum esse ; sed nihilominus in immensa confido bonitate tuâ. Et si sunt super numerum peccata mea, non est etiam numerus misericordiæ tuæ.

5. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea à te non sunt abscondita. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

6. Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi virtutes amplecti, vitia rejicere, terrena calcare, caelestia sitire.

7. Vae tempori illi, quando te non cognoscebam summum bonum animae meae : vae caecitati illi, quando te non videbam.

8. Domine Deus meus, quando plenè mihi moriar, et tibi vivam? quando me ab omnibus rebus terrenis expodiam? quando sensus meos et affectus plenè cohibebo et quidquid est in me vitiosum frænabo?

9. O si jam mundum contemnerem? ò si terrena calcarem! ò si quod amant mundani pro nihilo ducerem!

10. Utinam ab omni vitio purgatus, et ab omni inordinata affectione emundatus, divino illapsu dignus essem, et caelestium charismatibus gratiarum.

DECAS IV.

1. Mortifica, Domine, passiones meas, cohibe illas, et moderare amore et praesentia tua, ne me perturbent; sed magis ad id juvent, cujus gratia eas dedisti, ad bonas scilicet operationes.

2. Amove à corde meo inanes cogitationes, et verear illud evolvere in conclavi animae meae, tibi tu habitas, quod, si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare erubescerem.

3. Vilescat mihi, Domine, omnis creatura et nihil mihi placeat, nisi tu.

4. Dulcis Jesu, quam amabilis est gratia tua, quam suavis amicitia tua! ne quæso abjicias me propter peccata mea.

5. Ne projicias me Deus à facie tua; accelera, precor, et sensus meos erue citò de luto foecis.

6. Ablue me, Domine, pretioso sanguine tuo, sana me vulneribus tuis, sanctifica me amarissima passione et morte tua.

7. Qui plasmasti me, et per crucem tuam redemisti mundum, adjuva me, et miserere mei.

8. Aperi mihi viscera benignitatis tuae, clementissime Pater, recipe me in gratiam tuam, et dimitte omnia peccata mea.

9. Da mihi, Domine fortis et patiens, tantam contritionem, quantam scis deberi peccatis meis. Peccavi, miserere mei.

10. Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas : hic me castiga, et noli in futurum reservare mala mea.

DECAS V.

1. Peccavi super numerum arenae maris; indignus sum, Domine, miserationibus tuis, sed misericordia tua superat scelera mea.

2. Nonne dixisti, Domine, gaudium esse in cælo super uno peccatore poenitentiam agente? exple igitur hoc gaudium in cælis de me.

3. Tu Domine, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, largire mihi vitam, qua destituor.

4. Venistine, Domine, ut justos traheres ad te, an ut peccatores? Si peccatores? ecce me maximum omnium, trahere me ad te.

5. Miserere mei, Deus, secundum multitudinem miserationum tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

6. Asperge me, Domine, sanguine tuo, et super nivem dealbabor.

7. Cor mundum crea in me, Deus, detersis sordibus animæ meæ.

8. Redemptor animæ meæ, quamdiu avertis faciem tuam à me, et non succurris gementi?

9. Ecce me filium prodigum, et prodigo deteriorum? miserere Pater, et dona me annulo, et veste, et dignum fac amplexu tuo.

10. Non sit frustra pro me fusus sanguis tuus, dulcissime Salvator, sed in salutem, et vitam æternam.

DECAS VI.

1. Quousque non mederis vulneribus meis, medicorum peritissime, et clementissime Jesu Christe? Ecce cæcus sum ad videnda quæ recta sunt, claudus ad obsequia tua, surdus ad monita, mutus ad preces, paralyticus ad opera bona: miserere, et sana me.

2. Sanguine tuo medere mihi, Domine, et cura vulneribus tuis vulnera mea.

3. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

4. Ecce ego servus tuus sum, et filius ancillæ tuæ, lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

5. Non mereor filii nomen, et tamen tu pater es, semper sis, ut semper sim filius.

6. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea à te non sunt abscondita. Utinam non peream in insipientia mea.

7. Dixi, confitebor adversum me injustitiam

meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.

8. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

9. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.

10. Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.

DECAS VII.

1. Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Misericordiâ indigeo, pacem quæro, non iudicium.

2. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

3. Ostendo tibi, Pater, immania delicta mea, quæ libentiùs occultarem, si possem, et obliterarem sanguine cordis mei. Atque utinam aboleantur unâ guttâ sanguinis dilectissimi Filii tui, Redemptoris mei, ne appareat coram te fœditas mea.

4. Heu me, Domine, quia pejor Dæmonibus sum; et in naturâ quidem manifestum est, in moribus etiam fateor, nam video plura in me peccata, quam in illis.

5. Confiteor tibi, Deus meus, dedecora mea in laude tuâ: recolo coram te scelera mea, non quòd ea amem, sed ut amem te lumen oculorum meorum, et fontem misericordiarum.

6. Purissime et sanctissime Deus, malo nullies mori, quam te vel levissimè offendere.

7. A nullo hoste magis timeo, quam à meipso. Quis me custodiet à meipso? Non utique ego. Nisi enim tu custodieris me, frustrà ego vigilo ad mei custodiam.

8. Veni, Domine, ad me, quia longè recessi à te. Doce me venire ad te; non enim possum, nisi tu, qui es via, doceas me.

9. Detestor peccata mea, Deus meus, corde salvatoris mei: Sicut cor Jesu ea flevit, ita ea ploro et abominor.

10. Quis mihi det, ut sit magna velut mare contritio mea, ex quo lacrymarum flumina exeant, et in illud intrent, ut iterum ac perenniter fluant?

DECAS VIII.

1. O ubi estis lacrymæ, ubi dolores? Deserite omnes, et in me tot scelerum reum agminatim irruite.

2. O quàm bonum erat mihi, si natus non fuisset; neque enim vitam mihi dedisti, ut te offenderem, Deus meus.

3. O Sol mundi oculo, qui me toties peccantem aspexisti, utinam me deinceps non nisi dolentem, et lugentem aspicias.

4. Contremiscite omnes artus mei ad horrificum nomen peccati. Et vos omnes creaturæ vindicate in me creatoris offensam.

5. O qualem Deum offendi; quàm amabilem, quàm amantem mei, Deum dilectionis, beneficentiæ, et bonitatis?

6. Quid iniquitatis inveni in te, ô bone Jesu, ut tam crudeliter, tam impiè agerem tecum?

7. O si quod factum est, possem infectum redere! ô si tempus præteritum revocare! quàm libenter cum perditâ innocentia vitam commutarem!

8. Pœnitet me peccasse, Deus meus, semperque pœnitebit: et si possem, infinito dolore dolerem, quòd offenderim te.

9. Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.

10. Vide, Domine, afflictionem meam amaram nimis, quia non est qui auxilietur mihi, nisi tu Deus meus.

DECAS IX.

1. Siccine permittis, Domine, me indignissimam creaturam tuam à terra sustentari? ô quanta est bonitas, et misericordia tua!

2. Placare, Domine, et ostende mihi serenum vultum tuum.

3. Ecce Deus tuus, anima mea, ecce qui delet peccata tua: vide quanta pro te pertulit, quantâ charitate te diligit: cave ne unquam ab eo discedas.

4. Hoc unum à te peto, Domine mi, exaudi me, ut non peccem, ut cognoscam, et faciam voluntatem tuam.

5. Veni, Domine, in cor meum; fac flagellum de funiculis, et ejice ab eo omnes profanantes domum tuam.

6. Da mihi, Jesu benignissime, unam ex tuis lacrymis, quas pro me uberrimè effudisti, ut eam offeram Patri tuo in satisfactionem pro peccatis meis.

7. Recipe fugitivum tuum, Clementissime Pater, pateat mihi pulsanti janua tua, accipe me fugientem ab inimicis.

8. Mortifica et avelle à me quidquid displicet tibi : vivifica, et auge in me, quod tibi placet, tu qui mortificas, et vivificas.

9. O Pater amantissime, si vis potes me mundare. Sana animam meam, quia fateor me peccasse.

10. O si omni vitio carerem ! ô si sensus ab illicitis objectis cohiberem ! ô si totus compositus intus et foris essem ! Quando, quando ab omni labe purus ero : Quando ita expurgatus, et ordinatus, ut nihil appareat in me, quod intuentium oculos possit offendere ? Adjuva me, Domine Deus meus, et peccatricis animæ meæ ablue sordes.

CAPUT XII.

PIA DESIDERIA AD USUM PROFICIENTIUM.

Anima quæ à Deo aberraverat, postquam rediit in viam bonam, similis est filiis Israël, quos Dominus in manu forti de servitute Ægyptiacâ liberavit. Sicut enim illi egressi de Ægypto in terram fluentem lac et mel, duce Moise, progressi sunt : ita anima ad ulteriora procedere debet ; contemptis hostium tentationibus ad reditum in Ægyptum sollicitantibus, quia Dominus pro nobis pugnat, et adiutor noster est ; virtus nostra, et tutissimum refugium ; ad quem fervidis motibus cor erigere, ejusque opem

jugiter implorare debemus piis desideriis et aspirationibus, quæ statui Proficientium specialiter conveniant. Harum decades aliquot subijcio in usum, et exemplum.

DECAS I.

1. Illumina, Domine, oculos mentis meæ lumine fidei, et sapientiæ, ut te semper respiciam tanquam exemplum mihi datum ad vitam sanctè instituentem.

2. O si vires animæ, Christe dulcissime, per vires sanctissimæ animæ tuæ perficeres, et reformares ! Utinam ad imaginem tuam me animo et corpore effingam.

3. Deus meus, et vita animæ meæ, quis ego sum, et quæ domus patris mei, ut præstares mihi tot beneficia ? A te, Domine, et ad te creatus sum : tu requies mea, tu centrum animæ meæ.

4. Bone JESU, spes mea, et refugium meum, saluto et veneror suavissima vulnera tua : immerge me : et absconde in illis : imprime illa cordi meo, ut tui amore totus ardeam, et medullitus tibi compatiar.

5. Da mihi, Domine, intentionem rectam, ut ex filiali amore tuum honorem et beneplacitum in cunctis quæram. Da intentionem perfectam, ut nec spiritualem consolationem exquiram, sed in omni desolatione tibi adhærere concupiscam.

6. Tolle, Domine, à corde meo nimium amorem mei, et infunde perfectum tui amorem : tolle cor servi pigri, et minus fidelis, et da cor filii per sanctam fiduciam in te sperantis.

7. O si tui dumtaxat recordarer, te solum cogitarem, te solum diligerem!

8. O si janua sensuum meorum rebus mundanis occluderem, cunctisque virtutibus ornarer, ut tibi per omnia placerem!

9. O si mentem meam ab omni multiplicitate expedires, ô si eam penitus in te colligeres!

10. Quæram te diligenter summum bonum meum, te sollicitè cupiam immensa pulchritudo mea, ad te velociter curram, vera requies animæ meæ.

DECAS II.

1. Discedite à me creaturæ omnes, vestrarum curarum me expertem relinquitte, ne impediatis salutem animæ meæ, nec me ab assidua Dei memoria interpellatis.

2. Ne me permittas, Domine, in salebra tepiditatis hærare, et caligine ignorationis obvolvi; sed expedi vires meas, ut ad perfectionem velociter curram.

3. In tuum pretiosum sanguinem me totum projicio; ut universa delicta mea et imperfectiones absorbeat, ac in humilitate, patientia, cæterisque virtutibus confineat.

4. Hoc unum volo, Domine, hoc unum desidero, hoc unum peto, ut benignis oculis respicias me.

5. Illumina cor meum, accende affectum, roboram manus, ut eum virtutis gradum, ad quem sum destinatus, per tuam misericordiam adipiscar.

6. Præsta, Domine, ut per mei perfectam abnegationem ad perfectum tui amorem perveniam. Tu

jussisti ut diligam te, da quod jubes, et jube quod vis.

7. Seda, precor, tentationum procellis agitatum animam meam, tu qui mari terminos ponis, et dicis: Huc usque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

8. Adorna, Rex Sion, thalamum animæ meæ, sponsæ tuæ, ut nihil admittat, quod non sit honestum et decorum, nihilque in eâ appareat, quod displiceat oculis tuis.

9. Utinam, Domine Deus meus, verè mitis essem, et humilis corde; verè pauper, et nudus spiritu.

10. Ecce, Domine, constituo me in infimo loco, infra omnem creaturam; qui peccator sum, et omnium indignissimus.

DECAS III.

1. Omnem voluntatem meam in tuam, Domine, transfundo; fiat voluntas tua de me et per me in tempore, et in æternitate.

2. Conformam me, suavissime JESU, sanctissimæ humanitati tuæ, et da mihi liberam ad te introversionem.

3. Instrue, dirige, et adjuva me in omnibus, nisi quod tibi sit acceptum.

4. Benedico, et gratias ago omnipotenti clementiæ tuæ, Domine Deus meus; nam quidquid mihi impendi potuit à largitate tuâ, recepi semper inæstimabiliter supra condignum.

5. Domine, quid me vis facere? fac ut vivam in beneplacito tuo.

6. Da mihi, Domine, mentem tranquillam, et excita in me castæ dilectionis ardorem.

7. Illucesce mihi anhelanti ad te, ne tenebræ mortis me comprehendant.

8. Quàm bonum est pati pro Christo, pro Christo affligi, contemni, et mori!

9. Ave dulcis Jesu, qui pro me mori dignatus es, ne permittas me damnari, quem tuo pretioso sanguine redemisti.

10. O dulcis Societas, semper esse cum Christo: o dulcis vita cum Christo vivere, cum Christo pati, et mori!

DECAS IV.

1. Serviat tibi, Domine Deus, quidquid ago, quidquid loquor, quidquid cogito: omne opus à te incipiat, in te finiatur.

2. Servus tuus ego sum, da mihi intellectum, Domine, ut discam mandata tua: nolo mei ipsius esse, tu libera me ab omni proprietate.

3. O quàm suave est sedere in solitudine, et tacere, cum solo Jesu loqui, solum Jesum meditari, in quo sunt omnia bona!

4. Planta in me, Domine, radices solidarum virtutum, et fac excrescere cum viriditate boni operis, ne velut arbor infructuosa otiosus sim in domo tuâ.

5. O dulcis Jesu, fons omnium bonorum, fons vitæ et gratiæ, dirige gressus meos in semitis tuis, et doce me facere voluntatem tuam.

6. Cor meum evacua ab omni creatura, et ab omni impedimento: fac ut sim purus et simplex, ac totus in te defixus: ut nihil respiciam, nihil amem in creaturis, nisi quod tuum est, et propter quod creatæ sunt.

7. Da mihi fervorem spiritus tui, Jesu amantissime, accende in me ignem quem venisti mittere in terram, ut tibi soli placere studeam, et ab omnibus propter te despici exoptem.

8. O unice dilecte Jesu, ne derelinquas me desolatum in hoc exilio! sed sicut promisisti, ita mecum age, ut vadas, et venias iterum ad me tempore opportuno, donec finito probationis certamine assumas me ad te ipsum.

9. Domine, virtus mea, sis in omnibus benedictus, in quibus me affligis: voluntatem tuam adimple in me; scio enim, quod nihil potes agere injustè.

10. Oro te, Deus meus, eripe distractum, et captivum animum meum ab omnibus concupiscentiis, et corporalibus imaginibus, ut teipsum in me illuminata ratione inveniam, qui me ad tuam pretiosam et incorruptibilem imaginem fecisti.

DECAS V.

1. Deus meus, omne bonum meum, quando replebis me gratia et charitate tua, ut cognoscam quòd tu sis mihi omnia, quodque verè extrà te nihil sint omnia?

2. Orere mihi lux sempiterna, et inclinentur umbræ vanitatis meæ, ut ne atomus quidem me separet à te, aut obumbret mihi.

3. O quàm suavis est, Domine, spiritus tuus, et quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! utinam semper eorum memor sim ad faciendum ea.

4. Domine Deus, desidero laudare te pro omnibus qui te ignorant, vel blasphemant sive in terris, sive in inferno.

5. Intuere me oculis misericordiæ tuæ, et justitiam tuam longè fac à me, Deus meus, amor meus.

6. Tu scis, Domine, quia amo te, repelle à me quidquid displicet tibi.

7. Nihil habeo, quod offeram tibi, præter lacrymas contriti et amantis cordis; suscipe eas, et misce sanguini tuo, benignissime Jesu.

8. Tibi, Domine, hoc corpus nutrio, tibi conservo hanc vitam: vires mihi largire, ut serviam tibi.

9. Utinam efficere possem, dulcissime Deus, ut omnia gaudia, quæ sunt et erunt in mundo, non sint nisi de te. In te enim verum gaudium, in te vera consolatio.

10. Posside, bone Jesu, cor meum, et reple illud gratiâ tuâ.

DECAS VI.

1. In te vivam, in te moriar, suavissime Jesu, et tam in vitâ quàm in morte cantabo tibi quia bonus es, et in æternum misericordia tua.

2. Absorbe, Domine, concupiscentiam meam, dulcedine tuâ, quam abscondisti timentibus te, ne interior gustus vanis illectus, et deceptus, ponat amarum dulce, et dulce amarum.

3. Confugiat, Domine, mens mea sub umbra ala-

rum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut in te abscondita cantet. In pace, in idipsum dormiam, et requiescam.

4. Da quæso, Domine, cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare.

5. Fac me funditus mori huic mundo, et transuentium rerum oblivisci præ magnitudine timoris, et amoris tui, ut nihil temporale diligam, aut meam.

6. Deduc me, Domine, in justitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.

7. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

8. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

9. Tu qui dixisti, si quis sitit, veniat ad me, et bibat; da sitienti animæ meæ semper bibere ex te, ut secundum promissionem tuam fluant aquæ vivæ de ventre meo.

10. Expelle à me, omnipotens Deus, jactantiam mentis, et auge cordis compunctionem: minue superbiam meam, et perfice in me veram humilitatem: libera me ab insidiis inimici, et conserva in tuâ voluntate.

DECAS VII.

1. Cognoscam te Domine, virtus mea, inveniam te desiderium cordis mei, diligam te vita animæ meæ.

2. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in

sæcula sempiterna, ô beata Trinitas, pro omnibus contumeliis, quæ tibi ab impiis inferuntur.

3. Laudo te, Amor dulcissime, et glorifico te pro omnibus, et in omnibus bonis, quæ tua gloriosissima Divinitas, et beatissima Humanitas operata est in nobis per nobilissimum instrumentum cordis tui, et operabitur in sæcula sæculorum.

4. In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me.

5. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

6. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redimisti me, Domine Deus veritatis.

7. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me; Domine, ad adjuvandum me respice.

8. Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi; dic animæ meæ, salus tua ego sum.

9. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

10. Sitivit in te, Deus, anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

DECAS VIII.

1. Miserere mei, Deus omnium, et ostende mihi lucem miserationum tuarum.

2. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, et superexaltate eum in sæcula.

3. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

4. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

5. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.

6. Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

7. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi: Doce me justificationes tuas.

8. Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.

9. Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

10. Vidi prævaricantes, et tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt.

DECAS IX.

1. Quis similis tui in fortibus? Domine, qui similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.

2. Opto, Domine, patiens esse, et humilis, et resignatus: tu pro me supplere digneris, quidquid mihi deest in his virtutibus.

3. O quàm desidero humilitatem habere! Da mihi thesaurum humilitatis tuæ, humillime Jesu Christe.

4. O quantum desidero pati pro te, amantissime Jesu! Tametsi induxeris omnes fluctus tuos super me, lætus omnia tolerabo per gratiam tuam ob amorem tui.

5. Recordare, Domine, quia Pater meus es: ecce Anima mea nuda est, indue eam virtutibus tuis: ad patrem enim pertinet, nudam pauperulam filiam vestire.

6. Quid volo præter te, Domine, aut quid mihi prodesse omnia sine te? Tu solus sufficis animæ meæ.

7. Quam vani sunt homines: qui te non quærant; quam miseri, et avari, quibus tu non sufficis!

8. O si omnium hominum quotquot fuerunt, sunt, et erunt, corda et voluntates solus haberem, ut iis te summe diligerem, unicum bonum meum!

9. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Et si Angelus de coelo assereret mihi, me projectum esse à facie tuâ, non crederem illi. Et si tu ipse, summe Deus, diceres mihi, ego in æternum te damnavi, nolo audire preces tuas. Ignosce, Domine, in hac re non crederem tibi: sed etiam si occidas me, et in inferno demergas me, semper in te sperabo.

10. Da mihi, Domine, vulnera tua: abhorreo enim videre cor meum, nisi vulneribus plenum, cum te adeo crudeliter pro me videam crucifixum. Non possum vivere sine vulnere, cum te undique videam vulneratum.

CAPUT XIII.

SUSIRIA AMANTIS ANIME PRO PERFECTIS.

Perfectos appello, non ex omni parte: quis enim in hoc mundo? Imò, ut verissime scribit Bernardus Drogoni Monacho: *Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit; et in eo quisque perfectionem se probat, quòd ad majorem tendit perfectionem.* Perfectos igitur voco, expurgatos à peccatis, ornatos virtutibus, qui in humilitate et charitate magnos jam progressus fecerunt, et ad intimam cum Deo unionem ferventi affectu aspirant. Quia verò perfectio in amore Dei consistit, motus anagogici ad Perfectorum statum pertinentes, ex amore potissimum desumuntur, ut ex subjectis formulis apparet.

DECAS I.

1. O dulcedo cordis mei, ò vita animæ meæ, ò essentia essentiæ meæ, et jucunda requies spiritus mei, abstrahe me ab omnibus creaturis, ut solùm requiescam in te.

2. O Domine Deus meus, spes mea et refugium meum, ò dilecte votorum meorum, quando omnem dissimilitudinem et imperfectionem absumes in me?

3. O charorum omnium charissime, ò sponse floride, sponse melliflue, quando me ornabis illis monilibus, quibus tibi placebo?

4. Trahe me post te, sponse dulcissime, ut ala-

5. Recordare, Domine, quia Pater meus es: ecce Anima mea nuda est, indue eam virtutibus tuis: ad patrem enim pertinet, nudam pauperulam filiam vestire.

6. Quid volo præter te, Domine, aut quid mihi prodesse omnia sine te? Tu solus sufficis animæ meæ.

7. Quam vani sunt homines: qui te non quærunt; quam miseri, et avari, quibus tu non sufficis!

8. O si omnium hominum quotquot fuerunt, sunt, et erunt, corda et voluntates solus haberem, ut iis te summe diligerem, unicum bonum meum!

9. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Et si Angelus de coelo assereret mihi, me projectum esse à facie tuâ, non crederem illi. Et si tu ipse, summe Deus, diceres mihi, ego in æternum te damnavi, nolo audire preces tuas. Ignosce, Domine, in hac re non crederem tibi: sed etiam si occidas me, et in inferno demergas me, semper in te sperabo.

10. Da mihi, Domine, vulnera tua: abhorreo enim videre cor meum, nisi vulneribus plenum, cum te adeo crudeliter pro me videam crucifixum. Non possum vivere sine vulnere, cum te undique videam vulneratum.

CAPUT XIII.

SUSIRIA AMANTIS ANIME PRO PERFECTIS.

Perfectos appello, non ex omni parte: quis enim in hoc mundo? Imò, ut verissime scribit Bernardus Drogoni Monacho: *Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit; et in eo quisque perfectionem se probat, quòd ad majorem tendit perfectionem.* Perfectos igitur voco, expurgatos à peccatis, ornatos virtutibus, qui in humilitate et charitate magnos jam progressus fecerunt, et ad intimam cum Deo unionem ferventi affectu aspirant. Quia verò perfectio in amore Dei consistit, motus anagogici ad Perfectorum statum pertinentes, ex amore potissimum desumuntur, ut ex subjectis formulis apparet.

DECAS I.

1. O dulcedo cordis mei, ò vita animæ meæ, ò essentia essentiæ meæ, et jucunda requies spiritus mei, abstrahe me ab omnibus creaturis, ut solùm requiescam in te.

2. O Domine Deus meus, spes mea et refugium meum, ò dilecte votorum meorum, quando omnem dissimilitudinem et imperfectionem absumes in me?

3. O charorum omnium charissime, ò sponse floride, sponse melliflue, quando me ornabis illis monilibus, quibus tibi placebo?

4. Trahe me post te, sponse dulcissime, ut ala-

criter, pure, perseveranter curram in odorem unguentorum tuorum.

5. Effice me hominem secundum cor tuum, præpara tibi in me gratam habitationem, ut ad me venias, et mansionem apud me facias.

6. Inebria me vino charitatis tuæ, ô pulcherrime amator meus, uni me tibi intimè, et me totum transmuta in te.

7. O ignis increate, quando me totum incremabis flamma ardentissima amoris tui? quando perempta in me omni proprietate totus tuus ero?

8. O dilecte mi, quem solum quæro, quando mihi pulsanti, et gementi aperies? quando teipsum mihi manifestabis, et dices, salus tua ego sum?

9. O immensa dulcedo mea, quando me totum in te rapiens, absorbebis, et abscondes? Quod enim est mari absorbere unam guttam, hoc tibi est absorbere me.

10. O felicitas mea, ô totum et solum gaudium meum, quando sublatis omnibus impedimentis introduces me in cubiculum gloriæ tuæ, et me tibi inseparabiliter agglutinabis?

DECAS II.

1. Quæsi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram: frustra enim laboro, quamdiu te non quæro.

2. Nolo te sequi, Domine, per viam consolationum, et delectationum; sed veri et puri amoris. Nolo id quod egreditur à te, sed te ipsum solum. Te solum volo, te solum desidero: nihil mihi extra te.

3. In te, Domine, est omne esse meum, omnis delectatio mea, omne bonum meum: Si quid meum dico, si meipsum nomino, te solum intelligo, qui solus meus es, et omnis essentia mea in te est.

4. Anima mea sicut terra sine aqua tibi: effunde ergo, clementissime Deus, largam super me benedictionem de rore cœli, et de pinguedine terræ viventium.

5. Utinam dirumperes cœlos, et ad me descenderes, ut durities mea liquefacta deflueret, et amore tuo totus ignitus inerrabilibus te gemitibus invocarem.

6. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, et cogor ibi vivere, unde mallet abesse: cogor abesse à te, cum quo tantoperè cupio permanere.

7. O Amor quàm absconditus, quàm ignotus es? Te cupio, Domine, nihil aliud. Præbe mihi cor tuum, et accipe meum.

8. O si possem velocissimè totam terram peragrare, et clamore valido ubique vociferari: Vivat amor Jesu Christi, vivat amor Jesu Christi!

9. O superlucida, et deliciosa Trinitas unus Deus, pascere me tuis influxibus. O simplicissimum, et jucundissimum bonum, ô bonum incommutabile, imple me teipso: transfer in te originem meam: introduce me in fundum animæ meæ!

10. O charum principium meum, quando te feliciter inveniam? quando te ardentissimè diligam? quando me totum in te rapies? quando me totum absorbebis, et sine medio tibi unies?

DECAS III.

1. Quando obdormiam, et requiescam in te, pax mea dulcissima? quando plenè aspirabit mihi Divinitatis tuæ fragantia? quando mihi exorietur dies sempiterna tuæ manifestæ visionis?

2. Per tuum cor transverberatum transfige, amantissime Jesu, cor meum jaculo amoris tui, ita ut nihil terreni continere possit, sed à solâ efficacîâ tuæ Divinitatis contineatur.

3. Ave Jesu, sponse mellifluæ, saluto et veneror te omnium electorum tuorum affectu. Excita et rege spiritu tuo vivifico omnes motus cordis mei.

4. O amor meus et omne gaudium meum, quando inclinabitur umbra mortalitatis, et aspirabit dies æternitatis? quando depositâ sarcinâ corporis hujus cum Sanctis tuis te perenniter laudabo?

5. Recipe me, ô floride sponse, inter suavissimos amplexus amoris tui, quibus constrictus spiritus meus totus ardeat, et comburatur.

6. O bonum super omne bonum, ô finis sine fine, quando fruar te sine modo, et sine fine:

7. Pulcher es, dilecte mi, et amabilis valdè, non carni et sensui, sed animæ credenti, mundum cor habenti, et ad invisibilia se transferenti.

8. Dominus meus, et Deus meus, amem te solum propter te, et nihil amem nisi in te.

9. O suavissime Cœli splendor, adure cor meum potentissimo charitatis incendio: tibi viscera mea sacrifico, ut ea æternis flammis comburas.

10. Cupio, Domine Jesu, ut, quoties aërem ad

me attraho, te ipsam cordiali affectu intra me attraham, quatenus omnes cogitationes, verba, et opera mea tuis cogitationibus, verbis, et operibus uniantur, et sic unita Deo Patri ad majorem ejus gloriam repræsententur.

DECAS IV.

1. Da mihi, Domine, ut te videam sine formâ corporeâ, sine specie imaginariâ, sine luce creatâ. Trahe me post te extra me et extra omnes creaturas.

2. Malo, Domine, ex voluntate tuâ acerbissimas inferni pœnas sine fine tolerare, quàm sine te gaudiis perfrui sempiternis.

3. Demerge, dilectissime mi, parvulam guttam spiritus mei in immenso pelago bonitatis tuæ, demerge et absorbe me totum in abyssu infinitæ misericordiæ tuæ.

4. Veni, suspirata quies amantis animæ meæ, ut nulli mihi dies, nullæ noctes eant sine te, nullus mihi somnus sine te: tibi soli vivam, et moriar.

5. Quis ego sum, et quis es tu amor meus? Numquid non multum esset, si te permitteres à me amari? sed et insuper te amari præcipis, et mihi mortem sempiternam minaris, si te non amo.

6. Clementissime Pater, sicut tu ab omni æternitate voluisti, antequàm ego essem, ita fiat: charior est enim mihi tua gravissima voluntas, quàm operandi libertas.

7. Quando me iustificabis in regno tuo, Domine Deus meus, clarissimo vultu tuo? Quando omnia, quæ credo, lego, et audio de te, et gloria tua clarè et intuitivè videbo?

8. Sileat ante te omnis creatura, Deus meus : Tu solus mihi loquaris, adsis, et illumines, qui es omnia in omnibus; et super omnia amabilis, et gloriosus.

9. Vulnere cor meum tam potenti jaculo dilectionis tuæ, ut omnis terrena consolatio amara mihi reddatur, et omni solatio creaturarum libenter caream.

10. Extingue, Domine, omnes extraneas imagines in corde meo, ut pacem nullibi, sive delectationem vel quæram, vel inveniam, nisi in te, dulcissime Deus meus.

DECAS V.

1. O charitas, Deus meus, fac me obsecro unum tecum, sicut tu, et Pater unum estis, et sufficit mihi.

2. Utinam, suavissime Jesu, ea flamma amoris arderem, qua ardent Seraphim, qua ardet Mater tua, qua ardes tu.

3. O si possem ab omnium cordibus amorem, qui non est tuus, evellere, et tuum inserere, ut amore tuo omnes arderent, et languerent!

4. Amo te Deus meus, quia Deus es. Amo te æternitas mea, quia æternus es. Amo te immensitas mea, quia immensus es.

5. In amoris signum gratulor tibi, Deus meus, divinitatem tuam, simplicitatem tuam, æternitatem tuam, omnesque tuas perfectiones, quæ ita sunt in te, ut idem sint, quod tu.

6. Utinam omnia, quæ cogitavi, quæ sum locutus, et operatus, ex puro tui amore semper fuissent! Utinam te semper amassem!

7. O si possem, Deus meus, retrovertere annos meos, et peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere! ò si te semper dilexissem, cum alia extra te dilexi!

8. Nihilum mei præcessit me à diebus æternitatis tuæ, Deus æterne! nunc verò exulto tibi factori meo, et cupio annihilari quidquid in me terrenum est, ut tu solus vivas in me.

9. O æternitas quàm clarè lucas, quàm blandè, quàm præcisè, quàm in puncto! A te secedo à mundo isto sensibili: in te meum solatium, et recreatio est post negotia vitæ humanæ, post tædium vitæ labentis.

10. Tu desiderium collium æternorum, dulcissime Jesu: tu desideratus cunctis gentibus; tu sponsus, tu rex cordium: tu amor meus, et omne bonum meum.

DECAS VI.

1. Tu scis Domine, quia, si possem, omnem tibi laudem, gloriam, et honorem tribuerem, quibus te laudant, glorificant, et honorant omnes Angeli, et electi tui; sed quia impotens ad hoc sum, suscipe saltem desiderium meum, et bonam voluntatem.

2. Exclude à me, Deus, omnia impedimenta gloriæ tuæ, et in eo statu me constitue, quem aptiore fore nosti, ut major tibi gloria ex me proveniat.

3. Possideam te in medio cordis mei, beatitudo sempiterna! possideam te, summa dulcedo animæ meæ!

4. Me tibi resigno, creator meus, purè propter

te ad omnia officia, loca, casus, eventus, statumque animæ, et corporis, qui tibi placuerit.

5. Nihil à te peto, Domine, nihil volo, nisi pro majori gloriâ tuâ. Quòd si per ignorantiam, vel errorem aliud peterem, nolo exaudiri.

6. Si tibi æquale præstatur obsequium; malo, Domine, desolationem, quàm consolationem, ut pro tui amore aliquid patiar internæ afflictionis.

7. Quia sine te nihil possum pati pro te, da mihi multam et magnam gratiam, ut multa et magna patiar pro amore tuo.

8. Major es omni laude, Deus meus; et ob id gaudeo, quia, quidquid obsequii omnes puræ creaturæ præstare tibi quocumque modo conantur, longissimè impar est dignitati et magnitudini tuæ.

9. Quidquid virtutum, piorum actuum, et affectuum in libris editis, et edendis describitur, quidquid fieri potest tibi gratum, et acceptum, id omne approbo, et volo, et cum gratia tua perficere cupio.

10. Utinam possem, Deus meus, aliquid hoc momento efficere, quod summè tibi placeat. En hoc, quod nunc aggredior, purè ad hoc dirigo, ut maximam in eo habeas complacentiam.

DECAS VII.

1. Quæso te, Domine, ne patiaris quidquam in me, quod non sit usquequaque tuum, et divinum; et si quid est, illud protinus evelle.

2. Si scirem, Deus meus, me fore annihilandum, adhuc tibi omni studio servirem; non enim tibi servio propter me, sed propter te,

3. Da, bone Jesu, ut oratio illa tua suam vim in me habeat, ut sicut tu in Patre, et Pater in te est; ita ego tecum unus sim voluntate, amore, opere, moribus, et vita.

4. Extingue me, Domine, in corde omnium hominum; et cunctos homines in corde meo occide, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.

5. Mitte mihi, Deus, quamcumque vulneris afflictionem, et crucem; et in omni tribulatione præsta, ut reum me fatear, et cognoscam, et ut meipsum contemnam.

6. Hactenùs quosdam amavi, qui me non amabant; jam te amabo, amator æternæ, qui me amasti, antequàm te novissem; quem amare virtus summa est, à quo amari felicitas.

7. De profundis cordis mei clamo ad te, suavissime Deus, ut auferas à me vanissimum amorem corporeæ pulchritudinis, et me totum transferas ad purissimum amorem decoris tui.

8. Illabere, precor te, in penetralia cordis mei, et imprime mihi servo tuo dulcissimam, et admirabilem speciem tuam, ut quiescam in suavitate præsentiae tuæ.

9. Veni, Domine, amor meus, gaudium meum, et corona mea: veni et noli amplius tardare, ne ex nimio desiderio sine sensu efficiar.

10. Scribe, dulcis Jesu, nomen tuum in corde meo; et amorem tuum mellifluum per jugem memoriam pectori meo inscribe.

DECAS VIII.

1. Vincat nequitiam meam, Domine, immensa bonitas tua, et imaginem tuam in me recognosce, quamvis deturpatam.

2. Revertor ad te, felicissimum principium meum, dulcis origo et finis meus: esto deinceps totum, ac solum cogitationum mearum objectum.

3. O unum divinum, te solum desiderat cor meum, libera me ab omni multiplicitate.

4. Diligam te, Deus, pro dono tuo, et pro modo meo, exiguo quidem, et minus justo; sed non possum ultra quam possum: potero autem plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen pro ut dignus haberis.

5. O quam beati sunt illi, qui edunt, et bibunt ad mensam tuam in regno tuo, quoniam te ardentem diligunt, et te fruuntur in lætitiâ et exultatione. Ego autem hic fame pereor; et projectus in cinere et caligine, lumen cœli non video.

6. Sitio te clarè cognoscere, esurio te perfectè diligere, nec desiderium meum adipisci valeo. Obsecro, Domine, si invenî gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.

7. Fac mihi, Domine, quodcumque placitum fuerit in conspectu tuo: in manibus tuis ego sum, et corpus meum, et spiritus meus: quocumque pervenero laudabo te, et exultabo vehementer.

8. Satia animam meam ad te suspirantem, felicitas mea, et reple esurientem bonis tuis.

9. Dejiciantur, quæso, omnia simulacra de throno

gloriæ tuæ, ut tu sis solus regnans in corde meo, nec sim ego amplius miserabiliter instabilis, et fugitivus à te.

10. Uniat me sibi verbum Dei, gignat seipsam in me sine intermissione æterna sapientia, et pro minimo mihi erit, si me despiciant cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt. Quod si me repuleris ab osculo tuo, non poterunt me omnia, quæ infra te sunt, consolari.

DECAS IX.

1. Veni gaudium meum, lumen oculorum meorum: veni amor meus, lux incomprehensibilis, imple omnes potentias animæ meæ intus, et foris, ut nihil nisi te videam, cogitem, amem, et desiderem.

2. Tu dixisti, Domine, Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus. Et quid aliud est solitudo, nisi te solum amare, in te solo quiescere?

3. O divina solitudo tam concupiscenti animo desiderata, quando fiet istud, ut in te omninò quiescam?

4. Heu me, quia non diligo te, vita animæ meæ, nam si verè te diligerem, semper te in corde haberem; scriptum est enim, Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

5. Congrega nos in unum, potentissime amator, data est enim tibi omnis potestas in cœlo, et in terra.

6. Trahe me post te, suavissime Redemptor, qui dixisti, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.

7. Accende cor meum igne tuo, Deus meus; tu

enim ignis comburens es, et facis ministros tuos ignem urentem.

8. Deus meus es tu, qui infinita tua bonitate locupletissimus, nec honorum meorum, nec alterius cujusque rei indigentiam habere potes. Et in hoc gaudeo et exulto, quod nulla tibi perfectio, nec quidem per imaginationem adjungi possit.

9. Domine Jesus, quantum te diligunt, qui te noverunt; Pater tuus te diligit, Spiritus sanctus te diligit; omnes Angeli, omnes Electi, et amici tui amore tuo exardescunt; et ego solus frigidus ero?

10. Libera me, Deus, à multiloquio, quod patior intus in anima mea: non enim cogitationibus taceo, etiam si vocibus taceam. Multæ sunt cogitationes meæ quales tu nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Da mihi eis non consentire, nec immorari, ne me impedian ab amore tuo.

DECAS X.

1. O Amor, quam parum cognoscere, et amaris! Accede ad me, o Amor, et si nullibi requiem invenis, te totum transfunde in me, æterne et suavissime Amor.

2. Semper ardeat ignis amoris tui in altari cordis mei, et in tantum crescat incendium, ut non solum sacrificium, sed et ipsum altare comburet, et consumet.

3. Nihil me lætificet, Domine Jesu Christe, nisi tu: nihil me contristet, nisi culpa mea, et offensio tuæ Majestatis.

4. Tu es unicum desiderium meum, æterna Sa-

pietia, tu thesaurus quem quæro, tu beatitudo ad quam suspiro.

5. Quam pulcher es, dilecte mi, quam speciosus in deliciis tuis! Utinam potentissimus amor tuus omnem extraneum amorem in me occidat. Quidquid videro, quidquid audiero, quidquid sensero; tu solus intres, et possideas cor meum.

6. O Amor potentissime, qui lutum transfiguras in Deum, transforma me totum in te. Nimis saxeum est cor meum, nisi molliatur sanguine tuo: nimis distractum est, nisi colligatur in latere tuo.

7. O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas. Tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte. Te amo, te diligo et magis amare desidero: percussisti enim cor meum verbo tuo, ut amarem te.

8. Quid amore dulcius? quid securius? quid suavius? Quare sagittis ejus non est transfixum cor meum? Ergone amor tuus circumdat me undique, et nescio quid sit amor? cur sic maneo insensibilis? cur me magis attraxit creatura, quam creator?

9. Venustissime Jesu, vita mea perennis, per quam vivo, et sine qua morior, vita dulcis, et amabilis; concede ut tibi jungar, te complectar, et suavi charitate soporatus in te obdormiam.

10. Quando te videbo, dulcissime Deus? quando apparebo antè faciem tuam? quando transibo in admirabilem domum tuam? quando videbo te in terra viventium? In ista enim terra jumentorum mortalibus oculis videri non potes, sed in regione Angelorum videbimus te, siculi es.

CAPUT XIV.

LAUDEM VIRTUTIS IN ACTIONE CONSISTERE. ACTUS
DIVERSARUM VIRTUTUM.

Norunt omnes, qui vel primis Philosophiæ rudimentis imbuti sunt, omnem vim, et laudem virtutis in actione sitam esse. Habitus enim virtutum, sive à Deo infundantur, sive acquirantur à nobis, data opportunitate in opus exire debent : et hoc est primum eorum munus, bonæ actionis principium, et fontem esse ; et potentiam, quam imbuunt, disponere ad hoc, ut certius, et facilius operetur. Causa exigui profectus in vita spiritali, non defectus cognitionis aut desiderii, sed defectus executionis esse solet. Aliud est scire multas divitias, aliud possidere : nec notitia divitem facit, sed possessio. Actiones autem, quibus unaquæque virtus aut generatur, aut crescit, duplices sunt : internæ, et externæ. De externis non est hic disserendi locus, nec earum usus semper occurrit. Internæ perfectiores sunt, solaque mente et voluntate perficiuntur, et ideo his incumbere possumus omni loco, omni tempore, et in qualibet occasione. Sunt qui unam virtutem singulis mensibus seligunt ; cui ex professo incumbant, instituto ea de re examine particulari, quæ res necessaria omnino est proficere in studio perfectionis desiderantibus, ut fusiùs explicavi in meo Horologio Christianæ diei (1). Scrip-

(1) In meo Horologio Christianæ diei cap. II, §§ 8, et cap. IV, § 2.

sit etiam de virtutis actionibus luculentissimum tractatum ex Scripturis et Patribus Bernardinus Rossignolius, quem Lectori meo enixè commendo. Ego interim in exemplum actus subjicio præcipuarum virtutum per breves Aspiraciones ferventissimè eliciendos : qui modus servari quoque potest in reliquarum actibus, ad usum et praxim quotidianam describendis.

ACTUS FIDEI.

1. Auctor fidei, Jesu Christe, firmissimè credo vera esse omnia, quæ te revelante credit, et docet sancta mater Ecclesia, et pro hac assertionem et veritate millies mori paratus sum.

2. Auge in me fidem à te semel infusam, vitamque fidei consonam concede, ut, quod mente credo, moribus exprimam.

3. Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis, utinam secundum ea semper vixissem.

4. Verissima sunt omnia, quæ in sacris libris, et Apostolicis traditionibus, ac decretis Ecclesiæ continentur : pro qua veritate tuenda vitam meam libentissimè offero.

5. Omnino verum est, te Deum meum unum esse in substantia, et Trinitatem in personis : quod ego per medios gladios, et ignes profitebor.

6. Utinam fides tua integra semper, et sincera conservetur, qualem tu, Domine, tradidisti, qualem Apostoli prædicaverunt.

7. Credo tibi, ô summa veritas, et quia fides sine operibus mortua est, da mihi, ut fidem meam patientiâ et charitate, aliisque virtutibus vivam esse demonstrarem.

8. Gratias ago tibi, Domine, quòd mihi fidem dederis, qua te cognoscerem, quòd me Christianum feceris, et Catholicæ Ecclesiæ membrum. In hæc fide vixi, in eadem mori volo, atque utinam pro eadem.

9. Credo te Deum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. O credam, et fruam semper, quia tu Deus meus es, principium meum, et finis ultimus, et mea æterna beatitudo.

10. Credo te Dei Filium pro mea salute carnem humanam induisse. Credo te passum pro me, et mortuum in cruce. Credo te Deum, et hominem in sacramento mirabiliter existere. Credo hæc omnia, et alia, quæ de te docet Ecclesia, et credens adoro, et amo te.

11. Revela, Domine, oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua : semper mel ori meo.

12. O si fidem possem annunciare in universo mundo, et omnes infideles ad Deum convertere, quàm libenter id facerem, et si propterea omnia tormenta sustinere deberem.

13. Utinam possem, Deus meus, omnium infidelium intellectibus in te credere, omnium affectu te amare, omnium viribus tibi servire!

14. Discedite à me omnes pessimi hæretici, filii diaboli, et pestes animarum : vos detestor, et abominor, et cum Ecclesia Dei anathematizo.

15. Quæcumque docet fides, adeò firmiter credo, ac si oculis ea viderem. Adauge, Domine, et confirma fidem meam : hac enim duce securus ibo ad

tribunal tuum, quæcumque horâ me vocaveris, quia credo et spero videre bona tua in terra viventium.

ACTUS SPIR.

1. Clementissime Deus, tametsi multa et gravissima peccata commiserim, spero tamen ex tua misericordia, et ex bonis operibus gratiæ tuæ adjutorio præstitis me gloriâ sempiternâ fruiturum.

2. Et si reus essem omnium peccatorum mundi, tamen in te sperabo; major est enim misericordia tua, quam iniquitas mea.

3. Gaudeo, Domine, nihil in me esse, in quo confidere possim : lætor quòd nullibi spes mea consistere queat, nisi in te, qui solus es refugium meum, et firmamentum meum.

4. Dixisti, Domine, et ita est : Sine me nihil potestis facere : quid ergò residui habeo, nisi ut oculos ad te dirigam, et tu, ô bonitas, adjuves me?

5. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

6. Ad te confugio, Domine, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeam, et in te sperans non confundar.

7. Omnis spes mea, optime Jesu, et totius fidei certitudo in pretioso sanguine tuo mihi est. In ipso respiro, et in ipso confisus ad te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam quæ est ex te.

8. Quidquid asperum et molestum mihi evenire permiserit divina providentia tua, benignissime

Pater, semper in te sperabo : certus enim sum, quia si in inferno demersus fuero, inde me liberabis.

9. Magna valde est misericordia tua, Domine, et in ea sola posita est tota spes, et consolatio mea.

10. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te : custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.

11. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine : bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

12. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. In te eripiar à tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.

13. Toto corde firmissimè spero, omnipotens Deus, me posse à te omnia obtinere, quæ mihi necessaria sunt ad salutem : et quia Filius tuus, Redemptor meus, omnia bona mihi promeruit, tantam in ejus meritis fiduciam habeo, ac si bonum, quod desidero, jam tenerem, et possiderem.

14. Ego autem in te speravi, Domine : dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

15. O si citò adveniret regnum tuum, summum bonum meum, regnum quod spero, quod expecto, quod toto corde concupisco ! Utinam citò adveniat, quia regnum omnium sæculorum est, plena possessio totius felicitatis.

ACTUS CHARITATIS ERGA DEUM.

1. Oro te, dulcissime Deus, ut cordis mei principatum geras. Absit à me, optatissimum bonum meum, ut aliquid amem præter te.

2. Ure me incendio decoris tui, speciosissime princeps cordis mei : sacrificio tibi omnia viscera mea, et præcordia mea.

3. Vive, potentissime Imperator cordis mei, et dominare, sicut decet te. O quam mihi placet, ut regnes in æternum et ultrà.

4. Utinam tot millia cordium quot tibi placuerunt, vel placere possunt, ipse possiderem, ut te perfectissimè amarem.

5. Utinam subdere tibi possem, amabilissime Domine, omnia colla filiorum Adæ, ut te solum requirerent, et amarent.

6. O vince, amor meus, et serena lux oculorum meorum, omnia mihi sordeant, et vilescant præter te.

7. O amabile principium meum, et tota sufficientia mea, nihil volo, nihil cupio præter te.

8. O quantum gaudeo quod Deus sis, summè bonus et perfectus, immensus, infinitus, justissimus, sapientissimus, omnipotens, et incomprehensibilis ! Amo te purè propter te ipsum, et gaudeo de bonis tuis ob hanc solam causam, quia bona tua sunt.

9. Ad te summum bonum toto cordis affectu feror, in immensa bonitate tua exulto : gaudeo, quòd omnes Angeli et Sancti adorent et laudent te.

10. Utinam possem amare te, quantum amabilis es ? sed quia hoc excedit vires omnium creaturarum, utinam saltem amem te, quantum possum, quantum debeo.

11. Reple, Deus meus, animam meam amore tuo, ut amore totus ardeam, et amore æstuans, amore moriar.

12. Quam poenitet me, quod alia extra te dilexi. Utinam possem transactos annos revocare, et amoris tui actibus replere!

13. O dulcissima vita animæ meæ, utinam deficiat in te cor meum. Quid enim mihi est in cælo? et à te quid volui super terram?

14. Unam petii à te, Domine, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ.

15. Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit, moriar amore tuo, Deus meus, et quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire. Ultimus vitæ actus sit amare.

ACTUS CHARITATIS ERGA PROXIMUM.

1. Inserere, Domine, pectoribus nostris tuæ dilectionis affectum, ut diligamus nos invicem, sicut tu diligis nos, et alter alterius onera portemus.

2. Da mihi, Domine, non diligere verbo, neque lingua, sed opere et veritate, ut, quæcumque volo ut faciant mihi homines, id faciam illis.

3. Doleo, Deus meus, quod ea hactenus non præstiti in obsequium proximi mei, quæ tuo auxilio adjutus poteram.

4. Detestor quidquid injuriæ et offensæ olim patravi verbo, opere, et cogitatione in proximum meum, paratus singulis satisfacere; si quid alicui debeo. Inspira tu Deus, ut sciam; et da, ut faciam.

5. Amator hominum Deus, oro te pro omnibus, qui persequuntur, et calumniantur me, et qui me quovis modo offenderunt. Da illis salutem mentis, et corporis.

6. Utinam, clementissime Deus, omnes peccatores resipiscant, et convertantur ad te.

7. Obsecro, Domine, ut omnes, qui oppugnant Ecclesiam tuam, dexteræ tuæ potentia conterantur, et agnoscant veritatem.

8. Propono, Domine, omnes injurias et offensas, te adjuvante, æquo animo tolerare: nec ullum unquam hominem, quantumvis mihi infestum, odio habebō.

9. O si possem pro fratribus meis, iis præsertim, qui me aliqua injuria, aut molestia affecerunt, sanguinem funderere, quàm libenter id facerem. Confirma, Domine, in me hanc voluntatem.

10. Fac, obsecro, Deus meus, per viscera misericordiæ tuæ, ut omnes ad te convertantur, qui rebus terrenis adhærent, et quos voluptas carnis illexit.

11. O si ego possem omnes peccatores ab erroribus vitæ suæ convertere, etiam cum vitæ dispendio id præstarem.

12. Utinam totus mundus in te crederet, et te cognosceret. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

13. Diligo te, Domine, toto corde, et proximum[®] in te, et propter te.

14. De bonis omnium fratrum meorum gaudeo, et de malis doleo, ac si mea forent: et mala quidem ab omnibus avertere efficaciter vellem, si possem, bona verò multiplicare.

15. Libenter, si possem, omnium indigentium necessitatibus subvenirem, esurientibus cibum, si-

tientibus potum darem; reliqua item opera misericordiae spiritualia et corporalia exercerem.

ACTUS PATIENTIE.

1. Si oportuit te, Christe, pati, et ita intrare in gloriam tuam, quo pacto ego in illam intrabo, nisi via regia Sanctæ Crucis.
2. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.
3. Opto potius cunctos inferni cruciatus tolerare, quam tuam justitiam violare.
4. Iram tuam, Domine, portabo, quoniam peccavi tibi. Quod si bona suscepi de manû tua, quare mala non sustinebo?
5. In omni adversitate te, bone Jesu, recogitabo, quia talem pro me sustinuisti adversus temetipsum contradictionem.
6. Utinam dignus sim gaudenter cum Apostolis tuis contumeliam, pauperiem, et quidquid volueris, pati pro nomine tuo.
7. Quidquid laboris mihi unquam acciderit, id propter te, Domine, patienter feram. Si tentationibus exercear; si mœror importunus ingruat, si morbi, si dolores, si quævis tormenta contingant, omnia te juvante fortiter tolerabo.
8. Absit à me, Domine, ut animum despondeam à christianâ perfectione comparandâ: omnes enim difficultates, te duce, superabo, et in Deo meo transgrediar murum.
9. Absit à me, ut amore vitæ, vel timore mortis à virtutis proposito desistam. Et si me oporteret

universis mundi miseriis, et calamitatibus obrui, nunquam à te recedam.

40. Imprime, fortissime Deus, robur magnum cordi meo; cupio enim te sequi per omnem afflictionem, et desolationem internam, et externam.

41. Ut jumentum factus sum apud te, Domine Deus meus: Tu nôsti onus meum, quale sit; da mihi illud patienter ferre, ut per viam crucis extollar ad te.

42. Offero me tibi, Domine, paratum ad omnia mala æquanimiter, hilariter, ac sine ulla prorsus querimonia sustinenda.

43. O si patientiam Sancti Job assequi possem, et constantiam Sanctorum Martyrum!

44. Utinam dignus essem, martyrium pro te subire, Domine virtus mea, et firmamentum meum. Utinam pro te vivus comburerer: utinam assari cum Laurentio mererer!

45. Da mihi, Domine, disciplinam, ut non auferas misericordiam; cæde contumacem, ut reddas mihi promissam hæreditatem. Auge tormenta, sed auge patientiam.

ACTUS HUMILITATIS.

1. O gemma pretiosissima humilitas, quando te possidebo? quando tranquillitatem animorum tibi obsequentium habebô? quando tuo splendore, et puritidine ornatus ero?

2. Noverim te, noverim me, Deus meus: quoniam in te sunt omnia bona mea, et ex me nihil sum.

3. Hoc ex corde desidero, bone Jesu, hoc eligo,

abjectus esse, et pusillus in domo tua, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

4. Nolo, Domine, ut me homines laudent, et honorent, quia omni laude et honore indignissimus sum: volo autem ad gloriam tuam despici, conculcari, et tanquam canis mortuus vilissimus reputari.

5. Latrones ipsi et sacrilegi, ô misericordissime Domine, perfectius tibi famularentur, si tot beneficiis, ac donis eos cumulasses, quibus me benignissimè affectisti.

6. Peccavi, Domine, et non sum dignus aspicere altitudinem Cœli præ multitudine iniquitatum mearum.

7. Omnia animalia pro captu suo tibi, Domine, appropinquant; solus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

8. Unde mihi hæc insania, Deus meus, ut audeam gloriari tot peccatorum reus, ob quæ potes hoc momento mittere me in gehennam?

9. Abjicio me, Domine, propter te infra homines universos, quia vilior, et contemptibilior omnibus sum, et pro tali haberi ac tractari desidero.

10. Nihil aliud volo, nihil opto, altissime Deus, nisi pati, et contemni pro te; da mihi claram et veram mei notitiam.

11. Indignus sum, Domine, omnibus donis tuis, ob vilitatem, et ingratitude meam: indignus consortio hominum, propter sordes culparum mearum, quarum pessima tabe vel aërem ipsum inficio.

12. Utinam universi homines, æquissime Deus, miseriam meam agnoscerent, et despicerent me, ac

meam mihi indignitatem exprobrarent, ut spernerer propter te.

13. Domine, non sum dignus calcare hoc pavementum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.

14. Absit à me, Domine, ut velim ambulare in magnis, et in mirabilibus super me. Magna enim est abyssus fragilitatis, et nihili mei: nihil sum, nihil possum sine te.

15. Fac me, Deus, tanquam pavementum mundi, ut ab omnibus conculcer, et indignissimè tracter, quia sic exigunt peccata mea.

CAPUT XV.

FASCICULUS ASPIRATIONUM AD JESUM, AD B. VIRGINEM,
AD COELITES UNIVERSOS.

Tametsi oratio, ut est actus Religionis, cultum patriæ continens, ad solum Deum fundenda sit, tanquam ad primarium auctorem boni, qui illud per seipsum nobis conferre potest, certum est tamen ex fide catholicâ, posse nos, et debere Angelos etiam, et sanctos homines cum Deo regnantes humiliter exorare, opemque illorum devotis aspirationibus implorare: Licet enim Christus sit principium universale totius meriti, mediator Dei et hominum, qui semper interpellat pro nobis; aliis tamen mediatoribus indigemus, qui pro nostris necessitatibus

efficaciter intercedant. Notissima est sententia Eliphaz Themanitis ad patientissimum Job: *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere* (1). Ideo pretium me facturum existimavi, si huic lucubrationi caput istud attexerem, quo varias aspirationes breviter digessi ad Jesum Redemptorem, a quo primitus omnia bona speranda, tum ad Virginem Beatissimam ejus genitricem, deinde ad Angelos, et reliquos Cives cœlestis patriæ, ut ipsi nobis quidquid ad salutem, et perfectionem necessarium est, suis precibus obtineant, pro sua in nos pietate, et apud Deum auctoritate.

AD JESUM REDEMPTOREM.

1. Jesu sapientia Patris, da mihi quærere et sapere, quæ sursum sunt, ut gustem quam suavis es.
2. Jesu verbum Patris, utinam audiam quid loquaris in me.
3. Jesu Redemptor, esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut saluum me facias.
4. Jesu frater primogenite, fac me tibi cohaerem in domo Patris nostri.
5. Jesu Fili Dei, qui pro me factus es homo, non sit mihi grave humiliari pro te.
6. Jesu creator meus, cor mundum in me crea, et spiritum rectum innova in visceribus meis.
7. Jesu vita mea, tibi soli vivat anima mea, nam mihi vivere tu es, et mori lucrum.
8. Jesu Domine mi, posside me servum tuum, et nemo præter te.
9. Jesu præceptor, doce me facere voluntatem

(1) Job, v, 1.

tuam, ut discam à te quia milis es, et humilis corde.

10. Jesu lux mundi, illumina oculos meos, et deduc me in semitam mandatorum tuorum.
11. Jesu fons vitæ, sitivit in te anima mea: fac me haurire aquas in gaudio de fontibus tuis.
12. Jesu pastor bone, propter nomen tuum deduces me, et enutries me.
13. Jesu Salvator, salva me, qui venisti quærere, et saluum facere quod perierat.
14. Jesu sponse sanguinum, desponsa te mihi in misericordia, et miserationibus.
15. Jesu amator speciosissime, trahere me post te in funiculis charitatis.
16. Jesu zelator animarum, cujus delitiæ, esse cum filiis hominum, amem te ardentissimo amore, et cætera omnia propter te.
17. Jesu panis vitæ, anima mea sustinet te, ne dimitte eam jejunam, ut non deficiat in viâ.
18. Jesu Judex misericors, qui non venisti perdere quemquam, parce mihi, et responde pro me.
19. Jesu corona, et merces nostra magna nimis, jube me numerari inter electos tuos.
20. Jesu gloria mea, cupio dissolvi, et esse tecum: da mihi vivere in te, et in te mori.

AD BEATAM VIRGINEM MARIAM.

1. Protege me, dulcissima Virgo MARIA, sub umbra alarum tuarum, et non recedat in æternum mellifluum nomen tuum ab ore et corde meo.
2. Ne unquam elongeris à me, potentissima Mater Dei, quia circumdederunt me undique inimici mei.

3. Quid possum sine te, Virgo beata, aut quid fiet de me, si averteris faciem tuam à me?

4. Quando venies, dulcissima Virgo, quando apparebis indignissimo servulo tuo.

5. Spiritus tuus, ó Maria, super mel dulcis, et possessio amoris tui super aurum et topazion.

6. Sentiat anima mea suavitatem amoris tui, et in tuis semper versetur laudibus, quia unica post Deum consolatio mea tu es.

7. Compatere, Domina animæ meæ, ad te suspiranti, respice in me, et festina in adjutorium meum.

8. Da mihi gratiam tuam, ut semper de te gaudeam, et post istud exilium te contempler in gloriâ.

9. Sicut filius ad sinum matris, ita suspirat ad te anima mea, ne despicias me, Mater Misericordiæ.

10. Quantum desidero videre vultum tuum, speciosissima Virgo, assume me velociter ad te, et comple desiderium meum.

11. Quis non diligit te, Regina cordium, et Mater sancti Amoris, quis non diligit te? Utinam omnes creaturæ tibi serviant, et in amore tuo vivant, ac moriantur.

12. Suscipe cor meum, dilectissima Mater mea, et offer illud purissimis manibus tuis, purissimo Filio tuo.

13. Gaudeo, et exulto, B. Virgo, quòd Deus te amet super omnia opera sua, et de hac re super omnia delector: magisque optarem inferni pœnas, quàm ut momenti spatio quidquam de gloriâ et dignitate tuâ minuatur.

14. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum,

gloriosa Virgo, quoniam non derelinquis sperantes in te.

15. Gloriosus vultus tuus mihi appareat in extremis, et consolatio tua lætificet egredientem spiritum meum, clementissima Mater.

AD SANCTOS ANGELOS.

1. Angele Sancte, vitæ meæ gubernator, et custos, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi.

2. Custodi me sub umbrâ alarum tuarum ab insidiis inimici, et ab omni periculo, et tentatione.

3. Adesto mihi, beatissime Spiritus, doce, dirige, et prolege me: cumque finis vitæ meæ advenerit, in extremâ luctâ versanti benignè succurre.

4. Septem Spiritus, qui adstatis ante Dominum: purgate, illuminate et perficite me: et dirigite omnia studia, et actiones meas ad gloriam Dei, et animæ meæ salutem.

5. Estote mihi singulare solatium in morte, Angeli Dei, potentes virtute, qui estis in vita salutare præsidium.

6. Infundite menti meæ deificum lumen, ut abstracta omni materia totus ardeam divino amore.

7. Venite in adjutorium meum, cœlestis militiæ exercitus innumerabiles, et defendite me ab incursu malignorum spirituum.

8. O supremi amatores Dei, succendite me illo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

9. Fontes sapientiæ, pascite me cœlesti doctrina, et docete me scientiam Sanctorum.

10. Facite me, mentes purissimæ, docilem Dei, ut discam justificationes ejus, et discussis tenebris, divinum lumen inserite menti meæ.

AD OMNES SANCTOS.

1. Felices Sancti, qui jam nostræ mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de mea multiplici miseria.
2. Date manus infirmo, cœlestis patriæ Cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello.
3. Eripite me de aquis multis, et de limo profundi, fasis precibus ad eum, qui dominatur potestati maris.
4. Impetrate mihi fidem, et perseverantiam, servare Domino in timore, et servare mandata ejus.
5. Clamo ad vos, potentissimi protectores salutis meæ, mittite è patria felicitatis pauculas guttas preciosissimi vini charitatis vestræ, quia aruit sicut testa virtus mea, et defecit præ siti anima mea.
6. Subvenite mihi misero peccatori, sedenti in tenebris, et umbra mortis, et solvite vincula captivitatis meæ.
7. Liberate me à tumultuantium affectionum turba, ut sedeam solitarius, et taceam, et audiam vocem Domini loquentis in silentio ad cor meum.
8. Elevate me ab hac sordida terra, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.
9. Ad me respicite, gens illustrissima, et hæreditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de Cœlo opem et consolationem.
10. Circumdate me gaudentem, et exultantem de

vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus suffragiis particeps fiam vestri gaudii et coronæ.

Hæc in exemplum, plura suggerent usus et affectus. Sunt autem quatuor capita, ac veluti fontes uberrimi, è quibus aspirationes ad omnes et singulos æterni regni proceres peti possunt. Primò quidem ex titulis honoris, dignitatis, perfectionis et diversarum virtutum, quæ in illis elucent. Secundo, ex perceptis beneficiis, pro illis gratias agendo. Tertio, invocando illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque remissionem nobis obtineant. Quarto, multiplicem miseriam nostram, et innumerabiles necessitates proponendo, ut à malis omnibus erui, cunctisque bonis imbui, ipsorum meritis et precibus mereamur.

CAPUT XVI.

ASPIRATIONES EX NOMINIBUS DEI, EJUSQUE ATTRIBUTIS, ET PERFECTIONIBUS.

Qui magnâ mentis adeptâ puritate ad unionem cum Deo aspirare jam digni sunt, præter affectus, quos pro perfectis supra descripsimus, alios elicere possunt ex divinorum attributorum contemplatione. Ad hos enim pertinent Dei verba per os Prophetæ, dicentis: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* (1). *Vacate*, inquit, ab inutilibus cogitationi-

(1) Ps., XLV, 11.

10. Facite me, mentes purissimæ, docilem Dei, ut discam justificationes ejus, et discussis tenebris, divinum lumen inserite menti meæ.

AD OMNES SANCTOS.

1. Felices Sancti, qui jam nostræ mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de mea multiplici miseria.
2. Date manus infirmo, cœlestis patriæ Cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello.
3. Eripite me de aquis multis, et de limo profundi, fasis precibus ad eum, qui dominatur potestati maris.
4. Impetrate mihi fidem, et perseverantiam, servare Domino in timore, et servare mandata ejus.
5. Clamo ad vos, potentissimi protectores salutis meæ, mittite è patria felicitatis pauculas guttas preciosissimi vini charitatis vestræ, quia aruit sicut testa virtus mea, et defecit præ siti anima mea.
6. Subvenite mihi misero peccatori, sedenti in tenebris, et umbra mortis, et solvite vincula captivitatis meæ.
7. Liberate me à tumultuantium affectionum turba, ut sedeam solitarius, et taceam, et audiam vocem Domini loquentis in silentio ad cor meum.
8. Elevate me ab hac sordida terra, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.
9. Ad me respicite, gens illustrissima, et hæreditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de Cœlo opem et consolationem.
10. Circumdate me gaudentem, et exultantem de

vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus suffragiis particeps fiam vestri gaudii et coronæ.

Hæc in exemplum, plura suggerent usus et affectus. Sunt autem quatuor capita, ac veluti fontes uberrimi, è quibus aspirationes ad omnes et singulos æterni regni proceres peti possunt. Primò quidem ex titulis honoris, dignitatis, perfectionis et diversarum virtutum, quæ in illis elucent. Secundo, ex perceptis beneficiis, pro illis gratias agendo. Tertio, invocando illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque remissionem nobis obtineant. Quarto, multiplicem miseriam nostram, et innumerabiles necessitates proponendo, ut à malis omnibus erui, cunctisque bonis imbui, ipsorum meritis et precibus mereamur.

CAPUT XVI.

ASPIRATIONES EX NOMINIBUS DEI, EJUSQUE ATTRIBUTIS, ET PERFECTIONIBUS.

Qui magnâ mentis adeptâ puritate ad unionem cum Deo aspirare jam digni sunt, præter affectus, quos pro perfectis supra descripsimus, alios elicere possunt ex divinorum attributorum contemplatione. Ad hos enim pertinent Dei verba per os Prophetæ, dicentis: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* (1). *Vacate*, inquit, ab inutilibus cogitationi-

(1) Ps., XLV, 11.

bus, ab affectibus, et desideriis terrenis; et videte oculo fidei ac contemplationis, quoniam ego sum Deus omnipotens, immensus, infinitus. Rectè Sapiens: *Nosse enim te, Deus, consummata justitia est: et scire...virtutem tuam, radix est immortalitatis*(1). Si tamen ad cognitionem accedat amor; parum enim prodesset nuda Dei speculatio, nisi simul voluntas ad eum assurgeret piis affectibus, et motibus anagogicis. Id qualiter fieri debeat, sequentibus aspirationibus breviter indicabo, ut, qui Theologicâ Dei notitiâ imbuti sunt, dicant cum Apostolo: *Conversatio nostra in Cœlis est* (2).

DECAS I.

1. Aperi, Domine, oculos animæ meæ, ut non contenti aspectu rerum temporalium, quas percipiunt sensus, ascendant ad æterna contemplanda, quæ non videntur, teque aspiciant Deum invisibilem, qui es in omnibus, et super omnia.

2. Deus immensæ majestatis, verè mirabilis facta est scientia tua ex me; omnia tamen ossa mea, omnia membra, sensus, et potentiæ dicunt, quia tu es Deus, et non alius similis tibi. Tu es meum esse, et mea vita, et gaudeo, quia te plusquam me diligere debeo.

3. O si omnia membra mea, omnes sensus, et fibræ verterentur in linguas, ut hoc prædicarent toti mundo, quia tu solus es, qui es, ac propterea omnes gentes te laudarent, et glorificarent! O si te omnes agnoscerent, et diligerent plusquam vitam

(1) Sap., xv, 3. — (2) Philip., iii, 20.

suam, quia in te omnes vivunt, moventur, et sunt.

4. O pelagus omnis essentiæ, et existentiae, tu es ipsummet esse omne esse continens: à te omnia pendent et effluunt, et in te refluunt, et eatenus sunt, quatenus aliquid tui esse participant. Me igitur despiciam, et omnia quæ non sunt: te autem amabo, et tibi adhærebo, qui solus es.

5. Deus perfectissime, et causa omnium entium, perfice gratia tua esse, quod mihi dedisti, ut perfectam sit, sicut et tuum perfectum est; quia ex me ipso nihil sum.

6. O substantia simplicissima, quæ omnia es, quam intimè te diligere, et super omnia æstimare debeo! Tu nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahis. Non partibus constas, ut corpus: non affectibus distas, ut anima: non formis substas, ut omne quod factum est. Fac me æmulari simplicitatem tuam, ut in omnibus simplex et purus sim, te solum quærens et desiderans.

7. Tu solus impeccabilis es, tu solus habes immortalitatem. Per hanc te oro, ut moriar morte justorum, et à morte peccati semper eripiar.

8. Clarifica, Domine, mentem meam, ut cognoscam illud esse, quod tu habes per tuam essentiã; et illud non esse, quod ego habeo ex meipso; ut suprâ duplicem hanc cognitionem, tanquam suprâ duplicem polum, moveatur rota vitæ meæ, donec ad te perveniam.

9. Quam immensa et incomprehensibilis est perfectio tua, Domine, cui nihil deest, et à quo omnia perfectionem accipiunt! Sim et ego perfectus, sicut et tu perfectus es. Operare in me quod jussisti,

et fac me ita perfectum, ut nihil mihi desit.

10. Deus meus et omnia, principium meum, et finis ultimus, tu es mihi omnia quæ concupiscere possum: tu meæ divitiæ, meæ delitiæ, mei honores, et dignitates, ac thesauri infiniti: in te solo omnia habeo, omnia autem sine te nihil sunt mihi. Quando veniam ad te, ut in te omnia habeam?

DECAS II.

1. Illumina intellectum meum, perfectissime Deus, ut in creaturis omnibus te respiciam earum creatorem, à quo illæ suam perfectionem accipiunt. Purifica affectum, ut in omnibus te amem, et quæram, qui es bonum et finis omnium.

2. O dilecte cordis mei, si ita me oblectat pulchritudo, et perfectio creaturarum, cur non potius pulchritudo, et perfectio tua, à qua illæ processerunt? Diligam te præ omnibus, qui omnium pulchritudinem et perfectionem excedis in infinitum, nec illas diligam, nisi in te, et propter te.

3. Tu solus, Domine, nullum terminum habes: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te. Tuam igitur infinitatem adoro, et absque ullo termino te amare desidero.

4. Deus immense, qui excelsior cælo es, profundior inferno, longior terra, latior mari; qui omnia replens, omnia continens, omnia penetras, clarifica infernos oculos meos, ut certius te videam, quàm si te viderem oculo externo et corporeo.

5. Rex superne, qui in toto tuo regno ita es per essentiam, ut totus assistas cuilibet parti; concede

mihi, ut totus coram te sim, tibi que serviam ex toto corde, ex tota mente, ex tota virtute.

6. Domine Deus, qui in omni loco contemplaris bonos et malos; acue fidem meam, ut cum solus sum, me solum non esse considerem, teque præsentem attendens, nihil faciam tua præsentia indignum.

7. Deus meus, qui realiter intrâ me es, magis intimus mihi, quàm sim ego mihi ipsi; perface in me hanc conjunctionem, quam mecum habes, addens perfectissimam unionem gratiæ, et charitatis tuæ, ut unus tecum spiritus efficiam in æternum.

8. Deus immutabilis, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, fac me immutabiliter tibi adhærere, ut, sicut tu idem ipse es, et anni tui non deficient, ita ego à via rectitudinis nunquam deficiam, et in amore tuo semper idem perseverem.

9. Æterne Deus, principio carens et fine, fac me despiciere temporalia, quæ caduca sunt et transitoria, et diligere æterna, quæ semper tecum perdurabunt.

10. Omnes dii gentium dæmonia; tu autem, Domine, solus es Deus, et non est alius præter te. Propugna causam tuam, et destrue multitudinem idolorum, ut omnes homines in te unum sint, teque uno ore laudent, et glorificent. Da etiam mihi illud unum, quod solum est necessarium. ®

DECAS III.

1. Deus invisibilis, quando te videbo, non per speculum, et in ænigmate, sed facie ad faciem? O si te cognoscerem, sicut à te cognitus sum, ut, sicut

tu me amas, ita te amarem! sed quia cognitio obscura et brevis est, te amabo quantum possum, donec te videam sicut desidero.

2. Incomprehensibilis et ineffabilis Deus, gaudeo quod ipsi supremi spiritus in tuo conspectu quasi cæci sint: vincis enim omnem scientiam illorum, nec ulla creatura te nominare, sicuti es, aut comprehendere potest. Utinam saltem vires omnes intendam, et applicem ad te diligendum, quandoquidem ad te comprehendendum non sufficio.

3. Deus vivens et verus, prima et summa veritas, verax in sermonibus tuis, et fidelis in promissionibus: da mihi, obsecro, veritatem amare, in veritate ambulare, in te sperare et credere, et omnem hypocrisim ac duplicitatem detestari.

4. Sancte Sanctorum, Deus, exemplar et finis totius sanctitatis, fateor me nullam sanctitatem habere posse, nisi tu dederis; nec in ea persistere, nisi tu conservaveris. Funda me in hac profunda humilitate, ut dignus sim ascendere ad altissimam sanctitatem.

5. O summa, suprema, et essentialis bonitas, Deus meus, quam pœnitet me, quod te derelicto fonte omnium bonorum, ad bona fucata et apparentia me converterim! Mirifica voluntatem meam, ut te unicum et summum bonum quæram et diligam.

6. Da mihi, ô summa bonitas, summum amorem mihi possibilem, ut toto illo te summè amabilem amem. Deberem sanè infinito amore te prosequi, qui infinitè bonus es; sed quia incapax infiniti amoris sum, opto saltem te amare summo conatu mihi possibili.

7. Totus mihi es amabilis, Dilecte mi, quia totum est bonum, quicquid est in te. Utinam sic tibi amabile esset quicquid est in me. Aufer ab anima mea omne genus culpæ et maculæ, ut tota sit pulchra in oculis tuis, et amabilis cordi tuo.

8. Ne permittas, bonitas infinita, ullum esse hominem, qui te non amet: aperi oculos odientium te; si enim viva fide te cognoscerent, nunquam odissent.

9. Mirabilis es, Domine, in te ipso, mirabilis in operibus tuis, mirabilis in Sanctis tuis: Tu facis mirabilia magna solus. Te igitur intellectus meus rerum novarum et mirabilium indagator semper consideret, reliqua omnia tanquam vilia et communia rejiciat.

10. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum: licet enim horrendum sit, incidere in manus tuas, tamen es Deus vivens, et vita, ad misericordiam.

DECAS IV.

1. Deus scientiarum, et totius sapientiæ fons, qui omnia nôsti, et nihil est absconditum ab oculis tuis: ecce colloco me in infimo loco mei nihili, et meæ omnimodæ ignorantæ; precorque humiliter, ut tribuas mihi nôsse te ipsum, et voluntatem tuam, et hæc cognitio sufficit mihi, adjuvante me gratia tua, ut te cognitum diligam, et faciam quod à me requiris.

2. Domine discretor cogitationum et intentionum cordis, in cujus conspectu nulla est creatura invisibilis, utinam noscas me ex nomine, ut me cogni-

tui, et tuæ providentiæ subjectum sciens, omnem mei curam et sollicitudinem in te projiciam.

3. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua, et investigabiles viæ tuæ! Incerta et occulta hujus admirabilis sapientiæ veneror, et adoro, ejusque justissimæ dispositioni me prorsus committo.

4. Emitte, Domine, sapientiam tuam à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: præcedat illa omnia opera mea, comitetur me in omnibus quæ fecero, ac eò deducat, ubi clarè te videam.

5. Rerum omnium summe Artifex Deus, qui omnia disposuisti in numero, pondere et mensura, juxta exemplar in mente tua præexistens; fac me ita perfectum, ut ideam veræ perfectionis in te existentem, quantum fieri potest, imiter, et exprimam in me ipso.

6. Lux beatissima Deus, et lumen cordium, qui lucem habitas inaccessibilem, et illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte lucem tuam à montibus æternis, et splendoribus Sanctorum illumina cor meum, ut verbo et exemplo cunctis præluceam.

7. Deus, qui revelas abscondita, et vides in tenebris constituta, da mihi abyssum judiciorum tuorum timere et venerari, tuamque voluntatem in præceptis et consiliis tuis revelatam semper agnoscere, et strenuè perficere; cætera verò, quæ ad me non pertinent, nequaquam perscrutari.

8. Ostende mihi, Deus, magnitudinem amoris

tui, ut eo cognito vehementer admirer, et secundum parvitatem meam tantæ dignationi vicem rependam.

9. Gratias tibi ago, Amantissime Deus, quia ab æterno dilexisti me, et ex mera gratia tua voluisti ut essem, et talis essem. Fateor impossibile esse, ut eo modo te diligam, quo tu me: possum enim bene tibi velle, sed non aliquid dare tibi, quo tu careas. Do nihilominus tibi, quod ipse mihi largitus es, serviens tibi et pro omnibus gratias agens: quod verò tibi dare nequeo, debeo proximis meis, amore tui.

10. Quàm admirabilis est amor tuus erga hominem, Deus meus, propter quem tot creaturas in sua natura perfectas condidisti! O si tot haberem corda, quot illæ sunt, ut illis omnibus earum nomine te diligerem et glorificarem, reddens tibi debitum quod illæ nequeunt; et cujus ego illarum causâ debitor sum.

DECAS V.

1. Amator sempiternæ, qui nunquam cessas amare, et cum amore operari, nam si cessares, omnia desinerent esse; concede mihi, ut nunquam cessem te amare, aut propter amorem tuum operari, si enim charitatem non habuero, nihil sum.

2. Diligam te toto corde, Deus meus, et omnem amorem meum in te uno collocabo, quia tu Pater meus es, tu frater, tu sponsus, tu amicus, et benefactor in æternum.

3. Dulcissime Deus, amabilis super omnia quæ

cogitari possunt; magnum fuit beneficium, quòd me ad imaginem et similitudinem tuam condideris; sed infinita charitas tua adhuc me voluit ad altiorē similitudinem elevare per gratiam et charitatem, ut non solum servus, sed amicus tuus essem. Utinam hæc amicitia ex parte meâ perfecta sit, sicut ex tuâ est perfectissima.

4. Utinam semper te dilexissem, superoptime Deus, ex quo sum homo, quia tu me dilexisti ex quo es Deus. Ne differas, anima mea, Deum diligere, ama Amorem ab æterno te amantem.

5. Quam immensa est charitas tua, æterne Deus, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos! Occlude, si fieri potest, januas inferni, ut nemo eò descendat, ubi omnes te oderunt: aperi portas cœli, ut omnes eò conscendant, ubi omnes te diligunt.

6. O altitudo bonitatis Dei, ô amor ineffabilis, qui, ut perfectam cum homine amicitiam contraheres, illum ad Dei æqualitatem sublimasti! Quas tibi referam gratias pro tam eximio beneficio? Laudet te ipsamet charitas tua, et benedicant opera, quæ ab illâ proveniunt.

7. Exulto, Domine, cum lego in scripturis tuis, quia tu charitas es. Quid enim dulcius, quid lætius audiri potest? Da igitur mihi te ipsum, da charitatem tuam. Diligam te, sicut vis diligere, et da quòd jubes, ut implere possim quod desideras.

8. Deus fortis, et Zelotes, æmulator, qui ob nimium erga me amorem zelo zelaris, ne amorem tibi debitum alteri tribuam: accendatur velut ignis zelus tuus, nec me unquam permittas ab amore tuo declinare.

9. Amator ardentissime, cujus amor transit in zelum, comedat me zelus gloriæ tuæ, et ad eam propagandam semper impellat.

10. Deus auctor pacis et amator, aufer à zelo meo omnem perturbationem, ut similis sit zelo tuo, pacificus, discretus, secundum scientiam. Tu es enim princeps pacis, et Ecclesiam tuam fundasti in pulchritudine pacis: omnia in pace et tranquillitate disponis, et factus est in pace locus tuus.

DECAS VI.

1. Miserator, misericors Domine, longanimis et multum misericors, cui proprium est misereri semper et parcere; mirifica super me misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele omnes iniquitates meas.

2. Præveniat me misericordia tua, Domine, et subsequatur omnibus diebus vitæ meæ, ut liber sim ab omni miseria animæ et corporis. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam, et cantabo in æternum, quia tu es Deus vita mea, et misericordia mea.

3. Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum; iustitia plena est dextera tua. Millies pro hæc te laudo, precorque ut non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

4. Justissime Iudex, qui scrutaris Jerusalem in lucernis, et iudicas æquitatem, vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna. Utciscere hinc in omnes adventiones meas ut parcas in æternitate. Libera me nunc ab omni pec-

cato, ut in iudicio tuo ab ultione liber evadam.

5. Fortissime Deus, in quo omnia, et sine quo nihil possum, vide infirmitatem meam, et laborem meum, et robora me virtute tua, ut meipsum vincam, et omnia quæ virtuti adversantur.

6. Scio, Domine, quia tu es Deus clemens et benignus, et infinitæ patientiæ, qui dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam: suscipe me itaque revertentem ad te, et præsta, ut patientiâ tuâ non abutar.

7. Verè tu, Domine, suavis et mitis es, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te: quare precor, ut corripas me in mansuetudine, et suavitate tua, non autem in furore tuo; ne fortè ad nihilum redigas me.

8. Magnus es Domine, et laudabilis nimis, terribilis super omnes Deos: benedicant te omnia opera tua, cœlum et terra, et quidquid in eis continetur.

9. Quidquid eveniat mihi, Domine, semper laus tua erit in ore meo. Linguâ autem deficiente, omnis respiratio mea sit laudis tuæ significatio. Corpore verò extincto, et in pulverem redacto, laudes tibi infinitas dicant minutissima quæque pulveris grana usque ad extremum iudicii diem.

10. Universa propter temetipsum operatus es, Domine, tu finis omnium rerum, et non est alius ultimus finis præter te. Verè fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te: Tu es civitas, ad quam tendimus: tu portus, ad quem navigamus; tu magnes cordis nostri. Trahe nos igitur ad te ab hoc durissimo exilio, ab hoc mari procelloso.

DECAS VII.

1. Terribilis es, Domine, et magnus vehementer, et mirabilis potentia tua; fecisti enim omnia, quæ voluisti in cœlo et in terra, quia subest tibi cum volueris posse: imò plura infinities facere potes, quàm vel cogitatione ego assequi valeam. Robora impotentiam meam omnipotentia tuâ, quia sine te nihil facere possum, et tu omnia operaris in me.

2. Deus liberalissime, gratias ago tibi ob tot insignia opera tuæ infinitæ liberalitatis: concede ut sim liberalis in reddendo tibi quod à te accipio.

3. Offero tibi cor meum, suscipe illud, Domine, quia melius et securius apud te erit, quàm apud me.

4. O Deus omnipotens, qui totam terræ molem appendis, nulli rei extrâ innixus, oro ut mihi nihilum meum verè agnoscenti, tu solus mea sis firmitas, et in te secunda sit virtus mea.

5. Benignissime Pater, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, dirige omnes actiones meas in finem à te destinatum, quia in manibus tuis sortes meæ, et iis me totaliter committo.

6. Amantissime creator, qui admirandâ providentiâ singulis prospicis creaturis, et mihi ab æterno bona præparasti, quibus nunc fruor; fac me ita transire per bona temporalia, ut non amittam æterna.

7. Respexisti me, Deus, ante mundi constitutionem, et dilexisti me, antequam quidquam boni vel mali facerem, et ex mera tua bonitate elegisti me

in Christo, ut essem sanctus et immaculatus. Et nunc, Domine, gratias ago, pro tam insigni beneficio, precorque, ut des mihi per bona opera certam facere vocationem meam.

8. Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasaverunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Et sicut esse quod habeo dedisti mihi, ita etiam da perfectionem, qua careo, ut opus tuum sit omni ex parte perfectum.

9. O sapientia Divina, quæ ex ore Altissimi produisti, primogenita ante omnem creaturam, quæ effecisti in cælis, ut oriretur lumen indeficiens, largire mihi partem aliquam tuæ lucis, quæ indeficiens in me permaneat.

10. Æterna Sapientia, cujus delitiæ creare filios hominum, et esse cum illis; quandoquidem me creasti conversationis tuæ et boni infiniti capacem ne vacuum esse permittas hanc in me capacitatem, sed age mecum familiariter, et imple me teipsâ, quia tu sola sufficis mihi.

DECAS VIII.

1. Pater misericordiarum, qui Electos tuos prædestinasti conformes fieri Imagini Filii tui, ita me illi conforma in sanctitate, ut, cum apparuerit, ei similis sim in gloria.

2. Benefactor immense, dator et conservator omnium honorum, qui omnia quæ fecisti continuatâ quâdam creatione conservas, et ad omnes actiones nostras semper concurris; conserva me, quoniam in te speravi, et fac me semper operari, quod tibi

placet, ut concursus tuus in meum commodum semper cedat, et ad majorem tui gloriam.

3. Rege me, Domine, et governa me: ne quæso ego me ipsum regam, nec me gubernet mundus, aut caro: tu enim sollicitus es de me, meique curam sapientissimè geris, ac si ego solus essem in mundo, qui tamen omnium sum miserrimus.

4. Submitto me, Domine, providentiæ et dispositioni tuæ in tempore, et in æternitate: in te pro jicio omnem sollicitudinem meam; quia non derelinquis diligentes te: et si quæsiro regnum Dei et justitiam ejus, cætera omnia adjicientur mihi.

5. Gratias tibi ago, bonum infinitum, quia ex malis nostris bona deducis, et permittis nostram miseriam, ut magis emineat misericordia tua: Ostende, quæso, in me hujusmodi providentiam, ut omnia mala mihi cooperentur in bonum.

6. O suavissima Dei providentia, quid amplius facere potuisti? Sic nimirum dilexisti mundum, ut Filium tuum Unigenitum dares: Filium inquam tuum, ut servum redimeres, tradidisti. Applica nunc mihi tam copiosæ redemptionis fructus, ut per gratiam tuam redemptus, te fruar semper in gloriâ.

7. Esto mihi, dulcissime Jesu, sapientia, justitia, sanctificatio, et redemptio, applicans mihi efficaciter pretium sanguinis tui, quem pro omnibus effudisti.

8. Tibi gratias ago, Amantissime Pater, quia me vocasti vocatione tua sancta ad fidem tuam, et statim natum per Baptismum regenerasti, à te autem aversum miris modis ad te pertraxisti, et gratiâ tuâ justificasti. Nisi enim tua inspiratio me præ-

venisset immeritum, jam meritis pro sceleribus pœnis afficerer.

9. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Mirabilis enim fuisti in creatione, mirabilis in redemptione, sed multo mirabilior in convivio, quod parasti nobis in dulcedine tua, in quo anima nostra Redemptoris nostri carnem manducat, et sanguinem bibit. Utinam mihi liceat hâc salutari mensâ refecto, dicere cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.

10. Pastor supreme, salva me ex ore leonum, et luporum infernalium, quia parasti in conspectu meo hanc mensam cœlestem, adversus eos qui tribulant me.

DECAS IX.

1. O Fons bonitatis, Deus animæ meæ, quis sum ego, et quæ domus mea, ut me vocare dignatus sis ad hunc sublimem statum Religionis? Nam cum essem in sæculo, sicut unus ex multis, claudicans in duas partes, intonuisti de cœlo, et dedisti vocem tuam, vocem magnam et efficacem, qua de mundi deserto eduxisti me, et in paradysum transtulisti.

2. Gratias tibi, Magister supreme, ago, quòd me in discipulum tuum elegeris in hâc scholâ perfectionis, multis aliis relictis, qui me digniores erant. Da mihi sequi vestigia tua, et quod docuisti semper implere.

3. Adveniat regnum tuum, Rex sempiternæ, regnum æternum, quod præparasti diligentibus te: Ostende mihi bona, quæ promisisti, et ita me ex-

cita ad illa procuranda, ut ea tandem obtineam.

4. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, et præ magnitudine desiderii deficit anima mea, dum cogitat de atriis tuis. O quando veniam, ut in eis habitem, et tanta fruar pulchritudine?

5. Multa scio de te, Domine, sed nescio quid dicam. Quidquid enim dixero, quidquid cogitavero, finitum est; tu autem immensus es, et incomprehensibilis, et magnitudinis tuæ non est finis.

6. Deus infinite, qui es Trinus in personis, sed Unus in essentia; et ita divinitatem communicas, ut Unitas non lædatur; comunica mihi copiosam gratiam, ut sim tecum unus charitate perfecta.

7. Sancte Sanctorum, Deus spirituum, et cunctæ carnis, à cujus conspectu tremit cœlum et terra, omni qua valeo virtute te benedico, quia per Ecclesiæ tuæ sanctæ documenta in fide tua confirmasti me.

8. Te invoco, Beata Trinitas, ut venias in me, et templum dignum gloriæ tuæ efficias me. Perfice me Deus, qui plasmasti me, usque ad plenam formam imaginis, et similitudinis tuæ, ad quam fecisti me.

9. Deus immense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, custodi me opus manuum tuarum in te sperantem, et in tua solummodo misericordia confidentem.

10. Domine, qui dixisti: Non videbit me homo, et vivet, Moriar ut te videam. Hæc est enim vita æterna, ut te Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum, verum, et solum Deum cognoscam, et amem in sæcula sæculorum.

DECAS X.

1. Pater immensæ majestatis, principium absque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quòd intrà te ipsum Verbum tuum æternum concipias, Filiumque generes adeò tibi similem, ut sit unum et idem tecum.

2. Pater cœlestis, à quo omnis Paternitas in cœlo, et in terra nominatur, obsecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoperè delectaris, ut multos alios gignas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubique dilatetur, et resplendeat.

3. Pater ingenite, innascibilis, improducibilis, fons Deitatis, ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut qui à te processi, in te perpetuò maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

4. Fili Dei Unigenite, qui æterna generatione à Patre procedis, ipsi cœquali, et consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis et æqualitatis aliqua ex parte participem.

5. Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis æternæ, fac me filium lucis in hac vita, ut in æterna, lumine gloriæ illustratus, videam te gloriosum et benedictum in sæcula.

6. Splendor paternæ gloriæ, et figura substantiæ ejus, qui summè dilectus à Patre, ipsumque Patrem summè diligens, simul cum ipso unicâ spiratione producis Spiritum sanctum; emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, et diligam, sicut tu diligis Patrem, et eum perfectè cognoscis.

7. Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, et unctio Electorum, da mihi teipsum donum infinitum, ut et ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; et sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

8. Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem, et omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis eisdem sapientiam: Spiritus utriusque, à quibus accipis infinitum amorem, quo se mutuo amant; illabere menti meæ, et fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, et totus convertar in spiritum amoris.

9. Sanctissime Spiritus, et amor suavissime, charitas essentialis, et totius charitatis principium, bonitas æterna, à quâ omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, et adstringe me tibi, ac Patri, et Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

10. Sancta et adoranda Trinitas, Deus meus, et omne bonum meum, da teipsum mihi, et sufficit mihi. Quid enim ei sufficet, cui tu non sufficis?

CAPUT XVII.

VITAM CHRISTI ESSE FONTEM OMNIUM BONORUM. QUOMODO EX EA PII AFFECTUS ELICIANTUR.

Prolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quæ ex vita Christi, velut ex fonte uberrimo et nunquam deficiente, scaturiunt, et perenniter

DECAS X.

1. Pater immensæ majestatis, principium absque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quòd intrà te ipsum Verbum tuum æternum concipias, Filiumque generes adeò tibi similem, ut sit unum et idem tecum.

2. Pater cœlestis, à quo omnis Paternitas in cœlo, et in terra nominatur, obsecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoperè delectaris, ut multos alios gignas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubique dilatetur, et resplendeat.

3. Pater ingenite, innascibilis, improducibilis, fons Deitatis, ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut qui à te processi, in te perpetuò maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

4. Fili Dei Unigenite, qui æterna generatione à Patre procedis, ipsi cœquali, et consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis et æqualitatis aliqua ex parte participem.

5. Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis æternæ, fac me filium lucis in hac vita, ut in æterna, lumine gloriæ illustratus, videam te gloriosum et benedictum in sæcula.

6. Splendor paternæ gloriæ, et figura substantiæ ejus, qui summè dilectus à Patre, ipsumque Patrem summè diligens, simul cum ipso unicâ spiratione producis Spiritum sanctum; emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, et diligam, sicut tu diligis Patrem, et eum perfectè cognoscis.

7. Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, et unctio Electorum, da mihi teipsum donum infinitum, ut et ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; et sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

8. Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem, et omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis eisdem sapientiam: Spiritus utriusque, à quibus accipis infinitum amorem, quo se mutuo amant; illabere menti meæ, et fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, et totus convertar in spiritum amoris.

9. Sanctissime Spiritus, et amor suavissime, charitas essentialis, et totius charitatis principium, bonitas æterna, à quâ omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, et adstringe me tibi, ac Patri, et Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

10. Sancta et adoranda Trinitas, Deus meus, et omne bonum meum, da teipsum mihi, et sufficit mihi. Quid enim ei sufficet, cui tu non sufficis?

CAPUT XVII.

VITAM CHRISTI ESSE FONTEM OMNIUM BONORUM. QUOMODO EX EA PII AFFECTUS ELICIANTUR.

Prolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quæ ex vita Christi, velut ex fonte uberrimo et nunquam deficiente, scaturiunt, et perenniter

fluunt. Ipse enim Salvator noster factus est nobis à Deo sapientia, justitia, redemptio et sanctificatio. In ipso habemus divitias salutis, thesaurum meritum, cumulum perfectionis. Sicut Sol aspectu suo lætificat, influit, illuminat, nec unquam cessat operari: ita verus Sol animarum, Jesus Christus, jugi influxu infundit in nos, et imprimit mores suos, virtutes suas, suam divinitatem. Vitæ ejus consideratio erigit in adversis, in prosperis reprimit, tollit peccata, conciliat gratiam, excitat ad amorem, juvat incipientes, dirigit proficientes, edocet perfectos. Quemadmodum unguentarii semper olent id quod attrahant; sic Christianus, qui assidue cum Christo versatur, ejus redolet patientiam, charitatem, humilitatem, cæterasque virtutes, quas vitæ suæ studioso sensim instillat idem Dominus virtutum, cujus doctrina seminarium justitiæ, vita speculum prudentiæ et temperantiæ, mors exemplum est fortitudinis. Sed quia non sufficit Christi vitam meditari, nisi etiam ex ea pii, et devoti affectus eliciantur; hujus praxim in hoc capitulo breviter indicabo, ut auctorem fidei respicientes, eundem salutis nostræ, atque perfectionis consummatorem habeamus.

DECAS I.

1. Domine Jesu Christe, concede mihi misero peccatori, vitam et mores tuos præ oculis mentis semper habere, et pro viribus imitari.

2. O charitas infinita, ô admiranda dignatio tua, Domine! ut servum redimeres, Filium tradidisti.

3. Vidisti, suavissime Jesu, afflictionem populi

tui, et grave onus filiorum Adam, et tactus stimulis charitatis intrinsecus, cogitasti super nos cogitationes pacis, et redemptionis. Nam tibi advenit plenitudo temporis, visitasti nos oriens ex alto.

4. Deus immensæ majestatis, quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Laudent te Angeli tui ob tantum amorem, quo nos miseros prosequeris.

5. Salve dies tot ætatibus optata, qua Deus pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele, tanti gaudii annunciator. Salve Virgo gloriosa, in cujus castissimo utero carnem assumpsit Deus.

6. O quam potens es Amor, qui ad tam infima abjicis Deum! O quam divino dissimilis est amor meus!

7. Princeps supreme, qui de cælo in terram pro mea salute descendisti, tantò mihi charior es, quantò pro me factus es vilior.

8. Verbum incarnatum plenum gratiæ et veritatis, eadem gratiâ imple animam meam, ut tibi placeat.

9. Verbum divinum, partem aliquam largire mihi lucis et gratiarum, quas tribuisti assumptæ humanitati. Deprime cor meum humilitate usque ad infimum locum: erige gratitudine et amore ad altissimum gradum.

10. Christe Salvator, qui adhuc clausus maternis visceribus ad Præcursores sanctificandum properasti; da mihi peccatorum veniam, et spirituales in tuo obsequio lætitiâ.

DECAS II.

1. Jesu amabilissime, qui pro me nasci in sortenti stabulo voluisti, illumina mentem meam, et voluntatem, quo tuam Nativitatem contemplari valeam, et elucentes in eâ virtutes imitari.

2. Cur non ardet cor meum tenerrimo tui amore, Infans formosissime; qui salutem meam in ipso tui ortu operari cœpisti?

3. Utinam Nativitati tuæ præsens fuissem dignusque habitus, qui te amplecterer, et mea tibi obsequia deferrem! Accepta, Domine, hanc voluntatem, et præsta, ut, quicquid possum, quicquid sum, tuo semper famulatui impendam.

4. O inaudita amoris prodigia! Dilecti mei cubile stabulum est; desponsationis meæ thalamus præsepe, lectus sponsi mei scœnum, pulvillus stramen, aula vilis spelunca.

5. O sanctam Filii Dei paupertatem omnibus mundi divitiis pretiosior! hanc mihi commendabilem tuo exemplo reddidisti, bone Jesu, natus in stabulo, pannis involutus, qui cœlum stellis, terram floribus adornasti. Infunde cordi meo ejus amorem, et da patienti animo ejus molestias perferre.

6. O quantum lugere debeo pro peccatis meis, piissime Jesu, quandoquidem tu pro eis ploras. Me enim abluunt vagientis tuæ infantia fletus, mea delicta tuæ deplorant lacrymæ.

7. Jesu sapientissime, qui tacendo doces, et vagiendo prædicas; doce me in silentio humilitatem tuam sequi, tibi que conformem fieri infantili simplicitate et innocentia.

8. Fortunati Pastores, quibus antè omnes lapsus è cœlo Deus, stabuloque reconditus, angelicâ voce nuntiatur.

9. Verè gloria in excelsis Deo; nam cui gloria, nisi tibi Rex gloriæ? Trahe cor meum in excelsa, ut nunquam degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum tuorum.

10. Da mihi, Salvator dulcissime, quam omnibus offers bonam voluntatem, pacemque divinam, ut objectâ mundi inconstantiâ et discordiâ, in beneplacito tuo stabilis perseverem.

DECAS III.

1. Laudo te, Redemptor mundi, pro prima sanguinis tui in tenerrima ætate effusione, cum tua caro immaculata pœnam circumcisionis, quam non meruit, sustinuit.

2. O lapsus Adæ, quàm es amarus Domino meo! ego peccavi, et tu, Domine, pœnam exsolvis; ego in concupiscentia conceptus et natus sum, et tu suscipis in te ultionem.

3. Sponsus sanguinis tu mihi es, qui cum voce nondum possis, ipso eruore tuo clamas pro me ad Patrem: mihique tribuis arrham desponsationis, sanguinem tuum pretiosum super aurum et topazion.

4. Circumcide, Domine, omnia membra et sensus meos spirituali petra, quæ tu ipse es, et quidquid in me repereris carnale, et superfluum, absconde, et extirpa; vitamque meam disciplinæ tuæ rigore coërce.

5. O dulcissimum nomen Jesu, super omne nomen in cælo et in terra benedictum, esto mihi salus et redemptio : non enim est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

6. Esto mihi, JESU, id quod diceris. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Scribe nomen tuum salutiferum in corde meo, ut tibi maneat semper impressum, donec perducat ad æternam salutem.

7. Glorifico te, Deus, pro primitiis gentium, et earum admirabili illuminatione ; cum eas ab oriente in persona trium Magorum ad fidem tuam secreta inspiratione traxisti.

8. Adoro te, Rex Regum, cum sanctis Magis, et pro illorum muneribus offero tibi aurum paupertatis, thus obedientiæ, myrrham castitatis.

9. Utinam omnes gentes te fide viva cognoscerent, et adorarent, et tibi fideliter servirent.

10. Da mihi, Domine, horum virorum fidem et constantiam, ut eadem, quâ illi, perseverantiâ te quæram, donec inveniam.

DECAS IV.

1. Voluisti, Domine, præsentari in templo, et more servorum quinque siclis redimi : sit benedicta immensa charitas tua : et quia Pater tuus te mihi tradidit quinque siclorum pretio, ego vicissim trado me tibi in servum perpetuum. Fiat per gratiam tuam, ut nec tu me unquam deseras, nec ego te.

2. Benedico te, sanctissime Redemptor, quia, ut nobis veræ obedientiæ exemplum relinqueres,

te legalibus institutis, tanquam unus de populo, subdidisti. Da mihi in omnibus perfectissimam obedientiam.

3. Offero tibi, Domine, par turturum, geminam scilicet compunctionem ; primò quidem pro peccatis, et negligentis meis, deinde verò pro æterna felicitate, ad quam jugiter suspiro.

4. Da mihi, bone JESU, radium aliquem illius lucis, quam Sancto seni Simeoni tribuisti, cum te infantem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam, et amem ; sicut ille te novit et amavit.

5. Sapientissime Jesu, qui Sanctæ Genitrici tuæ doloris gladium, quo transfigenda erat, revelari voluisti ; transfige animam meam gladio compunctionis, ne me dissolvant vanæ mundi consolationes.

6. Vix natus eras, Rex amantissime, cum subito mundus te persequitur, et Rex Herodes statim te quærit, ut perdat te : sicut autem te caput honorum persecuti sunt impii, ita et membra tua. Da mihi igitur hanc veritatem agnoscere, et malorum persecutiones patienter ferre.

7. Tecum fugere, Jesu dulcissime, et omnia quæ mundi hujus sunt relinquere, grave mihi non erit : nam si tu mecum fueris, quid poterit mihi deesse ?

8. Comitare fugientem Deum, anima mea, nec erubescere ad hanc fugam. Gloriosum est et dulce pro Deo abjici et contemni.

9. Adesto mihi, Deus, gratiâ tuâ, ut in hujus vitæ exilio, voluntati tuæ subjectus vivam, semper bonum exemplum illis præbens, cum quibus vixero.

10. Dulcis Jesu, qui revocatus ab Ægypto, ubi

exul diu fuisti, in Nazareth recessisti, et Nazaræus vocatus es : da mihi leges Nazaræorum spiritualiter observare : abstinere nimirum ad omni amore inordinato, et nihil tangere, quod possit maculare animam meam.

DECAS V.

1. Nihil scimus de te, ô Sapia incarnata, usque ad annum duodecimum ætatis tuæ, et multa scimus. Ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris ; ut silentium tuum et humilitatem admiremur, et imitemur.

2. Sedisti in medio Doctorum, sapientissime puer, interrogans prudenter, et respondens modestè, ita ut omnes mirarentur. Utinam illic adfuissem, et sermones tuos audire licuisset. Repete eos, Domine, in corde meo, ut fructu eorum perfruar in æternum.

3. O quàm dolenter quæsiuit te amissum mater tua, quàm lætanter te invenit ! Da mihi exemplo tuo in his semper esse, quæ Dei sunt, nulla habita ratione cognationis, et sanguinis : et fac, ut te absentem sollicitè semper quæram, donec inveniam.

4. Congratulor tibi, Beatissima Virgo, quòd dilectissimum tuum inveneris : ora pro me, ne unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

5. Proficiebas, dulcissime puer, sapientia, ætate, et gratia apud Deum, et homines : quia majora quotidie edebas virtutis indicia ; ego autem proficere opto à remissiori vita ad ferventem et perfectam. Da tu mihi benedictionem tuam, ut juxta desiderium meum crescam de virtute in virtutem, donec ad gradum supremum perveniam.

6. O humilitas Christi, quantum confundis superbiam et vanitatem meam ! Tu latuisti, Domine, et tacuisti usque ad trigesimum annum, cum esses sapientia æterna : ego verò stultissimus cum sim, inaniter loqui præsumo, et apparere. Doce me viam solidioris humilitatis, et tuis semper inhærere vestigiis.

7. Domine Jesu, fons bonitatis et origo virtutum, qui à Baptismo Joannis prædicationem tuam auspicatus es, quid tibi et Baptismo isti, cum sis innocentissimus ? Utinam superbia mea hoc tam mirabili humilitatis exemplo exterminetur.

8. Rex altissime, qui omnem justitiam sic implere voluisti, baptiza me in igne et spiritu, et ablue animam meam ab omni sorde iniquitatum.

9. Imple me, Domine, Spiritu sancto, ut eo inspirante sequar te in desertum, et secedam ab hominibus, orationi, jejunio, et pœnitentiæ incumbens.

10. Fortissime athleta, Jesu Christe, qui strenuè contrà diabolum dimicasti, et eum gloriose superasti, da mihi viriliter contrà ipsum decertare ; et mitte sanctos Angelos tuos, qui me fideliter custodiant, potenter adjuvent, et benignè consolentur.

DECAS VI.

1. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia Redemptionis nostræ mysteria abscondisti à sapientibus, et prudentibus hujus sæculi, et parvulis piscatoribus revelasti, ut mundi sapientiam destrueres. Fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiam in tuis.

2. Dux supreme, qui omnes ad te vocas per viam crucis et abnegationis, gratiam tuam largire mihi, ut crucem meam indefessus portem usque ad mortem.

3. Aliam viam, Domine, tenere nolo, quàm tuam: nec aliam, quàm tuam veritatem amplecti: nec aliam vitam ducere, præter eam, quam tu docuisti. Tu es enim, via, veritas, et vita.

4. Gratias ago tibi, æterne Pater, quod talem mihi magistrum, legislatorem, et consiliarium dederis, cujus præcepta et monita via tutissima salutis sunt.

5. Aperi os tuum, Salvator mundi, et loquere ad cor meum, quia audit servus tuus, desiderans id exequi, quod audierit.

6. Illumina me splendoribus tuis, superne Magister, ut perfectionem agnoscam, quam mihi commendas: igne tuo accende, ut eam amem: potentiâ corrobora, ut eam quæram et assequar.

7. Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuæ patrare dignatus es; innova signa, immuta mirabilia, et animæ meæ languores sana, eamque resuscita à morte vitiorum.

8. Inclite Jesu, lux mundi, salus populi, et gloria nostra, respice propitiùs infirmitatem meam: nemo enim potest spiritualia vulnera curare, nisi tu qui solus es Deus.

9. Circuisti vicos et plateas, dulcissime Jesu, ut peccatores converteres, et pœnitentibus indulgentiam conferres: fac me hujus charitatis tuæ participem, et miserere mei, quoniam iniquitatem meam cognosco.

10. Millies te laudo, et benedico, Jesu sanctissimi-

me, exemplar omnium virtutum, pro vita tua pauperrima, humillima, purissima, patientissima: tribue mihi miserrimo servo tuo mores tuos sedulo meditari, et eorum normam omnes actus, sermones, et gestus meos efformare.

DECAS VII.

1. Quàm immensa fuit charitas tua, benignissime Redemptor, quia non solùm pro salutè mea vitam ærumnosam ducere, sed eam insuper acerbissima passione et morte claudere voluisti. O quàm gravia sunt peccata mea, quæ talem poscebant satisfactionem!

2. Clementissime Pater, per Passionem et mortem Unigeniti tui, ignosce peccatis famuli tui. Suscipe sacrificium Filii tui, et obliviscere injuriarum nequissimi servi tui. Multò enim plura ille solvit, quàm sit debitum meum.

3. O passio Christi desiderabilis, ô amabilis mors, sana vulnera mea, et vivifica me: inflamma pectus meum, ut præ amore liquescat.

4. Non peto mundi divitias, sed tuas angustias, Domine Jesu: non carnis delicias, sed tua flagella.

5. Rogo te, dulcis Jesu, ne sinas unquam me oblivisci mortis et passionis tuæ; sed præsta, ut in ea mihi sit requies et accessus ad Divinitatem.

6. Omnia vulnera tua, Domine, inscribe cordi meo, ut tu solus, tuæque passio in eo legantur. Intrà vulnera tua absconde me.

7. Domine Jesu, qui nos sic amasti, ut tibi non parceres; veni, et ne differas vulnerare cor meum,

ut solū tua vulnera sentiam, et in iis jugiter maneam, et requiescam.

8. Tui dolores semper occupent pectus meum, ut eorum memor dicam cum sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

9. Dulcis Jesu, qui tanto fervore et festinatione in Jerusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris, fac me alacrem et ferventem ad omnia, quæcumque volueris pro te sustinenda.

10. Salvator mundi, qui à perduto discipulo venditus fuisti; ne quæso permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum te summum bonum meum vendam et derelinquam.

DECAS VIII.

1. Humillime Jesu, qui servili obsequio lavisti pedes discipulorum tuorum, ampliùs lava me ab iniquitate mea, et à spiritu superbiæ libera me.

2. O dilecte cordis mei, qui, imminente passione tuâ, perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, et sanguinem in potum; præpara me ad hoc convivium, et orna animam meam virtutibus tuis.

3. O Rex sempiternæ, qui nutris sanguine tuo populum tuum, ut simus omnes de regio tuo sanguine genitum, regale sacerdotium, gens sancta: fac me agnoscere genus meum, et de eo gloriari, et à moribus tuis nunquam degenerem esse.

4. Ut passio tua esset acerbior, amabilissime Jesu, omnem lætitiā à te procul abjecisti, incipiens pa-

vere, contristari, et mœstus esse, et ubi dolor meus, in causa tua et mea? Fac me semper memorem tristitiæ tuæ, ut omnem angustiam quacumque ex causa mihi advenientem pro tui nominis gloria libenter patiar.

5. O lætitia Angelorum, qui in tristitia tua ad orationis remedium confugisti, concede mihi misero, ut ablacter à lacte, et avellar ab uberibus humanarum consolationum, meque totum orationi applicem, in qua sanctissimam voluntatem tuam et cognoscam, et exequar.

6. Transeat à te, Domine, ad me calix tuus, omnis enim amaritudo pro te degustata erit mihi jucundissima.

7. Quis mihi det dolores tuos ita sentire, afflictissime Jesu, ut vel eorum cogitatio sanguineum à me sudorem eliciat? Adjuva me gratiâ tuâ, ut voti hujus compos efficiar.

8. Laudo et glorifico te, mitissime Jesu, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, et ab impiis comprehensus, atque ligatus: da mihi hunc spiritum lenitatis, quo erga meipsum severus sim, et erga proximum mansuetus.

9. Quam celeriter ire cogeris à tuis hostibus rapatus, dulcissime Jesu, sed multo magis à tua charitate: ne, quæso, patiaris ut à te alacriter sequendo desistam, etiamsi multi labores et dolores subeundi sint.

10. Jesu innocentissime, qui per diversa tribunalia crudeliter trahi voluisti, victima meorum criminum, dirige gressus meos in viam pacis, et jube me ve-

nire ad te; nam etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

DECAS IX.

1. O bone Jesu, virtus et fortitudo animæ meæ, qui tot irrationes, percussiones, et contumelias admirabili patientia tolerasti, doce me omnia mihi adversantia miti silentio vincere, et tranquillo corde suscipere.

2. Piissime Jesu, qui nequissimo latrone et homicidâ nocentior proclamatus fuisti, fac me vana hominum judicia contemnere, et opprobrium tuum semper præ oculis habere, falsisque mundi honoribus præponere.

3. Mitissime Jesu, qui nudus ad columnam alligatus, et durissimè propter scelera mea flagellatus fuisti, concede animæ meæ, ut diuturnis criminum tempestatibus jactata in hac columnâ portum inveniat. Liga me ad eam in funiculis Adam, in vinculis charitatis.

4. Rex Christe, corona Sanctorum omnium, qui inaudito supplicio spinis coronatus fuisti, et joculari purpura indutus; fac me omnem contemptum patienter ferre, atque inglorium omnibus apparere, tuasque spinas semper amare.

5. Benignissime amator hominum, qui ab iniquo judice morte turpissima damnatus fuisti, cum sis speculum innocentia, et sanctitatis: quanto magis me pati oportebit sinistra hominum judicia, qui in multis tam sæpè deliqui?

6. Proficiscere, bone Jesu, ligno crucis onustus, sed multò magis amoris pondere pressus, et

qui dolori tuo non parcis, parce peccatis meis.

7. Jugum tuum, Domine, suave est, et onus tuum leve; fac ut illud gaudenter portem, abnegans metipsum, et crucem meam bajulans post te.

8. Suavissime Jesu, qui tam inhumaniter in cruce extendi voluisti, ut numerari possent omnia ossa tua; præsta, ut omnia membra, sensus, et potentias ad te semper erectas tibi amanter uniam, et clavis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam.

9. Ad te, Domine, clamantem exaudi, et qui dixisti Apostolis tuis, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; trahere me ad te, et excipe animam meam in foraminibus petrae, in cavernis maceriae.

10. Agnosco, gloriosissime Fili Dei, titulum tuum; tu es enim Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Utinam orbis universus hunc titulum legat et admittat, teque omnes confiteantur Regem suum et Salvatorem.

DECAS X.

1. Jesu vita morientium, qui, cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lanceâ aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor, admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in sæculum sæculi.

2. O quinque Christi pretiosa vulnera, divinâ dulcedine plena, saluto et veneror vos: in vobis enim medicina vitæ, copia gratiæ, plenitudo indulgentiæ.

3. In latere tuo latere volo, Jesu mi crucifixe, ibi orare, ibi tractare negotia mea: quia ibi quidquid voluero obtinebo.

4. Gratias ago tibi, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti: perfice et in me opus quod incœpisti, ut plena in me, et consummata justitia reperiatur.

5. Quanta durtia cordis mei! Concutitur terra, dissiliunt saxa, obtenebrantur cœli, moriente Domino: solum cor meum immotum erit, qui tantæ necis causa fui? Scinde illud, Domine, et frange sanguine tuo.

6. Sepeli cor meum tecum, et absconde me intrâ vulnera tua, dilectissime Jesu, ut extrâ te nusquam reperiar.

7. Obsigna cor meum, Domine, et sensus ac facultates sigillo charitatis tuæ, ut sic obsignatus tecum maneam in æternum.

8. O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui post mortem descendisti ad inferos, et justos è carcere eduxisti, gaudeo de hoc tuo triumpho, et precor ut omnem tartaream potestatem virtute tua vincere me facias.

9. O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam, et tecum tandem ascendam in cœlum.

10. Rex sempiternæ, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te, ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus, et gloria mea, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum.

CAPUT XVIII.

EX QUALIBET RE, QUÆ OCCURRIT, MOTUS ANAGOGICOS ELIGI POSSE. SCALE A VISIBILI CREATURA AD INVISIBILEM CREATOREM.

1. Optimè dictum est à Redemptore nostro (1) filios hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis in genere suo. Nam quis ex nobis, qui filiorum lucis nomine censemur, tantam adhibet industriam in spiritualibus bonis procurandis, quantum mundani homines in terreno lucro, ex omni re solertissimè captando? Languet nimirum spiritus, et vigent sensus: et quia cœlestia ab oculis corporalibus remota sunt, mentem humanam vix percellunt: atque ideò plerumque fit, ut in temporalibus lynceæ, in æternis talpæ simus. Ne igitur sæculo addicti homines surgant contrâ nos in judicium, quòd vivaciores fuerint et diligentiores in perituris divitiis, quàm nos in veris et perpetuis congregandis; varias artes excogitare debemus, opes quamplurimas spirituales accumulandi, in omni opere ac negotio lucrum spirituale sectando, et ad Deum aspirando, qui omnium actionum nostrarum finis est et principium. Id qua ratione fieri possit, non meis, sed Sanctorum Patrum verbis indicabo, quò majorem huic doctrinæ conciliem auctoritatem.

2. Divinus Ephrem (2) hoc lucrum in oratione potissimum consistere docet, et ait: *Bonum fuerit*

(1) Luc., xvi, 8. — (2) Ephrem. t. i. Hom. de orando Deum.

semper orare, et nunquam deficere, quemadmodum ait Dominus. Quare, sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Sive in ecclesiâ fueris, sive domi tuæ, sive in agro; et si oves pascas, et si ædificia construas, et si in symposio veriseris, ab oratione cave desistas, et quandocumque potueris, genua flecte; quando non potueris, mente Deum invoca. Quod si orationem operi præmiseris, et surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit. Consonat Chrysostomus (1) dicens: Accedamus ad Deum, orantes omni tempore, quia nunquam contingit importunè accedere. Eum quippè qui cupit largiri, semper opportunè oramus. Sicut enim respirare importunum omninò nunquam est; ita etiam non quidem petere, sed non petere potius importunum est. Sicut enim respiratione hac jugiter indigemus, ita etiam eo, quod à Deo præstatur, auxilio. Idem Chrysostomus (2), alibi explicans Apostoli, sententiam dicentis (3): Omnia in gloriam Dei facite, varios proponit modos Deum glorificandi in omni actione et omissione, scilicet nobis de singulis creaturis faciendi, quæ ad Deum ascendamus. De qua re cum prolixum habuerit sermonem, sic concludit. Si voluerimus, per omnem vitam hanc spiritualem mercaturam faciemus, et ex omni re lucrum capiemus. Sive ergo precemur, sive jejunemus, sive accusemus, sive condonemus,

(1) Chrys. Hom. 23. in Matth. — (2) Idem. Orat. kalendis habita. t. 5. — (3) Cor., x, 31.

sive laudemus, sive vituperemus, sive ingrediamur, sive exeamus, sive vendamus, sive emamus, sive taceamus, sive disputemus, sive aliud quid faciamus, omnia referamus ad Deum. Hæc ille, docens quomodo ex omni re motus anagogici elici possint, quibus ad Deum assurgamus. Similia tradit Magnus Basilius (1). Accumbens mensæ, ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad lætitiâ et infirmitatum solamen; tunicam indueris, gratias agito benigno datori; suspicis in cælum, et siderum pulchritudinem intueris; procide Deo, et cole eum, qui omnia hæc in sapientia creavit. Omitto reliqua. Nam ut alterius Basili Seleucie Episcopi (2) verba usurpem. Cum Deus res creatas in morem scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit.

3. Quidquid igitur occurrit in creaturis, ad laudem reducere oportet creatoris, ut piè admonet Seraphicus Bonaventura (3). *Cum videris aliquos, inquit, in prælatione temporali, vel in dignitate constitutos, cogitabis hoc esse factum ad divinam magnificentiam ostendendam, et sic in eis Dei potentiam colaudabis. Cum autem videris alios scientiæ insistentes, et non solum creatoris, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes, et quemlibet versiculum curiosius ordinantes, hoc esse factum ad manifestandam divinam sapientiam non ignores, et sic in eis Dei sapientiam commendabis. Cum verò videris alios temporalibus negotiis insisten-*

(1) Basilius Mag. Hom. in S. Julitta. mart. — (2) Basilius Seleuc. Orat. 1. — (3) Bonav. in stimulo amoris. cap. 10.

tes, in eis divinam laudabis providentiam per tales quiescentibus providentem. Si aliquos videris cæteros judicantes, divinum judicium time? Si penas inferentes, divinam justitiam cogita: si rigidos, divinæ justitiæ expavesce rigorem: si reprehensores, et causarum discussores, futuri judicii recordare. Si verò videris prælatos circa punitionem malorum remissos, in eis divinam misericordiam commendabis. Si videris aliquos insistere operibus charitatis et pietatis, in ipsis laudabis divinam bonitatem, et suam clementiam infinitam se breviter ad omnia diffundentem. Si calorem habueris, recogita erga nos Dei Patris nimiam charitatem, quæ suum filium voluit incarnari, et pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æstu miseriæ refrigerium anhelabis: et sic per singula discurrendo, omnia potes et debes reducere in laudem et magnificentiam Creatoris. Hoc sancti viri documento quasi acuto ferro medulla spiritus eruitur ex omnibus rebus, quæ sensibus percipiuntur. In promptu enim est, juxta Apostolum (1). Omni utenti ratione invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciere. Quod si accesserit moralis intelligentia rerum omnium, quæ præ manibus versantur, jam ingens sylva unicuique aperitur, quamplurimos affectus erga Deum ex quolibet re eliciendi. Hanc autem intelligentiam curioso Lectori suppeditabunt ex antiquis Patribus Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Magnus, Rupertus Abbas, Bernardus, Eucherius, et alii: ex re-

(1) Ad Roman., 1, 20.

entioribus Sanctis Pagninus in Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, Joannes à S. Geminiano in summâ de exemplis et similitudinibus, Hieronymus Laurentus in Sylva Allegoriarum, Petrus Berchorius in Reductorio, et Repertorio morali, et omnes ferè Interpretes Sacræ Scripturæ.

4. Philo disertissimus Judæorum (1) scalas ad Deum esse creata omnia asseverat. Via enim patet nobis, ut dixi, ab his quæ videmus et contrectamus, ad Opificem Deum, quem non videmus. Nemo est, si internas aures admovere voluerit, qui vocem naturæ non audiat ingenti clamore conditorem suum prædicantis. *Cælum, mare, terra, et omnia quæ in eis sunt*, ait S. Prosper (2), *consono speciei suæ, ordinationisque concentu gloriam Dei protestantur, et prædicatione perpetuâ majestatem sui loquantur auctoris*. Magnus est liber creaturarum, in quo non solum vir incomparabilis Antonius Abbas, ut de eo Athanasius refert (3), sed etiam mundi sapientes studuerunt. Trismegistus dixit, mundum esse librum Divinitatis, et speculum divinorum, in quo Deus seipsum clarè expressit. Orpheus in hymnis mundum esse ait musicam admirabilem, quæ prædicat, et laudat Deum; quod etiam noster hymnographus cecinit dicens: *Cæli enarrant gloriam Dei* (4). Sunt creaturæ nutus, quibus Deus se nobis manifestat, ex sententiâ Augustini (5), et Gregorii Papæ (6). Sunt venæ divini susurri, ut idem Gre-

(1) Philo lib. de præmiis. — (2) Prosper lib. 2. de vocat. Gentium. c. 1. — (3) Athanasius in vita S. Antonii. — (4) Psal., xviii, 2. — (5) Aug. lib. 3. de libero arb. c. 17. — (6) Greg. lib. 26. moral. c. 8.

gorius (1) testatur. Sunt Choreæ, quas mater natura Numini statuit, ut canit Synesius (2). Sunt fontes divini amoris, ut docet Angelicus Doctor (3). Nulli ergo dubium, quin facillimè possit, quicumque huic studio animum applicaverit, ex aspectu cujuslibet creaturæ in Deum assurgere, et piis affectibus ad Creatorem aspirare. Praxim hujus exercitii mox tradam, si prius monuero, fuisse quemdam virum sanctum, qui omnia quæcumque audiebat, et videbat, ad Christi passionem referebat. Si clamor occurreret, aut tumultus, vel ictus malleorum; si scalas aspiceret, aut ligna, aut lanceas, aut clavos, aut aliud quidpiam; ex omnibus occasionem captabat Christi passionem grato animo recolendi. Poterit autem hujusmodi exercitatio ad totam Domini vitam extendi, adhibitis Aspirationibus, quæ superiori capite descriptæ sunt.

CAPUT XIX.

DIARIUM, ET SYLVULA ASPIRATIONUM PRO OMNI ACTIONE DIEI ET PRO QUALIBET OCCASIONE.

Ex uberrima messe spicilegium faciam, cuncta enim percurrere, ex quibus elici Aspirationes possunt, immensi voluminis foret: sed sicut scriptum est: *Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia* (4). Primò autem præcipuas diei actiones et

(1) Greg. lib. 5. moral. cap. 20. — (2) Synesius hymno 3. — (3) De Thom. opusc. 61. — (4) Prov., ix, 9.

exercitia proponam; tum pleraque alia, quæ frequentius occurrere solent, ut in quolibet actu, et occasione piorum affectuum sylva semper in promptu habeatur.

CUM QUIS NOCTU EXPERGISCITUR.

1. Deus propitijs esto mihi peccatori: edue me de tenebris et umbra mortis, et dic de tenebris lucem splendescere.

2. Voca me, Domine, in admirabile lumen tuum: et illumina tenebras meas, tu lux filiorum lucis, tu dies, qui nescis occasum.

3. Tuere me, Domine, ne tenebricosâ peccati caligine involvar: eripe me ab omni inquinamento carnis, et spiritus.

4. Fiat mihi nox ista illuminatio mea in delitijs meis, quoniam memor fui nocte nominis tui, Domine.

5. In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea. Doce me, Domine, quærere te, et ostende te quærenti.

6. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis; de manè vigilabo ad te, splendor paternæ gloriæ.

7. Nox est, et alta rerum quies, ac profundum silentium. Amemus Deum nostrum, anima: nam amor secretum optat.

8. Ardeant tibi, et luceant, Deus meus, sidera tua, et tot accende tædas amoris in corde meo, quot in cælo splendent stellæ.

9. O si animus ad amoris lucernam vigil hæret, dum somnum corpus capit, ita ut dicere possem

gorius (1) testatur. Sunt Choreæ, quas mater natura Numini statuit, ut canit Synesius (2). Sunt fontes divini amoris, ut docet Angelicus Doctor (3). Nulli ergo dubium, quin facillimè possit, quicumque huic studio animum applicaverit, ex aspectu cujuslibet creaturæ in Deum assurgere, et piis affectibus ad Creatorem aspirare. Praxim hujus exercitii mox tradam, si prius monuero, fuisse quemdam virum sanctum, qui omnia quæcumque audiebat, et videbat, ad Christi passionem referebat. Si clamor occurreret, aut tumultus, vel ictus malleorum; si scalas aspiceret, aut ligna, aut lanceas, aut clavos, aut aliud quidpiam; ex omnibus occasionem captabat Christi passionem grato animo recolendi. Poterit autem hujusmodi exercitatio ad totam Domini vitam extendi, adhibitis Aspirationibus, quæ superiori capite descriptæ sunt.

CAPUT XIX.

DIARIUM, ET SYLVULA ASPIRATIONUM PRO OMNI ACTIONE
DIEI ET PRO QUALIBET OCCASIONE.

Ex uberrima messe spicilegium faciam, cuncta enim percurrere, ex quibus elici Aspirationes possunt, immensi voluminis foret: sed sicut scriptum est: *Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia* (4). Primò autem præcipuas diei actiones et

(1) Greg. lib. 5. moral. cap. 20. — (2) Synesius hymno 3. —
(3) De Thom. opusc. 61. — (4) Prov., ix, 9.

exercitia proponam; tum pleraque alia, quæ frequentius occurrere solent, ut in quolibet actu, et occasione piorum affectuum sylva semper in promptu habeatur.

CUM QUIS NOCTU EXPERGISCITUR.

4. Deus propitijs esto mihi peccatori: edue me de tenebris et umbra mortis, et dic de tenebris lucem splendescere.

2. Voca me, Domine, in admirabile lumen tuum: et illumina tenebras meas, tu lux filiorum lucis, tu dies, qui nescis occasum.

3. Tuere me, Domine, ne tenebricosâ peccati caligine involvar: eripe me ab omni inquinamento carnis, et spiritus.

4. Fiat mihi nox ista illuminatio mea in delitijs meis, quoniam memor fui nocte nominis tui, Domine.

5. In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea. Doce me, Domine, quærere te, et ostende te quærenti.

6. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis; de manè vigilabo ad te, splendor paternæ gloriæ.

7. Nox est, et alta rerum quies, ac profundum silentium. Amemus Deum nostrum, anima: nam amor secretum optat.

8. Ardeant tibi, et luceant, Deus meus, sidera tua, et tot accende tædas amoris in corde meo, quot in cælo splendent stellæ.

9. O si animus ad amoris lucernam vigil hæret, dum somnum corpus capit, ita ut dicere possem

cum sponsa, ego dormio, et cor meum vigilat! Da mihi, Domine, cum necessaria somni quiete perpetuam amoris vigilantiam.

10. Grätias ago tibi, Deus meus, quia dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus è regalibus sedibus venit, ut eos illuminaret, qui sedebant in tenebris, et umbrà mortis.

MANE CUM SURGIS.

1. Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

2. In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi surgo: ipse, qui me redemit, me custodiat, protegat, atque defendat ab omni malo hodie, semper et in horà mortis meæ.

3. Credo tibi, Domine mi, in te spero, ac toto corde diligo: ex te enim, et in te, ac pro te sunt omnia, Deus meus, et omnia.

4. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

5. Pater sancte, in unione amoris dilectissimi Filii tui commendo tibi hodie spiritum meum.

6. Offero tibi cor meum, et oro te, ut omnis cogitatio, locutio, et operatio, ac voluntas mea secundum beneplacitum tuum hodie dirigatur.

7. Laudo, glorifico, et saluto cor tuum, dulcissime Jesu Christe, gratias agens pro fidei custodia, quã me hãc nocte protexisti: et quia laudes pro me, et gratiarum actiones, atque omnia, quæ ego debeo Deo Patri incessanter persolvis.

8. Commendo, Domine, divinæ sapientiæ tuæ visum meum interiorem, et exteriorem, ut lumen cognitionis mihi largiaris, quo voluntatem tuam agnoscere valeam, visumque cohibeam ab omni vano, et illicito objecto.

9. Commendo auditum meum misericordiæ tuæ, ut ab auditione mala me protegas, et intellectum tribuas ad omnia, quæ hodie auditorus sum.

10. Commendo benignitati tuæ os meum et vocem, ut gustum divini spiritus infundas mihi, et ab omni lapsu linguæ me custodias.

11. Commendo pietati tuæ manus meas, ut opera mea tuis apponas operibus, et in eis omnia mea sanctifices, et perficias, et ab omni pravo opere me retrahas.

12. Commendo cor meum divino amori tuo, ut illud cordi tuo unias, tuoque amore ita succendas, ut nunquam deinceps de re aliqua terrena delectetur.

DEUM INDUERIS.

1. Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.

2. Indue, Domine, animam meam cyclade auro textã, vesteque nuptiali charitatis, quæ operiat multitudinem peccatorum meorum; et immensis monilibus virtutum exorna me.

3. Largire, quæso, animæ meæ vestes, et ornamenta, quæ eam maximè deceant, ne deformitas mea appareat coram te, et Sanctis Angelis tuis.

4. Præcinge lumbos meos, purissime Jesu, cingulo castitatis et pudicitiae, ut viam mandatorum tuorum expedite currere possim.

5. Fac, pie Domine, mecum quod solent mundi proceres; vestes patientiae et humilitatis, quae tibi regnanti in gloria non sunt amplius necessariae, largire mihi pauperulo servo tuo, qui eis maxime indigeo.

6. Te sic præcipiente, Deus meus, corpus terrenum terrenis vestibus induo: non propter ornatum, et superbiam, sed propter necessarium operimentum, et ut ex habitu status meus discernatur.

7. Dum ego corpori suas vestes tribuo, tu Deus indue animam veste innocentiae, ut habitus ejus laudabilis appareat coram te.

CEM MANUS ABLUIS.

1. Da virtutem, Domine, manibus meis ad abs-tergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

2. Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me.

3. Domine Jesu, qui lavisti nos à peccatis in sanguine tuo, lava omnes animae meae sordes, et super nivem dealbabor.

IN ORTU SOLIS.

1. Exorere, exorere Sol justitiae, et illustra splendoribus tuis animam meam.

2. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt, in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

3. O lux, quae illuminas omnia, absorbe me in charitatis abyssum, ut videam semper te in te, et me in te, et cuncta sub te: nam sine te omnia mihi sunt tenebrae, et nox obscura.

4. O sol animae meae Deus meus, quam amabilis est pulchritudo tua! Amo te lumen aeternum, et ardentius amare desidero.

ANTE DIVINUM OFFICIUM.

1. Vocabis me, Domine, et ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porrigere dexteram tuam.

2. Domine, in unione illius intentionis, qua ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, hoc tibi officium persolvere intendo.

3. Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

4. Ergone ranuncula vilis de caeno iniquitatum egressa, coram Domino majestatis perstreperere audebo? Et quis sum ego, pulvis et cinis, ut loquar ad Dominum meum?

5. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. In conspectu Angelorum psallam tibi.

6. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et Sancti tui benedicunt tibi. Psallite Domino Sancti ejus, et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

7. Summe desidero laudare te, Domine Deus meus, et sic honorem afferre tibi, quoniam tu dixisti, Sacrificium laudis honorificabit me.

8. Accipe laudationem meam, Domine, vitulos laborum meorum, et quia vir pollutus labiis ego sum, sanctifica me, et mitte Angelum tuum, qui

calculo ignito emundet os meum, et faciat me dignum laudibus tuis.

9. Illumina intellectum meum, Domine, ut corde percipiam, quod ore pronuncio: transforma in te sensus et cogitationes meas, ut nihil præter te cogitem: affectus purifica, et voluntatem inflamma, ut te solum amen, et desiderem.

10. Te laudare volo, bone Jesu; tu supple pro me, quidquid minus est in me.

POST OFFICIUM.

1. Gratias tibi ago, Domine Deus, quòd meas indignas orationes audire dignatus sis, et de manu mea laudum tuarum sacrificium suscipere.

2. Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et fiduciam præbuisi orandi te?

3. Dimitte, Domine, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, quidquid in tuo servitio scienter, vel ignoranter peccavi; et admitti jubeas ante conspectum majestatis tuæ deprecationem servi tui.

4. Recordare fragilitatis meæ, et ignoscens distractionibus meis, miserere mei Deus, et omnium pro quibus oravi.

5. Suscipe, benignissime Jesu, obsequium servitutis meæ in piissimum cor tuum, et illud tuis, atque Sanctorum precibus adjungens purifica, supple, perfice, et offer Deo Patri ad tuam, et Sanctorum gloriam, ad meam, et omnium salutem.

ANTE MISSAM, VEL COMMUNIONEM.

1. Domine Jesu, in memoriam tuæ passionis et

mortis offero tibi hujus Missæ, et omnium Missarum, quæ in toto mundo celebrantur, hostiam immaculatam sacrosancti corporis et sanguinis tui.

2. Suscipe me, Domine, cum oblatione hujus hostiæ immaculatæ in laudem, gloriam, et beneplacitum tuum, in unione illius oblationis, quâ temetipsum in arâ crucis obtulisti.

3. Memoriam fecisti mirabilium tuorum, dulcissime Deus animæ meæ, et in escam unam omnes amoris vires contraxisti. Utinam hic cibus me transformet in te, et lapideum pectus meum igne tui amoris accendat, et disrumpat.

4. Veni, Domine, et noli tardare; reple bonis tuis esurientem animam meam, et calice suavitatis tuæ inebria sifientem.

5. Melior est panis tuus, quam omnes delitiæ mundi, quas ideo respuo, et abominor: et calix tuus inebrians quam præclarus est!

6. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana me ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem.

7. Ignis qui semper lucet, amor qui semper ardet, illumina et accende me, ut citra condemnationem assistam metuendo altari tuo.

8. Ne projicias me à facie tuâ cum divinissimis donis tuis venientem ad te: neque me averseris propter nimiam indignitatem meam.

9. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Domine Jesu, Salvator meus.

10. O manna suavissimum, omnem habens saporis suavitatem pro cujusque desiderio, recrea

hodie, ac suaviter affice aridum palatum animæ meæ.

11. Veni, obsecro, æterna sapientia, tam potenter hodie in animam meam, ut cunctos profliges hostes meos, cuncta vitia consumas, cuncta peccata remittas.

12. Ignem venisti mittere in terram, benignissime Jesu, accende illum in me, et eventila gratiæ tuæ, ut semper crescat.

AD ELEVATIONEM HOSTIÆ, ET CALICIS.

1. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

2. Amo te, et adoro toto corde et affectu. Lava me in tuo sanguine, et da mihi pati pro amore tuo.

3. Tu Rex gloriæ Christe: tu Patris sempiternus es filius.

4. Amantissime Jesu, per effusionem sanguinis tui fac ut mundo mortuus tibi soli vivam, à meipso penitus deficiens.

POST MISSAM, VEL COMMUNIONEM.

1. Gratias ago tibi, Domine Jesu, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad vivificum tuæ mensæ convivium. Ignosce vilitati meæ, et fac me hominem secundum cor tuum.

2. Saucia, Domine, cor meum vulneribus tuis, mentem meam inebria sanguine tuo, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, et quidquid aspexero, tuo sanguine tinctum appareat mihi.

3. Sanctifica, Domine, animam meam, et benedictionem tuam in eâ relinque. Ingrederere cubicu-

um cordis mei, et illud posside in sempiternum.

4. Respice in me, Pater æterne, quia Unigenitus filius tuus intrâ viscera mea clamat ad te.

5. Penetret amor tuus, clementissime Jesu, intima mea, et omnem alium amorem expellat.

6. Transforma me totum in te, ut omnis substantia mea pereat in te, nec me ampliùs inveniam nisi in te.

7. Recedo modicum à te, sed non sine te, Domine mi, consolatio mea, et omne bonum meum. Da mihi vivere semper in te, et tibi jugiter adhærere.

ANTE MENSAM, ET DUM BEFICERIS.

1. Da mihi, Domine, operari non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

2. Ecce, Domine, ad mensam accedo, da mihi congruam servare moderationem, ne ex indiscretâ parcimoniâ deficiat corpus, aut ex nimietate gravetur, et insolescat.

3. O quanti pauperes fame pereunt! mihi autem nihil deest. Gratias ago tibi Deus, qui pascis me à juventute meâ et usque nunc.

4. Quàm suavis es, Domine, animæ quærenti te! Utinam nihil sapiat, nihil dulcescat mihi, nisi tu. Tu cibus meus, tu potus suavissimus, tu omnis delectatio mea.

5. O si deterior ferculorum pars mihi semper contingeret, sicut decet me! Indignus enim sum rationalis creaturæ cibus, et pane filiorum, qui jumentis insipientibus similis factus sum propter innumerabilia et execranda peccata mea.

6. Fac me semper, Domine, esurire et sitire jus-

titiam. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quoniam apud te est fons vitæ.

7. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo.

8. Dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto.

9. Præsta mihi, Domine, ut sicut corpus terreno cibo, ita cœlesti alimoniâ mentem reficiam.

POST MENSAM.

1. Gloria tibi Domine, qui me cibo ac potu necessario refecisti: fac me semper abundare in omni opere bono.

2. Singulas buccellas, et guttas, quas sumpsi, offero tibi in laudem æternam, in unione illius amoris, quo tu Deus meus pro me factus homo, cibum et potum sumpisti in terris ad honorem Patris tui.

3. Parce mihi, Domine, quia temperantiæ limites transgressus sum: da ut deinceps omnem concupiscentiam superem, et omnia gulæ irritamenta.

ANTE QUODLIBET OPUS.

1. Domine Jesu, da ut peragam opus istud ad gloriam tuam, et salutem meam, sicut tibi placitum est.

2. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, mecum laboret; ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

3. Da mihi, Domine, spiritum discretionis, ut vera à falsis discernere queam; ut sciam eligere bonum, et reprobare malum.

4. Fac ut optimum finem semper intendam, et omnia prævideam, quæ accidere mihi possunt.

5. Adjuva, dirige, et conforma me, ut secundum te, tecum, et propter te hoc opus perficiam, quia sine te nihil sum, nihil possum.

OPERE PERACTO.

1. Domine JESU, hoc opus, quod peregi, commendo mellifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum, tibi que illud offero in unione operum tuorum.

2. Domine, si quid unquam tibi gratum feci ex gratiâ tuâ, id omne approbo et ratifico, id renovo et confirmo.

3. Quidquid neglexi offerre tibi ex actionibus meis, id hoc momento quantum possum compenso, et tibi omnia propter te offero omnium Angelorum, et Sanctorum affectu.

CUM È DOMO, VEL CELLA EGREDERIS.

1. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

2. O quanti sunt infirmi et claudi, quibus ambulare concessum non est! Gratias tibi ago, Domine, quia corpus integrum dedisti mihi, et me hactenus incolumem conservasti.

3. Sequar te, Domine, quocumque ieris, quia verba vitæ æternæ tu habes.

CUM EGREDERIS.

1. Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas

confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

2. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hinc habitabo, quoniam elegi eam.

3. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

4. Benedicta sit illa hora, quâ Dominus noster Jesus Christus incarnari voluit, et pati pro nobis.

2. Respice in me, Domine, et miserere mei, præsertim in horâ mortis meæ: et fac me talem in hæc hora, qualem me desideras in æternitate.

3. O Deus infinitè amabilis, quàm parùm hactenus dilexi te! Dixi: Nunc cœpi. Da quod jubes, et jube quod vis.

4. Quàm pœnitet me temporis, cujus inutiliter jacturam feci! Utinam illud possem revocare, ut in rebus tibi placitis totum insumerem.

5. Ecce lapsa est hora, Deus meus, et nullum in me sentio amoris incrementum. Utinam geminatis ignibus hanc jacturam resarciam.

6. Quanta est misericordia tua, Domine, quia me usque ad hanc horam tolerasti? Gratias ago, et doleo, quòd tam ingratus fuerim.

7. Offero tibi, æterne Pater, quidquid dixero, fecero, cogitavero hæc horâ. Utinam eam utiliter transigam ad majorem tui gloriam.

IN DOLORE, ET QUACUMQUE TRIBULATIONE.

4. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Auge, Domine, dolores,

auge afflictiones; sed auge etiam patientiam. Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.

2. Recordare, Domine, fragilitatis meæ, et dic Angelo percutienti, cesset jam manus tua. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.

3. Tu es refugium meum, Jesu crucifixe, in tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

4. Si vis, Domine, omnia mala pœnæ libenter patiar pro te, sine ulla consolatione. Omnia volo, nihil volo.

5. Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me. Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

6. Gratias ago tibi Deus, quia voluntas tua in me adimpletur, quâ voluisti ab æterno, ut hæc mihi evenirent. Offero ea tibi ad gloriam tuam, in unione passionis Christi.

7. Tuus sum ego, Domine, tu scis quid mihi expediat. Offero me tibi in omne beneplacitum tuum.

8. Gratis tibi ago, quia nos etiam invitos rectè fingis, et per externum hominem internum purgas.

9. O Amor, ea intentione, qua pœnam istam de corde Dei mihi attulisti, tibi committo; ut eam in summa gratitudine ibidem reconsignes.

10. Tibi, Domine, hæc omnia patior. Sit nomen tuum benedictum in sæcula, qui voluisti hanc tribulationem venire super me. Sicut placuit tibi, ita factum est.

IN PROSPERO SUCCESSU.

4. Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo

da gloriam. Fallax est honor mundi, fallaces hujus vitæ consolationes. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

2. Valde quidem me consolatur res ista, Domine Jesu; eam tamen nolo, nisi à te, in te, et propter te, paratus ea carere, quoties volueris.

3. Nolo, Domine, hinc consolari et felix esse; sed afflige me in præsentì, ut misericordiam in fine consequi valeam.

4. Benedictus es, Domine, qui adjuvisti me, et consolatus es me; cum mihi minimo, et infelici nulla debeatur consolatio, nulla prosperitas.

5. Refulge cordi meo, veritas summa, ut mihi ipsi vilescam, ac omni humana consolatione me indignum existimem.

IN OMNI TENTATIONE.

1. Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

2. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timoi.

3. Tu Domine, qui ad exercitum facis, ut sentiam, adjuva me, ne consentiam.

4. Excita, Domine, potentiam tuam et veni, et exurge in adiutorium mihi.

5. Da mihi, Domine, patientiam et pacem, ne perdam coronam in cælo. Tu enim dixisti: In patientia vestra possidebitis animas vestras.

6. Inclina cor meum in testimonia tua, et esto mihi turris fortitudinis à facie inimici.

7. Tu scis, Domine, quàm libenter puram ani-

mam tibi exhiberem: sed quia immundum vas habeo, plenum tentationibus, ipsum tibi offero quale est. Munda illud sanctissimo sanguine tuo, ut divini influxus capax efficiatur, tibi que in gratia acceptum fiat.

CUM TE ALLICI SENTES AD COMPLACENTIAM EX PULCHRITUDINE, VEL ALIA PERFECTIONE CREATURARUM.

1. Ecce isti sunt rivuli, Domine Deus meus, qui ex te vero et increato fonte omnium bonorum dimanant: hæc sunt guttæ inexhausti maris tuæ ineffabilis bonitatis.

2. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, ne per fenestras oculorum intret mors in animam meam.

3. Resisto, Domine, seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam: et erigo ad te invisibilem oculos, ut evellas de laqueo pedes meos.

4. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, sed tu omnium pulcherrimus et perfectissimus es. Quando veniet dies, ut in te solo delecter.

5. Quàm callide hinc later absconditus, maledicte serpens, ut me tuo veneno inficias! Benedicta sit bonitas Dei in æternum, qui mihi hostem hinc latentem, et animæ dolose insidiantem tam benignè detexit.

IN TRANSITU ANTE ECCLESIAM, ET IN EJUS INGRESSU.

1. Ergone putandum est quod verè Deus habitet super terram? Si cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, uantò minùs hæc domus?

2. Tu Domine, qui pollicitus es, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, exaudi orationem servorum tuorum orantium in templo isto.

3. Domine, in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

4. Omnes Sancti et Sanctæ Dei, quorum Reliquiæ, et imagines hic sunt, saluto et veneror vos, intercedite pro me.

5. Salvete Christi fideles animæ, quæ hic et ubique requiescitis; requiem æternam vobis donet, qui pro vobis passus est.

ANTE CRUCIFIXUM.

1. Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinisti propter me in cruce, maximè in illa horâ, quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

2. Suscipe me, Domine, in ulnas tuas, quas in cruce expandisti, protege me ab hoste maligno, et fac me participem crucis tuæ.

3. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.

CUM ARIDUS ES.

Pater cœlestis, pro frigida et miserâ cordis mei ariditate offero tibi fervida desideria, et ardentissimum amorem dilectissimi filii tui, Beatæ Virginis, et omnium electorum tuorum.

CUM LOQUENDUM EST.

Jesu fili Dei, qui coram Judice tacuisti, tene linguam meam, donec cogitem qualiter et quid loquar. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.

ANTE STUDIUM.

Domine Jesu, æterna sapientia, purga animam meam igne amoris tui, illumina intellectum, memoriam confirma, ut bonas litteras discam, quibus te unum sapiam, et diligam; quia extra te quisquis sapit, desipit.

CUM AUDIS CONFSSIONES.

Ad singulos pœnitentes hâc oratiunculâ uti poteris. Sana, Domine, per me hanc animam in omne peccatum lapsuram sine te. En pretium sanguinis tui, sponsa tua ab hoste vulnerata. Doce me, ut prudenter cæcam et ægram ad te adducam, pro tua unius gloria. Angele sancte, adjuva me.

IN ASPECTU HORTI ANONI.

Exorna, dilecte mi, virtutum floribus animam meam. Utinam in me floreat liliû castitatis, humilitatis viola, rosa charitatis.

IN ASPECTU PULCHRE DOMUS.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Melior est dies una in atris tuis super millia, Beati

qui habitant in domo tuâ, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

DUM GRATA CŒLIBET, ET PULCHRA VIDES.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es, fons pulchritudinis : exorna splendore gratiæ animam meam, quoniam denigrata est super carbone facies mea, propter multitudinem iniquitatum mearum. Ne sinas me donis tuis abuti contra te.

IN ASPECTU DEI DEFORMIS.

Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Tolle à me, Domine, peccati deformitatem.

CUM PLUIT.

Irriga, Domine, arentem animam meam, ut fructum boni operis reddat temporibus suis.

CUM SUDUM ES.

Dissipa, Domine, à corde meo nubeculas terrenorum affectuum, et lucis tuæ radiis illustra animam meam. Refulge super me, sol justitiæ ; et splendoribus Sanctorum illumina cor meum.

CUM OCULIS OCCURRUNT VANA.

Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram ? Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in viâ tuâ vivifica me.

CUM VANILŒQUIA AURIBUS INSONANT.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

CUM OCCURRIT PECCANDI OCCASIO.

Qui elongant se à te, Domine, peribunt : perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

AD NOMEN JESUS.

Utinam potestatem haberem cœlum et terram, et infernum cum omni creatura tibi dulcissimo, et fidelissimo amatori inclinandi, ac subjiciendi.

IN ASPECTU ARBORUM.

Laudate Dominum ligna fructifera, et omnes cedri. Ah bone JESU, quam adhuc imperfectè tibi servio, et tamen plantatus sum secus decursus aquarum gratiæ tuæ. Adjuva me, ut fructum afferam in patientia.

IN ASPECTU VOLUCRUM.

Benedicite omnes volucres cœli Domino. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ? Eleva me, Domine, à terra, ut alis amoris ad te volem.

IN ASPECTU BESTIARUM.

Bestiæ et universa pecora, laudate nomen Domini. Da mihi, Domine, cognoscere dignitatem meam, ne fiam sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

IN ASPECTU IGNIS.

Ignem venisti mittere in terram, Deus meus, et

suades mihi, ut emam à te aurum ignitum : accende tu illum in me, ut liquescam amore tuo.

IN ASPECTU AQVE.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi, sitit ad te fontem vivum. Irriga me, et potum da mihi in lacrymis in mensura.

IN ASPECTU CÆLI.

O Magna domus Dei, quam vilis mihi fuisti ! Pœnitet me Domine, da mihi constantiam in servitio tuo. Cœli Cœlorum, laudate Deum. Quando aperiemini mihi, ut inveniam eum, quem diligit anima mea?

IN ALIA QUACUMQUE OCCASIONE.

Nihil prorsus homini occurrit, ex quo non possit varias ad Deum aspirandi occasiones elicere, quicumque studet Christianæ perfectioni. Nam ut suprascriptis oratiunculis, et exercitiis alia quedam in exemplum adjiciam : si tibi occurrat aliquis infidelis, orabis pro illo, et actum fidei elicies : si cæcus, claudus, vel aliquâ ægitudine affectus, eorum misereberis, et Deo gratias ages, qui membra integra tibi, corpusque validum dedit. Transiens Xenodochia, ora Dominum, ut det omnibus patientiam, et consolationem. Cùm legis, audis, aut vides aliquid ad laudem Dei pertinens, gaude multo magis, quam si laudes tuas audires. Cùm videris aliquem peccantem, vel blasphemantem audieris, statim in spiritu contristare, et Deum pro illo precare. Si angit te desiderium placendi hominibus, cogita, quod qui homini-

bus placent, Christi servi non sunt ; et opta Deo soli placere. Cùm recordaris alicujus peccati, elice actum contritionis. Si musicam, et concentum audis, ora cum Cæcilia, ut fiat cor tuum immaculatum, Deoque psalle in citharâ cordis, et ad gaudia Angelorum suspira. Si mundi pompam vides, et hominum superbiam, eam detestare, et dic : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Ex aspectu judicum, principum, et prælatorum, timorem concipe divinæ justitiæ, et ora pro illis, actumque elice obedientiæ. In introitû alicujus oppidi vel civitatis, Angelos et Sanctos tutelares, quorumque imagines et reliquiæ ibi sunt, venerare, et ora pro habitantibus. Ad imaginem quoque Angelorum et Sanctorum actum Dulciæ exerce et opem eorum efflagita. Cùm se offert imago Evangelistarum, vel Doctorum scribentium, ora et dic : *Scribite me Sancti Dei in libro afflictorum, quia affligi semper desidero propter Deum : Scribite me cum Sanctis Martyribus : Scribite me in corde Jesu, et in corde Mariæ, ut nunquam obliviscantur animæ meæ.* Si apparet arcus cœlestis, benedic eum qui fecit illum, et ora pro pace. Si terram excoli cernis, considera quâ diligentia agrum animæ tuæ colere debes, et roga pro fructibus terræ. Si bene operantes conspicias, congaude, et opta fieri eorum particeps, et ora pro tuâ, et ipsorum perseverantia. Plura suggerent usus, et unctio.

CUM VESPERE ACCENDUNTUR LUCERNÆ.

1. Tua nos, Domine, Veritas semper illuminet, et ab omni pravitate defendat.

2. Domine apud quem nihil est obscurum, nihil tenebrosum; emitte lucem tuam cordibus nostris, ut in viâ tuâ ambulantes nihil patiamur erroris.

3. Te lucem veram, et lucis auctorem deprecor, ut digneris à me tenebras depellere vitiorum, et clarificare me luce virtutum.

4. Veni, cœlestis amor, et fulgidissimâ face tuâ discute noctem ignorantiae meae.

5. O amor, decus, et lux virtutum omnium, explica pompam radiorum tuorum in domo cordis mei, ut in lumine tuo te videam lumen aeternum.

ANTE SOMNUM.

1. Fac me, Jesu dulcissime, super pectus tuum requiescere: da mihi trahere anhelitum de melliflûo corde tuo: influat spiritus tuus suavissimus in animam meam, qui eam absorbeat, et inseparabiliter sibi uniat.

2. Tu, quæso, mecum maneat, mecumque dormias hâc nocte, ut, dormiente corpore, mens semper ad te vigilet, et te præsentem videat.

3. Deus creator corporis mei, et animæ, respice me misericordiâ tuâ, ne tenebricosâ peccati caligine involvar.

4. Modera somnum meum, Deus meus, quem sumi præcepisti ad corporis alleviationem; pervigiles concede cogitationes, et mentem sobriam, ne me gravis opprimat sopor.

5. Peto, Domine, et desidero, ut singulæ respirationes meae hâc nocte laudem et honorem tibi exhibeant.

6. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Veni, Divine Amor, et tu mihi somnia dispone, ut in tuum amorem tanquam in somnum suum incumbat cor meum, et in te solo requiescam nunc, et in aeternum. Amen.

CAPUT XX.

DE AMORE DEI, QUID SIT AMOR? EJUS ORIGO, PRÆROGATIVA, ET PROPRIETATES. AMORIS PHILOSOPHIA A QUIBUS DISCENDA? POSSE DEUM FACILIUS AMARI, QUAM COGNOSCI.

1. Jam quod initio pollicitus fueram, pro virium tenuitate, et ingenii captu executus sum: nunc consentaneum arbitror, nonnulla de divino amore veluti corollarium appingere huic libello; via enim mystica, cujus semitæ, sicut hactenus docui, brevi compendio perducunt ad Deum, ab amore principium sumit, et finem habet in amore. Est autem Amor complacentia boni, sive propensio appetitus in bonum. Est primus motus voluntatis, omnium reliquorum affectuum principium, et radix, omnibus ad omnia ingenitus, ut Platonius Phædrus (1) ait. Est vehemens, et bene ordinata voluntas, ut docet Guilielmus Abbas (2). Est vis animæ, naturali quodam pondere ferens eam in finem suum; juxta illud (3): *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*. Est connexio et vinculum,

(1) Plato in Phædro. — (2) Guilliel. Ab. S. Theodorici I. de Amore cap. 7. — (3) Aug. lib. 13. confess. cap. 9.

2. Domine apud quem nihil est obscurum, nihil tenebrosum; emitte lucem tuam cordibus nostris, ut in viâ tuâ ambulantes nihil patiamur erroris.

3. Te lucem veram, et lucis auctorem deprecor, ut digneris à me tenebras depellere vitiorum, et clarificare me luce virtutum.

4. Veni, cœlestis amor, et fulgidissimâ face tuâ discute noctem ignorantiae meae.

5. O amor, decus, et lux virtutum omnium, explica pompam radiorum tuorum in domo cordis mei, ut in lumine tuo te videam lumen aeternum.

ANTE SOMNUM.

1. Fac me, Jesu dulcissime, super pectus tuum requiescere: da mihi trahere anhelitum de melliflûo corde tuo: influat spiritus tuus suavissimus in animam meam, qui eam absorbeat, et inseparabiliter sibi uniat.

2. Tu, quæso, mecum maneat, mecumque dormias hâc nocte, ut, dormiente corpore, mens semper ad te vigilet, et te præsentem videat.

3. Deus creator corporis mei, et animæ, respice me misericordiâ tuâ, ne tenebricosâ peccati caligine involvar.

4. Modera somnum meum, Deus meus, quem sumi præcepisti ad corporis alleviationem; pervigiles concede cogitationes, et mentem sobriam, ne me gravis opprimat sopor.

5. Peto, Domine, et desidero, ut singulæ respirationes meae hâc nocte laudem et honorem tibi exhibeant.

6. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Veni, Divine Amor, et tu mihi somnia dispone, ut in tuum amorem tanquam in somnum suum incumbat cor meum, et in te solo requiescam nunc, et in aeternum. Amen.

CAPUT XX.

DE AMORE DEI, QUID SIT AMOR? EJUS ORIGO, PRÆROGATIVA, ET PROPRIETATES. AMORIS PHILOSOPHIA A QUIBUS DISCENDA? POSSE DEUM FACILIUS AMARI, QUAM COGNOSCI.

1. Jam quod initio pollicitus fueram, pro virium tenuitate, et ingenii captu executus sum: nunc consentaneum arbitror, nonnulla de divino amore veluti corollarium appingere huic libello; via enim mystica, cujus semitæ, sicut hactenus docui, brevi compendio perducunt ad Deum, ab amore principium sumit, et finem habet in amore. Est autem Amor complacentia boni, sive propensio appetitus in bonum. Est primus motus voluntatis, omnium reliquorum affectuum principium, et radix, omnibus ad omnia ingentis, ut Platonius Phædrus (1) ait. Est vehemens, et bene ordinata voluntas, ut docet Guilielmus Abbas (2). Est vis animæ, naturali quodam pondere ferens eam in finem suum; juxta illud (3): *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*. Est connexio et vinculum,

(1) Plato in Phædro. — (2) Guilliel. Ab. S. Theodorici I. de Amore cap. 7. — (3) Aug. lib. 13. confess. cap. 9.

quo rerum universitas ineffabili amicitia, et insolubili unione copulatur, ut ex hymnis Hierothei Magnus Dionysius Areopagita (1) commemorat. Est circulus sempiternus sine et principio carens, propter bonum, ex bono, in bonum, et ad bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem, et secundum idem, et procedens semper, et manens, et remeans. Quidquid in sacris litteris, quidquid in libris Sanctorum continetur, aut amor est, aut pertinet ad amorem.

2. Si ejus originem quaeris, non te ad symposium Platonis, non ad doctas Poëtarum fabulas mittam: firmiorem enim doctrinam ab eo habemus, qui dixit (2): *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* In ipso puro et summo bono ab aeterno Amor fuit, quasi ignis semper ardens, omnia accendens, et in se transmutans. Ex eo enim, quod Deus suam infinitam pulchritudinem, et excellentiam intuetur, oritur in ipso infinitum amoris incendium, quo Pater seipsum, et Filium à se genitum diligit: rursusque Filius eandem in Patrem recipit dilectionem, quā tantum illum amat, quantum amari dignus est, hoc est infinities infinitè. Hic autem mutus amor Spiritus sanctus est, aeternus, immensus, Patri et Filio coequalis, à Deo prodiens, in Deo manens: à quo, sicut radius à Sole, omnis amor dimanat, propter bonitatem suam infinitam extendens se, et descendens ad creaturas pro cujusque captu et meritis; et omnia denuò ad se reducens; quia ut à Deo exivimus omnes, et venimus in mundum, ita

(1) Dionys. de div. nominibus cap. 4. — (2) I. Joan., iv, 16.

mundum iterum relinquere debemus, et ad Deum redire. Nulla vox est, quæ Amoris dignitatem non dicam explicare, sed nec leviter adumbrare valeat. Nam Amor increatus ipse Deus est, ineffabilis, incomprehensibilis, cujus magnitudinis non est finis. Amor autem creatus donum Dei est altissimum, nobilissimum, inenarrabile, termino carens, ac modo; quia, ut ait mellifluus Bernardus (1), *Modus diligendi Deum est, diligere sine modo.*

3. Quòd si libeat ejus effectus intueri, ut saltem ex illis, quanta sit ejus vis et potentia dignoscamus, jam propheticum (2) torrentem ingredimur, qui pertransiri non potest. Cancellarius Parisiensis (3) ex cantico amoris quinquaginta ejus descripsit proprietates eroticè, et divinè; sed hanc lucubrationem amoris sagittà vulneratus corporali morte conclusit, ut in patriâ amantium disceret, quàm imperfectè in viâ de Amore scripsisset. Et quomodo ausim ego in amore rudis et inexpertus ejus praerogativas enarrare? *Quomodo*, inquit Richardus (4), *de amore loquetur homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempè copiosa in libris occurrit materia, hujus verò aut tota intus est, aut nusquam est.* Dicam tamen balbutiendo nonnulla, quæ in eximiis amatoribus ipse amor operatur. Amor participatio Dei est, in ipsius pulchritudine et bonitate tanquam in sua causa conquiescens; Deum movet, ut descendat ad creaturas, quia summè sui diffusivus est: tum vicissim creaturas sursum trahit ad pulchrum et bonum. Sim-

(1) Bern. init. lib. de diligendo Deum — (2) Ezech., xlvi, 5. — (3) Joan. Gerson super Cantic. — (4) Rich. de grad. charit. c. 1.

plex est, et multiplex; æqualis, et inæqualis: actus enim Dei simplicissimus est, quamvis ad infinita se extendat. Amantes Deo assimilant, ipsique jungunt inseparabiliter; et admirabili quâdam Apotheosi divinæ naturæ consortes efficiunt; quia sibi similes semper querunt, aut efficiunt; et qui amat, manet in Deo, et Deus in eo. Terrenum et falsum amorem dixit Plato, esse animi ardorem in proprio corpore mortui, in alieno viventis: quem effectum operari in anima divinum amorem testatur Dionysius (1) dicens: Amantes sui juris non esse, quia Amor ecstasim facit. Ad ipsum omnia consilia reducuntur: neque musicam solum docet, ut quidam asserit (2), sed omnium scientiarum, omnium virtutum actor, magister, principium, et finis est. Unit, et refrigerat; exultat, et humiliat; vulnerat, et sanat; occidit, et vivificat. Leges præscribit amantibus ipse legis expertus: modum rebus statuit modi nescius: finis est omnium fine carens: omnia rapit neminem spolians: omnibus dominatur cunctis subjectus: semper quiescit nunquam otiosus. Non deficit in adversis, quia non vincitur: injurias non rependit, quia non sentit: morte non terretur, quia fortior illâ est. Nullum querit sui causam, non fructum, non mercedem, seipso contentus. Amat qui verè amat, quia amat: amat ut amet, et ad suum recurrens principium semper ex eo sumit, unde jugiter amet. Virtutes omnes nihil aliud esse, quam ordinem amoris asseruit Augustinus (3); nam si amor desit, quid est spes, quid fides, quid reli-

(1) Dion. c. 4. div. nom. — (2) Plutarchus in opusculis. —

(3) Aug. lib. de morib. Ecclesiæ.

gio, quid fortitudo? Tabescunt omnia instar cada-veris, quæ hoc igne non animantur. Si habuero prophetiam, et omnem fidem, et tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (1).

4. Quid ergo amore jucundius, quid securius, quid nobilius? Quanta ejus dignitas, et sublimitas, quot tituli, et excellentiæ! Dicant qui experti sunt, quid sit amorem incomparabilem esse, insuperabilem, superfervidum, semper mobilem, incessabilem, activum, zelotem, officiosum, omnipotentem. Dicant quæ sint ejus causæ, quæ natura, quis ordo, qui effectus, quæ exercitia, qui gradus, quæ leges, quod initium, qui progressus, qui finis, quæ perfectio. Ego enim conscius infirmitatis meæ et imperitiæ, tantæ rei majestatem et violare timeo, et assequi despondeo. Legendi sunt eximii viri, Bernardus, et Richardus, ille in tractatu de diligendo Deo, hic de gradibus charitatis. Legendus Harphius in fine suæ mysticæ Theologiæ. Adde recentiores, Didacum Stellam, Jacobum Salianum, Antonium Gaudier, Laurentium Parisiensem Capucinum, Ludovicum Granatensem, Christophorum Fonseca, Joannem Calaguritanum Carmelitanum, et alios qui de arte amandi Deum, et de amore Dei doctissima nobis scripta reliquerunt. Adde singulariter nominandum, Franciscum Salesium, Episcopum Genevensis, omni encomio superiorem, cujus libri duodecim de hac re omne ferunt punctum miscentes utile dulci. Nec desunt, ex sequiori sexu in amoris philosophiâ supra communem captum excellentissima

(1) I. Cor., xiii, 2, 3.

Theresia, Gertrudis, Magdalena de Pazzis, tres Catharinae, Senensis, Genuensis, et Bononiensis, et aliae, ex quibus plenior de Amore cognitio petenda est.

5. Discet autem amare Deum, qui frequenter ad eum aspiraverit. His enim piis affectibus ignis amoris accenditur, nutritur et in magnum crescit incendium. Dictum est supra, viam scholasticam longam et difficilem esse, mysticam verò brevem et felicem: quia nimirum multò facilius est Deum amare, quàm cognoscere. *Facilius*, ait Richardus (1), *ad Deum patet ingressus piè pulsantibus, quàm subtiliter perscrutantibus. Pulsat autem qui amat, qui orat, et pulsanti aperitur.* Cui consonans Angelicus Doctor (2) apertè fatetur Deum in hac vita plus amari, quàm cognosci: quia plus requiritur ad perfectionem cognitionis, quam ad perfectionem amoris. Ad hanc enim sufficit, quod res ametur, prout in se apprehenditur; ad illam verò necesse est sigillatim cognoscere, quidquid est in re, partes nimirum, virtutes, et proprietates. Probatur hoc exemplo scientiarum, quas aliqui amant ob confusam et imperfectam, quam de eis habent, cognitionem; et hoc amore ad eas perfectè discendas incitantur. Eidem sententiæ subscribunt Abbas Vercellensis, et alii Mystici, quos refert, et sequitur Seraphicus Bonaventura (3). Nec obstat illud Augustini (4), incognita non amari, quia non amat voluntas omnino incognitum; imò, ut ait Gregorius (5), *Amor ipse notitia*

(1) Richard. l. 2. c. 3. — (2) D. Thom. 1. 2. q. 27. art. ad 2. — (3) Bonav. init. 3. etern. dist. 3. — (4) Aug. de Trinit. lib. 3. l. 1. et l. 10. c. 2. — (5) Greg. hom. 27. in Evangelia.

est. Et sic debet intelligi commune illud Mysticorum dictum: *Voluntas intrat, ubi intellectus foris stat*: quia amor mensuram cognitionis excedit, et ex tenuissima, atque obscurissima cognitione ingens amoris flamma accenditur in voluntate, quæ ideò penetrare dicitur suo acumine, quò non intrat intellectus. Non disputo, an possit Deus de potentiâ absolutâ efficere, ut voluntas amet, nullâ prorsus cognitione præcedente: hoc enim controversum est, nec desunt qui partem affirmativam tenent (1): sed dico de lege saltem ordinaria, non magis posse hominem incognitum amare, quàm pingere super inane. Talis quippe est natura voluntatis, ut aliquâ semper cognitione indigeat, quæ facem illi præferat, et ostendat quid appetendum. Ex his autem colligi potest, quanta sit mortalium insania (2). Amare Deum, dum sumus in corpore, plus possumus, quàm vel eloqui, vel cognoscere. Amando plus proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen, semper quærendo, per cognitionem numquam invenire quod quærimus, quàm amando possidere. Bona quidem est scientia, sed multò melior dilectio: utilis cognitio, sed utilior amor. Scientia sine charitate inflat, et nihil prodest; amor verò sine scientia sufficit ad salutem. Potest homo scientiam habere sine amore; ut verò qui amat, quamvis scientiis careat humanitatis acquisitis,

(1) Paludanus, Ochamus, Thomas de Argentina, et alii citati à Sandeo lib. 1. myst. Theolog. ubi hanc quæstionem diffusè tractat. comment. 6. exercitat. 25. usque ad 30. Vide etiam Alvarez l. 3. de orat. l. 4. c. 8. — (2) Picus Mirand. lib. de ente et uno c. 5.

plura tamen discet, quàm doceat humana sapientia, quia illum intus magistrum habet, qui docet hominem scientiam. Optimè Rogerius vir extaticus ex ordine Minorum apud Alvarum Pelagium (1): *Quid, inquit, putas erit, si in intimo tuo intus sit Deus? A quantis tenebris ad quantas duceris claritates per spiritum ejus? Si illas, quæ in intimis illis sive internis secretis sunt, nosse intimas contemplationes, si illas lucidas illuminationes, si illos fervidos splendores, si illos simplices radios, si illos puros fulgores, si illos vivificos ardores, si illos pacificos saporos, si illos delitiosos imò delitiosissimos dulciores, si res incognitas et innominabiles, res tamen experimentales perfecte possideres. Ah homo! si hæc experimento nosse, puta quia, ut ego, tenebras ferres graviter vitæ tuæ. Quando autem erit? Putasne videbo? Quando, quando, quando? Omnia in mora: nimium stenda hæc dilatio. Ah, ah, ah! Quid tibi sum ego, aut quid tu mihi, Deus meus? sed quid non mihi es? Hæc verba silentii sunt, nec extra silentium, et Deum invenire possunt, quia alibi non sunt. Vis hæc sentire? Attende quoniam nullus sic intrat, nisi prius excesserit; nec deficit nisi prius introierit, nec transit, nisi prius defecerit, nec apprehendit, nisi prius transierit: nec transformatur, nisi prius apprehenderit; nec intuetur, nisi transformatio præcesserit; nec sic in illum amorem movetur, nisi qui intus, et valde intus fuerit; nec in beato illo silentio quietatur, nisi qui illum beatum amorem noverit. Hæc Rogerius. Beatus*

(1) Alvarus Pelagius de planctu Ecclesie lib. 2. c. penult.

vir, qui sic sentit, sic amat, sic afficitur. Verè dici potest de divina dilectione, quod olim de Sapientia (1): *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, quia amor omnium bonorum fons est, et origo. Quis igitur me separabit ab amore? Tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, gladius, persecutio? Dicam audacter cum Apostolo (2) me certum esse, certam scilicet in Domino spem habere, quòd nulla creatura poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre, et Spiritu sancto honor est, et gloria in cælo et in terra, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

(1) Ssp., viii, 11. — (2) Ad Rom., viii, 35, 39.

CENSURA.

Reverendiss. P. Magistri Fratris Michaelis de Alcantara, Vicarii Generalis Italiae et Siciliae, et Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Sanctae Inquisitionis in Hispania Qualificatoris, et Sacrae Congregationis Indicis, in Urbe Consultoris.

Jussu Reverendiss. P. Fr. Raymundi Capizuechi S. A. P. Magistri, Ord. Praedicatorum, vidi librum istum, cujus titulus est: *Via Compendii ad Deum*, auctore Reverendiss. P. D. Joanne Bona de Monte Regali Congreg. S. Bernardi, Ordinis Cisterciensis Abbate generali, ipsumque cum magna animi voluptate (utinam fructu) perlegi, et praeterquam nihil in eo reperi Catholicae nostrae Fidei aut bonis moribus non conforme; judico illum spiritualis vitae amatoribus utilissimum fore; in eo enim miro modo, ac singulari methodo digestum traditur quidquid in hac materia sparsim congestum est à Sanctis Patribus, et aliis arcanae hujus Theologiae Professoribus, quos omnes Bonus Auctor magno studio, ac majori experientia percurrisse videtur, ut de illo verificari possit, quod juxta Magnum Gregorium homil. 5. super Ezech. de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 144. *Memoriam suavitatis tuae eructabunt*: Eructat equidem, quae dulciter hausit, et sapienter docet, quae usu didicit, simulque adeo efficaciter movet, ac jueunde delectat, ut quamplures profectus ex hujus Operis lectione in Dei obsequium sperari possint. Quare dignissimum censeo, ut typis mandetur, ac in lucem prodeat. Romae in hoc Conventu S. Hadriani Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum die 26. Julii 1637.

F. Michael de Alcantara

Imprimatur si videbitur reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Ap.
M. A. Odoüs Episc. Lerap. Vicesg.

INDEX.

PRINCIPIA ET DOCUMENTA VITAE CHRISTIANAE.

ELECTIS DEI PER UNIVERSUM ORDEM DISPERSIS.	3
PARS PRIMA.	
DE VITA CHRISTIANA, EJUSQUE FINE, ET OFFICIIS.	
CAPUT I.	
<i>De tribus generibus Christianorum.</i>	7
CAPUT II.	
<i>Tertium genus Christianorum describitur.</i>	9
CAPUT III.	
<i>Peccatum originale causam esse omnium malorum.</i>	11
CAPUT IV.	
<i>Occasio, et scopus hujus libelli.</i>	13
CAPUT V.	
<i>Cur vitae Christianae documenta multi discunt, pauci exequuntur.</i>	15
CAPUT VI.	
<i>Regulae evangelicae perfectionis non solis religiosis, sed omnibus christianis traditas esse.</i>	16
CAPUT VII.	
<i>Hujus libelli utilitas, et exhortatio ad perfectionem.</i>	18
CAPUT VIII.	
<i>Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.</i>	19
CAPUT IX.	
<i>Cum omnes velint esse beati, cur non omnes beati sint.</i>	21

CENSURA.

Reverendiss. P. Magistri Fratris Michaelis de Alcantara, Vicarii Generalis Italiae et Siciliae, et Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Sanctae Inquisitionis in Hispania Qualificatoris, et Sacrae Congregationis Indicis, in Urbe Consultoris.

Jussu Reverendiss. P. Fr. Raymundi Capizuechi S. A. P. Magistri, Ord. Praedicatorum, vidi librum istum, cujus titulus est: *Via Compendii ad Deum*, auctore Reverendiss. P. D. Joanne Bona de Monte Regali Congreg. S. Bernardi, Ordinis Cisterciensis Abbate generali, ipsumque cum magna animi voluptate (utinam fructu) perlegi, et praeterquam nihil in eo reperi Catholicae nostrae Fidei aut bonis moribus non conforme; judico illum spiritualis vitae amatoribus utilissimum fore; in eo enim miro modo, ac singulari methodo digestum traditur quidquid in hac materia sparsim congestum est à Sanctis Patribus, et aliis arcanae hujus Theologiae Professoribus, quos omnes Bonus Auctor magno studio, ac majori experientia percurrisse videtur, ut de illo verificari possit, quod juxta Magnum Gregorium homil. 5. super Ezech. de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 144. *Memoriam suavitatis tuae eructabunt*: Eructat equidem, quae dulciter hausit, et sapienter docet, quae usu didicit, simulque adeo efficaciter movet, ac jueunde delectat, ut quamplures profectus ex hujus Operis lectione in Dei obsequium sperari possint. Quare dignissimum censeo, ut typis mandetur, ac in lucem prodeat. Romae in hoc Conventu S. Hadriani Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum die 26. Julii 1637.

F. Michael de Alcantara

Imprimatur si videbitur reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Ap.
M. A. Oddus Episc. Lerap. Vicesg.

INDEX.

PRINCIPIA ET DOCUMENTA VITAE CHRISTIANAE.

ELECTIS DEI PER UNIVERSUM ORDEM DISPERSIS.	3
PARS PRIMA.	
DE VITA CHRISTIANA, EJUSQUE FINE, ET OFFICIIIS.	
CAPUT I.	
<i>De tribus generibus Christianorum.</i>	7
CAPUT II.	
<i>Tertium genus Christianorum describitur.</i>	9
CAPUT III.	
<i>Peccatum originale causam esse omnium malorum.</i>	11
CAPUT IV.	
<i>Occasio, et scopus hujus libelli.</i>	13
CAPUT V.	
<i>Cur vitae Christianae documenta multi discunt, pauci exequuntur.</i>	15
CAPUT VI.	
<i>Regulae evangelicae perfectionis non solis religiosis, sed omnibus christianis traditas esse.</i>	16
CAPUT VII.	
<i>Hujus libelli utilitas, et exhortatio ad perfectionem.</i>	18
CAPUT VIII.	
<i>Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.</i>	19
CAPUT IX.	
<i>Cum omnes velint esse beati, cur non omnes beati sint.</i>	21

	CAPUT X.	
<i>Omnia ad Deum referenda esse pura intentione.</i>		23
	CAPUT XI.	
<i>Unde provincial quod plerique a fine aberrant.</i>		24
	CAPUT XII.	
<i>Docimur specie recti.</i>		26
	CAPUT XIII.	
<i>Humanae vitæ cursus, et perversitas.</i>		28
	CAPUT XIV.	
<i>Via recta ad finem est, ut quisque suam crucem ferat.</i>		29
	CAPUT XV.	
<i>Conditiones ultimi finis, et cur ab illo plerique aberrant.</i>		31
	CAPUT XVI.	
<i>Alia assignatur causa ob quam multi ultimum finem non assequuntur.</i>		33
	CAPUT XVII.	
<i>Filii Dei sumus, et ejus spiritu vivendum nobis est.</i>		35
	CAPUT XVIII.	
<i>Justus ex fide vivit.</i>		37
	CAPUT XIX.	
<i>Fundamentum vitæ christianæ abnegatio sui, rerumque omnium abdicatio.</i>		39
	CAPUT XX.	
<i>Insania hominum, qui sponte damnari volunt.</i>		40
	CAPUT XXI.	
<i>Character veri Christiani.</i>		42
	CAPUT XXII.	
<i>Quomodo debeat Christianus opera sua perficere.</i>		44
	CAPUT XXIII.	
<i>Debeni opera bona propriæ vocationi convenire.</i>		46
	CAPUT XXIV.	
<i>Quomodo Christianis vivendum sit.</i>		47
	CAPUT XXV.	
<i>Opera exteriora spiritu interiori animanda.</i>		48

	CAPUT XXVI.	
<i>Operum perfectio unde oritur.</i>		49
	CAPUT XXVII.	
<i>Præsentia Dei utilitas.</i>		50
	CAPUT XXVIII.	
<i>Cur difficilis videatur sanctorum imitatio.</i>		51
	CAPUT XXIX.	
<i>Omnia ad gloriam Dei referenda.</i>		53
	CAPUT XXX.	
<i>Radix omnium malorum amor sui.</i>		55
	CAPUT XXXI.	
<i>Amor sui Babylonem ædificavit.</i>		57
	CAPUT XXXII.	
<i>Omnes seipos quærunt etiam in rebus sanctis.</i>		59
	CAPUT XXXIII.	
<i>Quæ scire debeat omnis Christianus.</i>		61
	CAPUT XXXIV.	
<i>Interioris et exterioris hominis differentia.</i>		62
	CAPUT XXXV.	
<i>Quam perniciosum sit falsas rerum ideas mente concipere.</i>		63
	CAPUT XXXVI.	
<i>Tria Christiano necessaria, ut sibi attendat, ut tempus bene expendat, ut recte utatur sacramentis.</i>		65
	CAPUT XXXVII.	
<i>Pœnitentiam omnibus Christianis necessariam esse.</i>		67
	CAPUT XXXVIII.	
<i>Signa, et fructus veræ pœnitentiæ.</i>		69
	CAPUT XXXIX.	
<i>Pœccata leviora et vitia quomodo corrigi et extirpari debeant.</i>		70
	CAPUT XL.	
<i>Viros ecclesiasticos et religiosos strictius teneri ad perfectionem.</i>		72

CAPUT XLII.	
<i>Religiosi suæ vocationis immemores describuntur.</i>	74
CAPUT XLIII.	
<i>Oportere religiosum a mundo alienum esse.</i>	76
CAPUT XLIII.	
<i>Arguuntur qui regimen animarum ambiunt.</i>	77
CAPUT XLIV.	
<i>Omnibus Christianis necessariam esse orationem.</i>	78
CAPUT XLV.	
<i>Quæ dispositio ad orandum requiratur.</i>	80
CAPUT XLVI.	
<i>Cur multi ex oratione nihil proficiant.</i>	81
CAPUT XLVII.	
<i>Nunquam studium orationis omittendum.</i>	83
CAPUT XLVIII.	
<i>Conditiones bonæ orationis.</i>	84
CAPUT XLIX.	
<i>Gratia, et modus orationis duplex.</i>	85
CAPUT L.	
<i>Fons omnium bonorum oratio.</i>	87

PARS SECUNDA.

DE MODERANDIS ANIMI AFFECTIONIBUS, ET DE STUDIO

VIRIUTUM.

CAPUT I.	
<i>Quærenda veritas, fugienda vanitas.</i>	89
CAPUT II.	
<i>Quanti momenti sit ad Christianam perfectionem nihil vel minimum negligere.</i>	91
CAPUT III.	
<i>Omnibus Christianis necessaria crux et abnegatio.</i>	93
CAPUT IV.	
<i>Fundamentum vitæ Christianæ est abnegatio.</i>	95

CAPUT V.	
<i>Quomodo adversus vitia et pravæ affectiones pugnare oporteat.</i>	97
CAPUT VI.	
<i>De sensuum exteriorum moderatione.</i>	99
CAPUT VII.	
<i>De pugna adversus gulam et carnem.</i>	102
CAPUT VIII.	
<i>De malis linguæ, et de bono silenti.</i>	103
CAPUT IX.	
<i>De bona, et mala delectatione, et de illorum infelicitate, qui præpostero sine virtutem colunt.</i>	105
CAPUT X.	
<i>Opinione vivimus.</i>	108
CAPUT XI.	
<i>Scientiam salutis plerique contemnunt.</i>	110
CAPUT XII.	
<i>Damna propriæ voluntatis.</i>	112
CAPUT XIII.	
<i>Utilitas solitudinis.</i>	113
CAPUT XIV.	
<i>Quantum noceant divitiæ, et quomodo illarum amorem compescere oporteat.</i>	115
CAPUT XV.	
<i>De usu divitiarum.</i>	117
CAPUT XVI.	
<i>Qui sint pauperes spiritu.</i>	119
CAPUT XVII.	
<i>Quæ, et qualis sit obligatio faciendi eleemosynam.</i>	121
CAPUT XVIII.	
<i>Patientiæ necessitas.</i>	123
CAPUT XIX.	
<i>Adversitates exercendæ virtutis occasio sunt.</i>	125
CAPUT XX.	
<i>Patienter ferenda quæ quotidie occurrunt.</i>	128

CAPUT XXI.	
<i>Gaudendum in tribulationibus.</i>	130
CAPUT XXII.	
<i>Tolerandæ detractationes.</i>	132
CAPUT XXIII.	
<i>Tam propria, quam aliena mala æquanimiter ferenda.</i>	134
CAPUT XXIV.	
<i>Remedia impatientiæ.</i>	136
CAPUT XXV.	
<i>Propria Christianorum virtus humilitas.</i>	137
CAPUT XXVI.	
<i>Homo per superbiam a Deo recessit, et ad illum per humilitatem redire debet.</i>	139
CAPUT XXVII.	
<i>Character superbi.</i>	142
CAPUT XXVIII.	
<i>Incitamenta humilitatis.</i>	144
CAPUT XXIX.	
<i>Nihil boni esse in homine, qui caret humilitate.</i>	145
CAPUT XXX.	
<i>Qui vere est humilis, sibi ipsi intentus, alios non iudicat.</i>	147
CAPUT XXXI.	
<i>Veri humilis descriptio.</i>	148
CAPUT XXXII.	
<i>Oportere humanam voluntatem divinæ subditam, et conformem esse.</i>	151
CAPUT XXXIII.	
<i>Omnia de manu Dei accipienda.</i>	153
CAPUT XXXIV.	
<i>Divina providentia in omnibus acquiescendum.</i>	154
CAPUT XXXV.	
<i>Solum Dei beneplacitum optandum est.</i>	156
CAPUT XXXVI.	
<i>Spes salutis nostræ in Deo ponenda.</i>	157

CAPUT XXXVII.	
<i>Spiritum, et perfectionem Christianæ religionis in charitate consistere.</i>	159
CAPUT XXXVIII.	
<i>De ordine charitatis.</i>	161
CAPUT XXXIX.	
<i>De dilectione proximi.</i>	163
CAPUT XL.	
<i>Quis sit modus fraternæ dilectionis.</i>	164
CAPUT XLI.	
<i>Quæ sit vera amicitia.</i>	165
CAPUT XLII.	
<i>Quæ officia amicitiam concilient.</i>	167
CAPUT XLIII.	
<i>Occasiones exercendæ erga proximum charitatis.</i>	169
CAPUT XLIV.	
<i>Amandos esse inimicos.</i>	170
CAPUT XLV.	
<i>Verum bonum amandum.</i>	172
CAPUT XLVI.	
<i>Amor Dei in quo consistat.</i>	173
CAPUT XLVII.	
<i>Quis sit modus perfecti amoris.</i>	176
CAPUT XLVIII.	
<i>Scientiam practicam et experimentalem magis conferre ad amorem quam speculativam.</i>	177
CAPUT XLIX.	
<i>Veram sanctitatem in amore Dei consistere.</i>	178
CAPUT L.	
<i>Multi sunt vocati, pauci electi.</i>	181
MANUDUCTIO AD COELEM.	
PREFATIO AD LECTOREM.	189
CAPUT I.	
<i>De fine ultimo hominis. Quam malum sit, ab eo deflectere. Quibus mediis, et quò ordine ad ipsum perveniatur.</i>	193

CAPUT II.

Cupienti bene vivere, morum instructor eligendus est. Qualis hic esse debeat. Officia discipuli. 196

CAPUT III.

De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus, et vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quam mortis, et æternitatis consideratio. 200

CAPUT IV.

De gula. Ejus mala, et remedia. Quæ sint indicia devictæ gulæ. 206

CAPUT V.

De luxuria. Quam turpe sit hoc vitium. Quam facilis in id lapsus, et quomodo evitandus. Voluptas animi sectanda, quæ solida est. 209

CAPUT VI.

De avaritia: Malitia ejus perstringitur. Collatio pauperis, et divitis. Opum fallacia, et vanitas. 212

CAPUT VII.

De ira, character irati. Effectus, causæ et remedia iræ. 216

CAPUT VIII.

De invidia, et acedia. Utriusque descriptio et curatio. 224

CAPUT IX.

De superbia, ambitione et inani gloria. Icon superbi. Dignitatum vanitas, et pericula. Tumoris mala, et alexipharmaca. 227

CAPUT X.

De totius corporis, sensuumque exteriorum moderatione. Quantum corpori indulgendum. Castiganda oculorum licentia. Vestium luxu damnatur. 235

CAPUT XI.

De custodia linguæ. Quanti momenti sit, et quam difficilis. Quid in sermone servandum; quid vitandum. Qualiter toleranda vitiosa aliorum lingua. 236

CAPUT XII.

De sensibus internis. Usus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. De coerendo appetitu sensi-

tivo ejusque pravæ affectionibus. Variæ ad id præceptiones. 244

CAPUT XIII.

De amore. Quæ sit ejus natura. Quæ causæ, qui effectus. De ejusdem remediis. Addita quædam de odio. 244

CAPUT XIV.

De desiderio, et fuga. Quid desiderandum, quid fugiendum sit. 248

CAPUT XV.

De gaudio, et tristitia. Qualiter vir bonus gaudere debeat. Non tristatur qui omnia prævidet. Variæ doloris antidota. 251

CAPUT XVI.

De spe, et desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat. 255

CAPUT XVII.

De timore. Quam vanus sit, et qua ratione vincatur. Audacia vitanda. Quædam iterum de ira. 258

CAPUT XVIII.

De potentiis animæ rationalis. Continendus intellectus à curiositate. Cui polissimum scientia incumbendum. Quam malum sit, aliorum mores disquirere. Aliorum judicia spernenda. De voluntatis abnegatione. 260

CAPUT XIX.

De statu proficientium. Varia profectus adjumenta. Temporis æstimatio, et usus. Dei præsentia necessaria. 265

CAPUT XX.

De bono solitudinis. Fugienda malorum societas. Mundi vitia quot et quæ sint. Studium proficientis, acquisitio virtutum. Signa quædam obtentæ virtutis. 269

CAPUT XXI.

De virtutibus theologicis. Fides operibus comprobanda. In solo Deo ponenda fiducia. Motiva amoris erga Deum. Amor proximi beneficiis ostenditur. Hortatio ad eleemosynam. 274

CAPUT XXII.

De prudentia. Ejus necessitas, et difficultas. Officium viri prudentis. 277

CAPUT XXIII.

De justitia, et religione. Actus utriusque. Quid sit penitentia, et in quo consistat. 280

CAPUT XXIV.

De pietate, et observantia. Obedientia commendatur, itemque gratitudo. Quomodo accipiendam, et reddendam sit beneficium. 283

CAPUT XXV.

De veritate, ejusque usu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis. 285

CAPUT XXVI.

De amicitia. Quibus officiis sit colenda. Præcepta quarundam ad mutuam conversationem pertinentia. 289

CAPUT XXVII.

De liberalitate. Quid sit, et qualiter exercenda. Quomodo differat a magnificencia. 292

CAPUT XXVIII.

De fortitudine. Quæ sint ejus officia. Mortem a viro forti contemnendam esse. 294

CAPUT XXIX.

De magnanimitate. Viri magnanimi descriptio. 297

CAPUT XXX.

De patientia. Ejus occasiones, et effectus. Indicia vera patientiæ. Ad omnia mala ferenda parænesis et documenta. Necessitas perseverantiæ. 299

CAPUT XXXI.

De temperantia. Quantum illi conferat verecundia. De abstinentia et castitate. 304

CAPUT XXXII.

De mansuetudine, et clementia. Utriusque officia et præstantia. 308

CAPUT XXXIII.

De modestia. Munus duplex studiositatis. Quæ regula in usu eutrapeliæ servanda. 308

CAPUT XXXIV.

De humilitate. In quo consistat. De cognitione sui. Veri humilis characterismus. 311

CAPUT XXXV.

De statu perfectorum. Imago viri perfecti. Finis vitæ perfectæ, unio cum Deo. 313

VIA COMPENDII AD DEUM.

PREFATIO AD LECTOREM. 319

CAPUT I.

Scopus, et usus libri. Pro scriptio, et fine ad Deum oratio. Duplex via, qua itur ad Deum. Utriusque discrimina. 321

CAPUT II.

Viam mysticam duplicem esse, activam et passivam. Quid utraque sit. Cupienti ad apicem mysticæ theologiæ pervenire omnia relinquenda. 324

CAPUT III.

Mystica theologia quid sit? Quomodo differat ab aliis scientiis? An cognita fuerit antiquis platoniciis? Ejus principium et scopus. 329

CAPUT IV.

Quæ sint dispositiones ad mysticam theologiam? Quæ ejus impedimenta? Qui ad ipsam discendam incapaces, qui magis idonei? Oratio, et gratiarum actio. 333

CAPUT V.

Quid sit unio mystica? Quomodo fiat? Qui ejus effectus? Quid incapacibus, et ignaris conferat lectio mysticæ theologiæ. Transitus ad aspirationes. 338

CAPUT VI.

Aspirationes, motus anagogici, orationes jaculatoriæ quid sint? Sententiis, et exemplis sanctorum Patrum approbantur. De illarum præstantia, et utilitate. 344

CAPUT VII.

Varia documenta pro usu, et præci aspirationum. 342

CAPUT VIII.

Qui sint fontes aspirationum, quæ materia, quis ordo? De triplici statu incipientium, proficientium, et perfectorum. 363

CAPUT IX.

Transitus ab aspirationibus ad contemplationem. Addita quædam de aspiratione passiva. Quid sit contemplatio. Ejus objectum et causa. 370

CAPUT X.

Indicantur auctores, qui de contemplatione scripserunt. Quotuplex ea sit. Qui ejus gradus et status? Exempla divina probationis, et patientiæ in desolatione. Divisio animæ, et potentiæ ejus secundum mysticos. Hymnus ad Deum. 379

CAPUT XI.

Gemitus animæ penitentis pro incipientibus. 396

CAPUT XII.

Pia desideria ad usum proficientium. 406

CAPUT XIII.

Suspiria amanti animæ pro perfectis. 417

CAPUT XIV.

Laudem virtutis in actione consistere. Actus diversarum virtutum. 430

Actus fidei. 431

Actus spei. 433

Actus Charitatis erga Deum. 434

Actus Charitatis erga proximum. 436

Actus Patientiæ. 438

Actus Humilitatis. 439

CAPUT XV.

Fasciculus aspirationum ad Jesum, ad B. Virginem, ad cælestes universos. 441

Ad Jesum Redemptorem. 442

Ad Beatam Virginem Mariam. 443

Ad Sanctos Angelos. 445

Ad omnes Sanctos. 446

CAPUT XVI.

Aspirationes ex nominibus Dei, ejusque attributis, et perfectionibus. 447

CAPUT XVII.

Vitam Christi esse fontem omnium honorum. Quomodo ex ea piæ affectus eliciantur. 465

CAPUT XVIII.

Ex qualibet re, quæ occurrit, motus anagogicos elici posse. Scala a visibili creatura ad invisibilem creatorem. 481

CAPUT XIX.

Diarium et sylvula aspirationum pro omni actione diei et pro qualibet occasione. 486

Cum quis noctu expergiscitur. 487

Manè cum surgis. 488

Dum indueris. 489

Cum manus abluis. 490

In ortu Solis. 490

Ante Divinum Officium. 491

Post officium. 492

Ante Missam, vel Communionem. 492

Ad elevationem Hostiæ, et Calicis. 494

Post Missam, vel Communionem. 495

Ante mensam, et dum refeceris. 495

Post mensam. 496

Ante quodlibet opus. 496

Opere peracto. 497

Cum è domo, vel cellâ egrederis. 497

Cum regrederis. 497

Ad sonitum Horologii. 498

In dolore, et quacumque tribulatione. 498

In prospero successu. 499

In omni tentatione. 500

Cum te allici sentis ad complacentiam ex pulchritudine, vel aliâ perfectione creaturarum. 501

In transitu ante Ecclesiam, et in ejus ingressu. 501

Ante Crucifixum. 502

Cum aridus es. 502

Cum loquendum est. 503

Ante studium. 503

<i>Cum audis Confessiones.</i>	503
<i>In aspectu horti ameni.</i>	503
<i>In aspectu pulchrae domus.</i>	503
<i>Dum grata qualibet, et pulchra vides.</i>	504
<i>In aspectu rei deformis.</i>	504
<i>Cum pluit.</i>	504
<i>Cum sudum es.</i>	504
<i>Cum oculis occurrunt rana.</i>	504
<i>Cum vaniloquia auribus insonant.</i>	504
<i>Cum occurril peccandi occasio.</i>	505
<i>Ad nomen JESUS.</i>	505
<i>In aspectu arborum.</i>	505
<i>In aspectu volucrum.</i>	505
<i>In aspectu bestiarum.</i>	505
<i>In aspectu ignis.</i>	505
<i>In aspectu aquae.</i>	506
<i>In aspectu Caeli.</i>	506
<i>In alia quacumque occasione.</i>	506
<i>Cum vespere accenduntur lucernae.</i>	507
<i>Ante Somnum.</i>	508


CAPUT XX.

<i>De amore Dei, quid sit amor? Ejus origo, praerogative, et proprietates. Amoris philosophia a quibus discenda? Posse Deum facilius amari, quam cognosci.</i>	509
--	-----

FINIS INDICIS.

ERRATA.

Pag. 337, ligne 8, au lieu de	Generensis	lisez	Genvensis
— 338, — 19, —	unionem	—	unionum
— 360, — 31, —	moralis	—	morulis
— 370, — 14, —	ratum	—	rarum
— 372, — 4, —	arcanum	—	arcanam



JEVC
DTEC